1.

FRANCISCI TORRENSIS
DE SVMMI PONTIFICIS

ſupra Concilia auctoritate ad Reuerendiſſ. Dominum IOANNEM SALVIATVM *Epiſcopum Cardinalem, Libri tres.*

Eiuſdem de Reſidentia paſtorum iure diuino ſcripto ſancita ad eundem liber.

Eiuſdem de actis veris Sextæ Synodi, deque canonibus, qui eiuſdem Sextæ Synodi falſo eſſe feruntur, & de Septima Synodo atque multiplici Octaua ad eundem liber.



FLORENTIAE. apud Laurentium Torrentinum 1551

Bibliothecæ Domus Romanæ Pauperum
Matris Dei Scholarum Piarum.

CVM nulla ferè diſputatio his præſertim temporibus crebrior eſſe ſoleat, neque quæ importunius tractetur, vel audacius ſuſcipiatur, quàm de Pontificis, & cōciliorum auctoritate, ac officio, non potui cauere, quin ipſe aliquãdo, etiam nolens in eam inciderem, ſæpe etiam rogatum, vt de eo aliquid ſcriberem, duo ſunt, quæ me maxime ab eo opere dehortabantur: Alterum, quod ferè omnes, qui de eo contrà diſputare ſolent, pertinacius ſententiam ſuam defendunt, quàm vt de ea vllo rationum, aut auctoritatum pondere deiici poſſe videantur: alterum, quòd videbam tam multos tam doctè, & copioſe de eo ſcripſiſſe, vt neſcirem, vtrum eſſet difficilius, de eodem ſcribentem non eadem repetere, quod magnopere ſtudui, an eadem melius, ac limatius dicere, in quo etiam non mediocriter laboraui. Verum illam difficultatem charitas vicit, quæ omnia ſperat. Hãc verò vtrum vicerim, eorum erit iudicium, qui noſtra hæc legerint, & tuum cum primis SALVIATE, ad quem hos libros mediocri diligentia ſcripſimus, cui totum hoc argumentum non parum conuenit, in quo vna cum collegis tuis pontificale oſtium cœleſtiſque ianua tanquam in cardine vertitur, vnde dictos eſſe Cardinales præclare ſcripſit ſapientiſſimus Pontifex Leo nonus. Hoc fortaſſe videbor aſſecutus, vt quæ ſpinoſa quadam ſubtilitate inconditè, & prolixè ab infinitis aliis tractata ſunt, ea à nobis tribus paruis libris plane ac diſtincte comprehenſa eſſe videantur, quorum primo explicabo ſcripturæ ſanctæ loca vtiliſſima illa quidem tum ad docendum, maiorem eſſe auctoritatem Pontificis quàm conciliorum omnium, oſtendendumque in ea re lucem

veritatis, tum ad coarguendum errorem contra ſentientium, reducendumque errantes in viam rectam rectè ſentiendi, & bene, ac religioſe viuendi. Has enim vtilitates tribuit Apoſtolus ſcripturæ ſanctæ: Omnis (inquit) ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum ad arguendum, ad corrigendum, & ad erudiendum in iuſtitia. Et Salomon, quem tum ſæpe aliàs, tum hîc imitatus eſt Paulus, in Prouerbiis inquit, Lucerna mandatum legis, & lumen, & via vitæ, & reprehenſio, & doctrina. Feci autem hoc aliquanto copioſius explanationibus altius repetitis, vt omni ſpecie erroris ab imo retecta, atque à fundo excuſſa, facilius ipſa per ſe iam veritas oſtenderetur. Secundo libro Decreta ſanctarum Synodorum, ſanctorumque patrum teſtimonia mirifice cum ſcriptura ſancta congruentia recitabo. Tertio libro eodemque extremo reſpondebo conuenienter ſcripturis ſanctis, ad rationes aduerſus nos ſentiẽtium, eas præſertim, quibus ſe illi magis iactant, quæque validiores eſſe videbantur, etſi falſa ſpecie probabilitatis extrinſecus velatæ, ac veſtitæ, & quibus diluendis plus vtilitatis, ac doctrinæ afferri poterat. vt Præceptum eſt (inquiunt) Petro his verbis, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Ac paulo poſt, Si eos, teſtes inquam adhibitos nō audierit, dic eccleſiæ, tanquam ea eſſet futura iudex. Ac proinde maiore auctoritate, Si autem eccleſiam nō audierit, tanquam ſumma auctoritate præditam, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Et apoſtoli, in quibus erat Petrus eorum princeps, cum ſenioribus in eo decreto, quod ad fratres ex gentibus miſerunt, non inquiunt, Viſum eſt ſpiritui ſancto, & Petro principi noſtro, ſed, viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis, id eſt eccleſiæ, tanquam ea præſtaret authoritate. Deinde Apoſtoli, qui eccleſiam repræſentabant, cum audiſſent (inquit) quod recepiſſet Samaria verbum, miſerunt ad

eos Petrum, & Ioannem, quaſi vtrumque ex æquo miniſtrum eccleſiæ. Præterea quemadmodum non ſit infra eccleſiam Pontifex, cum poſſit fieri hæreticus, non autem ſtatim vt eſt hæreticus, vitandus ſit, ſed ſicut ſcriptum eſt. Hęreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, vt verò vitetur, neceſſe ſit priuare eum pontificatu, quod vocant deponere, at id perfici nō poſſit, niſi cum pontifice, velut cum reo agatur ex lege, ex quo rurſus ſequatur eſſe eum infra auctoritatem eccleſiæ catholicę? Deinde, ſoli ne pontifici liceat impune in terris flagitiosè, & ſcelerate viuere? Nullus ne erit, qui corrigat? Sola eccleſiaſtica Reſpub. peius erit inſtituta, quàm ciuilis? Præterea Synodus Conſtantinopolitana, ac Calcedonenſis nōne ſuis decretis ſedi apoſtolicæ, id eſt, pontifici priuilegia tribuerunt, imo cum ea fere ſedem Conſtantinopolitanam æquarunt? Et Cōſtantienſe, ac Baſileenſe ſancta etiam, & generalia concilia an non clariſſime ſanxerunt concilium eſſe ſupra Papam? Et quid? Nonne vel ipſe pontifex plus auctoritatis tribuit eccleſię, quàm ſibi, cum ait ſcribens ad Theophilum, & Anyſium, ſicut eſt in decimo libro epiſtolarum Ambroſii, Cum huiuſmodi fuerit concilii Capuenſis initium, vt finitimi Bonoſo, atque eius accuſatoribus iudices tribuerentur, & pręcipue Macedones, qui cum epiſcopo Theſſalonicenſi de eius factis cognoſcerent, aduertimus, quod nobis iudicandi forma non competeret. Nam ſi integra foret Synodus hodie, rectè de iis, quę comprehendit veſtrorum dictorum ſeries, decerneremus. Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis iudicium, ſententiam ferre de omnibus. Et Auguſtinus in epiſtola ad Glorium & Eleuſium, & Felicem grammaticum Donatiſtas: Ecce (inquit) putemus illos epiſcopos, qui Romę iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe (numerarat autem in illis Melchiadem pontificem) reſtabat adhuc plenariū

eccleſiæ vniuerſalis iudicium, vbi etiam cum ipſis iudicibus poſſet agitari cauſa, vt ſi male iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur. Et quod idē Auguſtinus non vno in loco affirmat, Petrum in perſona eccleſię poteſtatem accepiſſe clauium. Deinde quemadmodum pontifex, cum errare poſſit, ſupra eccleſiam ſit, quæ nō poſſit? Aut quemadmodum qui poteſt eſſe omni genere criminum obligatus, neque iudicari, neque puniri poſſit ab eccleſia ſancta, & immaculata, columna, & firmamento veritatis? Quomodo ſanctam eccleſiam, catholicam credimus, ac confitemur, de pontifice verò tacetur in Symbolo? Adhæc cum teneatur pontifex parēre decretis eccleſię, quemadmodum non ſit ſubiectus illi, ac proinde infra illam? An nō hoc Zoſimus Papa ſenſit, cum ait: Cōtra ſtatuta patrum ne huius quidem ſedis valet auctoritas? Poſtremo Gregorius de quatuor conciliis, quæ vniuerſali (inquit) conſenſu ſtatuta ſunt, ſe, non illa deſtruit, quiſquis præſumit abſoluere, quos ligant, aut ligare, quos abſoluunt. Huiuſmodi argumentis, & rationibus, non ſecundum ſpiritum, ſed ſecdũum literam, id eſt, non ſecundũ ſenſum perfectum, & latentem, ſed ſecũdum imperfectũ, & extrinſecus apparentem compoſitis, ceu quibuſdam machinis, & telis inſtructi, & armati ſunt aduerſarii: at arma noſtra non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollētem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigētes omnem intellectum in obſequium CHRISTI, id eſt, non ſunt noſtræ rationes humano ingenio adinuentæ, neque ex elementis mundi, aut philoſophia, aut traditione hominum per inanem fallaciam, ſed ex fide, ac reuelatione ſanctarum ſcripturarum ductæ ad refellēdas, ac coarguendas falſas eorum rationes, qui ſe aduerſus pontificem efferunt, quod eſt intellectum eorum in captiuitatem redi-

gere, ſi tamen reuelatis credere voluerint. Vt enim inde incipiam, ſicut reuelatum eſt Petro myſterium magnum in CHRISTO, vt diceret. Tu es filius Dei viui, quia dixerat Pater cœleſtis miſſa de cœlo voce. Hic eſt filius meus dilectus, &cet. Sic nobis reuelatum eſt myſterium magnũ in eccleſia catholica per CHRISTI filii eius vocem, per apoſtolorum, qui eam audierunt, & teſtes fuerunt, prædicationem, per ſcripturam denique ad noſtram eruditionem, confirmationem, & conſolationem relictam, in qua clariſſima voce pronunciatum eſt: Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Et ſicut audierant alii de illa cœleſti voce. Hic eſt filius meus, ſolum tamen Petrum beatum prædicauit, quòd ei pater reuelaſſet magnificam illam cõfeſſionem. Sic etiam multi hoc legunt in Euangelio, ædificatam eſſe eccleſiam ſuper hanc petram. Multi hoc audiunt in eccleſia prædicari, quibus tamen non reuelatur hoc myſterium, quin potius (vt ſcriptum eſt ab Eſaia propheta) aure audient, & nõ intelligent, quia ſcilicet non vident, quid audiant, neque audiunt, quæ dicantur. Cum audiunt illa: Super hanc petrãm ædificabo eccleſiam meam, &: Paſce oues meas, &: Tu conuerſus firma fratres tuos; & illud Apoſtoli: myſterium hoc magnum eſt in CHRISTO, & in eccleſia. Idcirco nõ dat eis Dominus intellectum, imò variis erroribus implicantur. Sic enim Dominus apud Marcum, cum parabolas loqueretur, diſcipulos monuit: Videte (inquit) quid audiatis. Deinde ſubiunxit ſincere attentionis & ſtudii ſciendi fructum. In qua (inquit) menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adiicietur vobis. Qui enim habet, dabitur ei, & qui non habet, id etiam, quod habet, auferetur ab eo. Similiter Paulus Dominum imitatus ſcribens ad Timotheum, & eundem hortans ad officium boni diſcipuli, ac boni aliorum magiſtri, cum parabolam athletæ, & militis, dein-

" de agricolæ poſuiſſet, ſubiunxit, Aduerte, quæ dico.
" Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.
Laudauerat autem in eo paulo ante fidem non fictam,
" ſcilicet, Dat Dominus intellectum myſteriorum, o-
" mniſque veritatis iis, qui eũ ſic quærunt, vt de Domi-
no ſentire, & vt eum quærere Salomon in Sapientia
pręcepit, nempe in bonitate, & ſimplicitate cordis,
" quod deinde explanans idem. Quoniam inuenitur (in
" quit) ab illis, qui non tentant illum, id eſt, ab iis, qui
non cõfiſi ſibi, ſuiſque ingeniis, atque cogitationibus,
ſeipſos ſapientes exiſtimant, quod eſt Deum tentare.
" Deinde ſequitur: Apparet autem iis, qui fidem habent
" in illum. Hoc enim eſt quærere in ſimplicitate, id eſt,
" fidenter, ſicut eſt in Prouerbiis, Qui ambulat ſimplici-
ter, ambulat confidenter. Non enim Deus falli poteſt,
aut fallere item. Simplicitas pendet ex obedientia, &
obedientia ex fide, vt tradit. B. Macarius loquens de cõ
nexione virtutum. Qui autem neque aliud, neque ali-
ter ſentiendum eſſe arbitratur, quàm quod ipſi, & vt
ipſi videtur, hic doloſe agit, in hoc fides ficta eſt, id eſt,
hic non quęrit in bonitate, atque ſimplicitate Domi-
num. Hic neque videt, quid audiat à Domino, neque
aduertit, quid ab eo dicatur. Quare huic nõ dabit Do-
minus intellectum. Huius animam appellat Salomon
in eodem loco κακότεχνον, id eſt, falſa arte, & via non
recta Deum quærentem, in quam idcirco ſapientia (vt
idem ait) non introibit. Huiuſmodi ſunt, qui de qua
nunc loquimur re, non quęrunt videre, quid in ſcriptu
ris audiant, ſed potius ſe, ſuaſque rationes, & opinio-
nes hominum domi pręiudicatas audiũt, neque aduer-
tere, quid ab eccleſia dicatur, & quid à ſanctis patri-
bus, ſed potius quęrunt, quid Ocham, quid Marſilius
Patauinus, quid Baſileenſes, quid Gerſon, Abulenſis,
Cuſanus prophetarint, vel potius ſomniarint. Hæc
ideo à me tam multis verbis dicta ſunt, vt intelligant

iſti

iſti tandem erroris ſui originem, & in viam recte intelligendi, quam eis demonſtramus, redeant aliquando, ſi placet. Videamus ergo primum quid audiamus, & aduertamus quid dicatur, cum audimus quod a Domino dictum eſt Petro, de cuius perpetuo pontificatu nunc agitur: Et ego (inquit) dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Quem locum euangelii, ſi recte intelligerent, nunquam profecto de auctoritate pontificis ſupra eccleſiã catholicam dubitarent, qui, vt imperiti architecti, ne que ipſi ſciunt, quæ fundamenti, ac reliqui ædificii ratio ſit, neque ab eccleſiæ doctoribus architectis prudentibus quærunt. Ergo fuit eccleſia ante mundi conſtitutionem à Deo dilecta & electa ſuo alioqui tempore, mundo ſcilicet creato, gignẽda, ędificanda, & plantanda. Neque enim fuit nouum conſilium, ſed antiquum, & verum, vt Eſaias prophetauit, quod ipſum ſcriptura toties teſtatur, & repetit aduerſus eos, qui œconomiam CHRISTI & Euangelii nouum inuentum eſſe putabant: Venite.n.(inquit) poſſidete regnũ, quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi &c. Et Apoſtolus, ſicut elegit nos ante conſtitutionem mundi. Et illud myſterium abſconditum à ſęculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum, & alia huiuſmodi. Huius ergo eccleſiæ ante conſtitutionem mundi electæ, & ab initio mundi inſtitutæ, ſiue eam domum faciamus, ſiue vineam, ſiue corpus iuxta ſcripturæ tropos, ipſe Deus eſt ædificator eius, ac fundamentum, incrementum præſtans ædificationi, ipſe eſt agricola purgans, ipſe caput augmentum faciens in ædificationem ſui in charitate, qui quidem, non quia ſolus non poſſet tantæ molitioni, & ædificationi ſufficere, in quo ſolo ſummo lapide angulari omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, ſed infirmitati hominũ conſulens, ab ipſo ſtatim eccle

Eſa.25.

ſiæ ortu adiutores ædificationis adhibuit ſanctos Pro phetas Adam, Enoch, Noë, Abraam, Iacob, Moiſen, Dauid, Eſaiam, & cæteros omnes, qui homines hominibus ſimili infirmitate carnis circundati, facti ſunt ad maiorem Dei notitiam capiendam, velut totius mũdi magiſtri ſchola, & gymnaſium(vt magnus Athanaſius ait.) Hi enim ſpiritu ſancto inſpirati, & ſecundum prophetiæ gratiam locuti, fidem creationis mundi præteritæ, eccleſiæ catholicæ tradiderunt. Nam quemadmodum fide intelligeremus, aptata eſſe ſecula verbo Dei, & ex inuiſibilibus viſibilia facta, niſi audiſſemus? Fides enim ex auditu. Aut quomodo audiſſemus niſi per veros Prophetas? Falſi enim neque præterita illa, neque futura ſcire poterant. Sicuti Propheta

Eſa 41. Eſaias de falſis prophetis ait: appropinquent, & enar-

Ibid. 43 rent vobis ventura, aut priora. Et alias. Quis nunciabit hæc, aut quæ à principio? Hi præterea aduentum CHRISTI, qui erat expectatio omnium gentium, ac nouæ legis myſteria prædixerunt, ac præſignificarunt vt ſcilicet fides in myſteriis legalibus mundationum, oblationum, & ſacrificiorum myſtice clauſa, & in prædictionibus prophetarum contenta ſuo tempore reuelanda, facilius reciperetur, & non tunc primum decreta nouo conſilio, ſed longe ante, ab initio ſcilicet, & ante ſecula definita intelligeretur, contra eos, vt dixi, qui Euangelium nouum inuentum eſſe putabant, de quibus. B. Ignatius in epiſtola ad Philadelph. Audiui (inquit) quoſdam dicentes Euangelio non credam, niſi reperiam in antiquis. Hi quoque prophetæ futura prædicebant, ſiue mala, ſiue bona, illa quidem, vt præcauerent homines, aut ſi nollent, vt non fortuito euenire putarent, ſed ipſos fuiſſe auctores, qui non præcauiſſent, Hæc verò id eſt bona, vt homines bona ſpe recreati patienter aduerſa tolerarent, & cum venirent bona ipſa, Deo accepta grato animo ferrent,

atque ita vtroque genere prædictionis bonorum, & malorum in fide prouidentiæ diuinæ confirmarentur. Hoc itaque eſt ſuperædificatos nos eſſe, id eſt, eccleſiam catholicam ſuper fundamentum prophetarum. Non ſolum enim ad ædificationem Iudæorum, tametſi eorum in primis, & proprie, ſed ad vtilitatem quoque gentilium dati ſunt, ſicut ipſa electio populi, & lex Moiſis, & miracula licet Iudæorum propria, ad gentilium quoque ædificationem pertinebant. Ita enim interpretãdum eſt, Quod ait Deus de Hieremia, „ Prophetam in gentes poſuite. Quod enim Dauid in„quit, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua „ non manifeſtauit eis, ſignificat non eſſe gentilibus datam tantam Dei notitiam, ac ſapientiam, quod decla„rat Baruch, Non elegit (inquit) gigantes, neque viam „ ſapientiæ dedit illis. Et paulò poſt: Ipſe inuenit viam „ ſcientiæ, eam Iacob, & Iſraeli dilecto dedit. Beati ſu„mus Iſrael, quia nota ſunt Dei placita. Significat præterea non eſſe collata tot ac tanta beneficia omni miraculo plena in aliam gentem, quanta in populum Dei. Quod quidem Dauid in libro Regum ſecundo decla„rauit, Quæ eſt (inquit) vt populus tuus Iſrael, gens in „ terra, quam iuit Deus, vt redimeret eam ſibi in popu„lum, & poneret ſibi nomen, faceretque eis magnalia, „ & horribilia ſuper terram à facie populi, quem rede„miſti ex Aegypto? &c. Et in Deut. Scriptum ſimiliter „ eſt: interroga de diebus antiquis ex die, quo creauit „ Dominus hominem ſuper terrã à ſummo cœlo vſque „ ad ſummum eius, ſi facta eſt aliquando huiuſmodi res, „ aut vnquam cognitum eſt, vt audiret populus vocem „ Dei loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti, & vidiſti, Et quæ ſequuntur de admirabili illo exitu ex Aegypto, & ingreſſu in terrã promiſſionis tot prodigiis, & miraculis editis. Hac itaque ratione, & modo eccleſia catholica ædificata eſt ſuper fundamentum

prophetarum, per quos ipſa primum accepit ex auditu firmamentum fidei, per quam (vt Apoſtolus ait) radicati, & ſuperædificati ſumus in CHRISTO, ſicut didicimus, ſcilicet ex Prophetis, & Apoſtolis, de quibus ſtatim dicam. Cum vero Prophetas dico, legem quoque intelligo per Moſen excellentiſſimum prophetam datam. Ad ædificationem ergo huius eccleſiæ catholicæ, quę prius fuit in paucis ſanctis, deinde in cuncta Iudæa, poſtea vero in cuncto orbe vſque ad extremum terræ, facta iam tunc, ſicut eſt in canticis, tanquam luna perfecta, lumen vbique, & ex omni parte mundi à CHRISTO vero Sole accipiens, ex quo ſcilicet venit plenitudo temporis, vt mitteret Deus filiũ ſuum factum ex muliere, ſicut ante mundi conſtitutionem decreuerat, Tunc inquam, ad ædificationem huius eccleſiæ catholicæ acceſſit etiam fundamentum Apoſtolorum, quos Deus totius alioqui orbis magiſtros futuros, & fidei reuelatæ prædicatores in ædificationem corporis CHRISTI elegit ex eodem populo Hebræo, cui ipſe primum promiſſus, natus, & datus fuerat, ex quo prophetas velut totius etiam orbis magiſtros, & fidei reuelandæ prænuncios ante elegerat, vt ſcilicet vna, eademque fides, vna item, eademque eccleſia (ſicut ſcriptum eſt) à gloria in gloriam eadem facie trãsformata, atque idem vtriuſque legis auctor eſſe intelligeretur. Iuſſit autẽ eidem populo prius Apoſtolos prędicare, tum quia cõueniens erat naturę rationi, & myſterio œconomiæ, vt propinquioribus, & Lege Moiſis, tanquam à Pædagogo inſtructis, & vmbra, ac typis Euangelii (vt ita dicam) catechizatis, Euangelium ipſum prius denunciaretur, tum vt intelligerent homines, ideo Euangelium CHRISTI prius Hebręo populo prædicari, quia ex eo CHRISTVS natus eſſet, ex quo rurſus intelligerent homines, ideo etiam tantam populi illius curam antea habi

tam fuiſſe, quia ſcilicet CHRISTVS ex eo populo naſciturus eſſet, atque ita rurſus, non nouum conſilium aduentus eius tunc initum, & ſuſceptum eſſe ex iſtimaretur, cum CHRISTVS aduenit, ſed multo ante ſcilicet ex æternitate, quod, vt ſupra iterum admonui, ſæpe repetit ſcriptura ſancta aduerſus eos, qui nouellam eſſe eccleſiam ſuſpicabantur, quæ erat tamen ante conſtitutionem mundi electa, & ab ipſo ortu hominis in lucem edita, & inſtituta. Idem quoque in regno Dauid eccleſiæ catholicæ typo, & Zorobabele typo CHRISTI docuit vetus ſcriptura, vt cum ait Micheas loquens de ipſo Zorobabele rege futuro ex domo Da„uid, Et egreſſus eius ex diebus æternitatis, perinde atque diceret, quod rex eſſet futurus Zorobabel, non eſſe nouum conſilium, ſed proficiſci ex illa promiſſione facta quidem Dauid aliquando de perpetuitate regni in domo eius, decreta vero ex æternitate propter CHRISTVM regem ſeculorum ex ſemine Dauid in Bethleem natum, vt Zorobabel. Ergo ædificatam eſſe eccleſiam catholicam ſuper fundamentum legis, prophetarum, & apoſtolorum, ſit, vt ita nunc diffiniamus, firmamentum fidei, cuius dator eſt Deus, ex magiſterio legis, & prophetarum, & prædicatione Apo„ſtolorum accepiſſe, ſicut Apoſtolus ait. Sic autem præ„dicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt CHRI„STVS, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, „ſed, ſicut ait ſcriptura, quibus nō eſt annunciatum de „eo, audierunt. &cæt. Quod quidē magiſterium, & miniſterii opus, vt Paulus loquitur, cum ex æquo eſſet omnibus Apoſtolis iniunctum, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio. Miſit eos prædicare regnum Dei, ſcilicet vniuerſæ creaturæ, ſicut in alio loco ait ſcriptura, eſſetquè ex æquo quiſque eorum hac ratione fundamentum eccleſiæ. Vnde Dionyſius Areopagita eos appellat ὁμοταγεῖσ id eſt eiuſdem ordinis, Anacletus vero,

Cyprianus, & Athanaſius, atque Leo magnus & alii pari honore, & poteſtate præditos, ſicuti de ſanctis prophetis dici quoque poteſt. Idcirco quod ait Euangelium de ſolo Petro, ædificandam eſſe eccleſiam ſuper eum, tanquam ſuper fundamentum, intelligi non poteſt de ſola hac communi ratione fundamenti, qua (vt dixi) pares fuerunt Apoſtoli in diaconia, ſiue miniſterio apoſtolatus, & par auctoritas doctrinæ eorum, ac poteſtas in iis omnibus, quæcunque ad prædicationé regni Dei aliqua ratione pertinere poterant, vt in miraculis faciendis, ſicut ſcriptum eſt. Et dedit
» eis poteſtatem immundorum ſpirituum, vt eiicerent
» eos, & curarent omnem languorem, & omnem infir-
» mitatem, & paulopoſt, hos duodecim miſit Ieſus. Fuerunt ergo pares poteſtate ac ratione paſtorali & apoſtolatu, licet Petrus, vt Leo magnus ait, in apoſtolica dignitate primus, id eſt nō fuerunt pares in proſtaſia, ſiue præſidentia. Petro enim voluit Dominus cunctū populum Chriſtianum commiſſum eſſe, eumque cæteris omnibus præeſſe, quicūque vellent eſſe vnius ouilis oues & membra corporis CHRISTI, quod eſt eccleſia, cum dixit ei, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, Sic enim appellaſſe Petrum tradunt ſancti doctores eccleſię, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alii, quos prætereo, omnium verò luculentiſſime magnus Baſilius in com
Cap. 2. mentariis Eſaiæ prophetæ, petram inquit appellauit petrum propter firmitatem maximam fidei, & propter infractum robur animi ad non cedendum plagis tentationum, ac periculorum. Super quam petram promiſit Dominus ædificare eccleſiam ſuam, quare in eandem ſententiam redit, quod doctores ſancti alii aliis verbis interpretati ſunt ædificatam eſſe eccleſiam, aut ſuper confeſſionem fidei, id eſt ſuper petrum confitentem bonam confeſſionem fidei, aut ſuper ſedem

apoſtolicam id eſt, ſuper pontificem ſedentem in ſede apoſtolica, deſignat autem ſedere in ſacra ſcriptura firmitatem, atque auctoritatem regalem, ſiue pontificalem, aut ſuper petrum, qui clariſſime omnium interpretati ſunt, aut ſuper petram id eſt, ſuper Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt, petra autem erat Chriſtus, & fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præterquam quod poſitum eſt quod eſt Chriſtus Ieſus, tametſi hos quidem fundamentum eccleſiæ incrementum præſtans ędificationi eius, quod non eſt aliud pręter Dominum Ieſum, de quo Apoſtolus loquitur, diſtinguere oportuit à fundamento eiuſdem non dominante, ſed miniſtrante, ideſt, in opus miniſterii poſito, de quo Dominus in eo loco Euangelii, quem tractamus, loquitur. Nomine itaque petrę, ſiue fundamenti, cuius eſt tum ædificium portare, ſicut radicis ramos, tum firmare, & ſtabilire, auctoritatem ſummæ poteſtatis, ſiue præſidentiæ Petri, ac perpetuitatem ſignificauit. Hoc autem ita eſſe vel ipſa Euangelii conſequentia declarat. Statim enim poſtquam de fundamento dixit, ſubiunxit Dominus, Ti-
» bi dabo claues regni cœlorum, & portæ inferi non prę
» ualebunt aduerſus eam. Scilicet ſunt claues ſymbolum poteſtatis, ac præſidentię, vt perſpici quoque poteſt in illis clauibus pontificatus, quas promiſit Deus per prophetam Eſaiam Eliacim filio Elchiæ futuro ponti- Eſa. 22.
» fici. Erit (inquit) in die illo, vocabo puerum meum
» Eliacim filium Elchiæ, & induam illum ſtola, & coronam dabo illi. Pertinent verò hæc ad ornatum pontificis, quorum alterum, id eſt, coronam, ſymbolum eſſe imperii, ſiue regni, ſtolam autem, quę varia eſt, & multiplex, pro varietate partium corporis, vt rationale, humerale, tunica, quæ omnia Moiſes vocauit ſtolas, ſiue veſtimenta, ſymbolum eſſe œconomiæ, quæ varia eſt in domo Dei, cui præeſt pontifex tanquam fide

lis paterfamilias, ipſe Dominus per prophetam expoſuiſſe videtur. Subiungit enim loquens de Sobna auaro, ſuperbo, & flagitioſo pontifice, vt interpretatur
„ Euſebius. Et imperium tuum, & œconomiam tradam
„ in manus Eliacim, & erit tanquam pater habitanti-
„ bus Hieruſalem, & habitantibus Iuda. Deinde ſequi-
„ tur, Et dabo illi clauem domus Dauid ſuper humerum
„ eius, & aperiet, & nemo claudet, claudet, & nemo aperiet. Perinde atque diceret (vt idem Euſebius interpretatur) dabo Eliacim pontifici, vt cum omni auctoritate, & poteſtate præſit pontificatui in regno Iudæ (ita enim interpretandum puto, dare pontifici clauem domus Dauid) ita vt nullus contradicat, neque repugnet factis eius, vt ea conuellat ac labefactet, ſitque fixus, ac firmatus in munere, & adminiſtratione ſua, &c. Id enim ſignificat dare clauem ſuper humerum eius, Si quidem roboris, ac firmitatis ſymbolum eſt humerus, ſicuti fundamentum, ſiue petra. vt iam perinde ſit, quod eſt in Euangelio de ædificanda eccleſia ſuper fundamentum Petri, & clauibus ſtatim pro-
„ miſſis, atque ſi diceretur iuxta tropum Eſaiæ, quo vſus eſt in Eliacim Hebræo pontifice typo noſtri pontificis, Tibi dabo claues regni cœlorum, id eſt domus CHRISTI ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſuper humerum, ſiue ſuper fundamẽtum tuum, id eſt claues firmæ, & perpetuæ auctoritatis, vt aperias, & nemo claudat, claudas, & nemo aperiat. Cæteri enim, tum archiepiſcopi, ſiue metropolitani, & patriarchæ ſucceſſores Apoſtolorum (vt ait Dionyſius Areopagita.) Quod quidem deſignat pallium illud, quod ad ſolos archiepiſcopos, & patriarchas mitti ſolet ſumptum de corpore B. Petri principis Apoſtolorum, Tum epiſcopi ſucceſſores eorum, quos ipſi apoſtoli mittebant, vt etiã veteres tradiderunt, nõ ſic claudunt, vt nemo aperiat, neque ſic aperiunt, vt nemo claudat, Non enim

acceperunt claues regni cœlorum ſuper humerum, aut ſuper fundamentum,quod ipſi ſunt,quin alius poſſit aperire,ſi illi clauſerint,aut claudere, ſi illi aperuerint,aut etiam claues de manibus extorquere, ſi velit. Neque neceſſe eſt, vt illi ſuccedunt in Apoſtolorum locum, ita quoque ſuccedant in parem auctoritatem, id eſt apoſtolicam, Quia ſcilicet nulli eorum, quibus ſuccedunt, dixit Dominus, quod Petro dixit, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam Hieroſolymitanam, aut Epheſinam, aut Alexandrinam, vt neceſſe ſit, qui Iacobo ſucceſſit Hieroſolymis, aut Ioãni Epheſi, aut Marco Alexandriæ, parem cum illis habeat auctoritatem, quod hæretici volunt, vt ſucceſſores Petri tollant, cui ſoli dictum eſt, Super hanc petram, id eſt, ſuper Petrum ita conſtanter ac fideliter confitentẽ ædificabo eccleſiam meam. Quibus verbis præter auctoritatem regalem, ac pontificalem ad ſtabiliendum, & firmandum populum Chriſtianum, id eſt eccleſiam, ſicut ſcriptum eſt, Rex ſapiens ſtabilimentum populi, Perpetuitatem quoque ſucceſſionis in regno eccleſiæ vſque ad ſecundum aduentum ſignificauit Dominus iuxta alium tropum ſcripturæ non diſſimilem. Cum enim promitteret Dominus regi Dauid perpetuam ſucceſſionem regni in domo eius, Firmabo (inquit) regnum eius, & ſtabiliam thronum eius vſque in ſempiternum. Et paulo poſt, Et thronus tuus erit firmus in ſæculum. Rurſus paulo infra, Reuelaſti auriculam ſerui tui, dicens, ædificabo tibi domum. Sic nunc in hoc Euangelii loco, in quo verſamur, ædificare CHRISTVM ſuper petram regnum ſuum, id eſt eccleſiam, eſt firmare illam perpetua auctoritate fidelis regis eccleſię, id eſt pontificis, vt ſit thronus eius firmus, vſque ad conſummationem ſæculi, quod ſtatim declarauit, cum ſubiunxit, quod paulo poſt copioſius explanabimus, & portæ inferni non præualebunt aduerſus eam, Sap 6.

id eſt, non interibit eccleſia hęc, neque deſinet eſſe ſic ædificata vſque ad conſummationem ſæculi. Sicuti regni Dauidici firmitas promiſſa eſt domui eius in æternum, id eſt, vſque ad aduentum primum eius, qui erat expectatio gentium iuxta prophetiam Iacob. Id enim ſignificare illud in æternum, aut in ſæculum ſæpe in vetere ſcriptura, explanatum eſt in tabula illa ærea poſita in Sion iuſſu Populi Romani ad teſtādam virtutem
» Maccabæorum. Quia (inquit) & ſacerdotes eorum
» conſenſerunt Simonem eſſe ducem ſuum, & ſummum
» Sacerdotem in æternum, donec ſurgat propheta fidelis, & cæt. Hoc autem de duratione regni Dauid vſque ad primum aduētum, ita euenit αἰσθητῶς, id eſt ſecundū literā, ſiue hiſtoriam, ſecundū vero ſpiritū, hoc eſt ſenſum latentem, & perfectiorem, tamdiu durabit regnū Dauid, quādiu durabit ecclſia, in qua vt. S. Anaſtaſius Synaites ait, cū Pontifice fideli regnat CHRISTVS de ſemine Dauid ſecūdum carnem, cuius regni Symbolū eſt ſolēnis illa pontificis coronatio. & regnabit vſque in ſæculū, id eſt vſque ad ſecundū aduentū, ſuccedente alio, atque alio pontifice vſque ad finē in hoc regno eccleſiæ. Animaduertenda verò eſt illa Euangelii perfecta, atque limata ratio, quam Græci ἀκρίβειαν dicunt, Non enim dixit, Super te ædificabo, ne forte ſuſpicarentur homines promitti ſucceſſionem fundamenti eccleſiæ naturalem, id eſt ex ſemine Petri, ſicuti in Dauid, ſed ſucceſſionem ex electione, cuius auctoritas à Deo per pontificem profecta eſt. De hoc ergo regno CHRISTI ſecundum humanitatem in catholica eccleſia Chriſtianorum, illud eſt accipiendum, quod Petrus dixit in actis Apoſtolorum, vt magnus Athanaſius interpretatur in libro de Incarnatione contra Arrium,
» Secure cognoſcat omnis Iſraël, quod Dominum &
» CHRISTVM fecit eum. Et illud Danielis, In diebus
» autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnū,

quod in æternum non diſſipabitur,& regnum eius alteri populo non tradetur. Commouet, & diſſipabit vniuerſa regna,& ipſum ſtabit in æternum.Poſt enim tria illa potẽtiſſima regna Babyloniorum, Medorum, Macedonum ſublata,& trãſlata,& ad extremum,ſublato etiam quarto Romanorum regno, quod licet ferreum eſſet iuxta Danielis interpretationem,& Dauidis prophetiam, facile tamen tanquam teſtam perfregit, vt more figuli refingeret, tunc inquam ſucceſſit regnum CHRISTI, hoc eſt Chriſtianorum, Omnes enim in CHRISTO vnum ſumus. quod quidem regnum Chriſtianorum idem dicitur Romanorum, Vt enim Babyloniorum regnum accipiẽdum eſt,eorum, qui ſucceſſerũt in Babyloniis, ſicuti Daniel ſomnium regis interpretans, Regnum (inquit) quod poſt te cõ ſurget, id eſt, poſt ſucceſſores tuos, Similiter Medorum,eorum, qui ſucceſſerunt Medis, ſublato, ac tranſlato regno Babyloniorum, & Macedonum, eorum, qui in Macedonibus,ſublato,ac tranſlato regno Medorum, & Perſarum, Similiter regnum,ſiue Imperium Romanorum accipiẽdum eſt, eorum,qui ſucceſſerunt in regno Romanorum,Chriſtianorum ſcilicet,eccleſię inquam Romanæ catholicæ,hoc eſt per totum orbem diffuſæ.cuius vis, & fama,atque auditus in omnes fines terrę peruaſit,vt olim Imperii Romani,imo multo magis.in qua cũ pontifice fideli rege ſpirituali, principe,paſtore, ac ſummo pontifice noſtro regnat CHRISTVS verus rex, ſecundum Melchiſedech pontifex factus in æternũ.in quo, vt omnes vnum ſumus, vt Apoſtolus ait,ſic in eo ſecundũ ſpiritum omnes regnamus, & ſumus ſacerdotes, non tamen, vt hęretici interpretantur, ſed ſicut ſcriptum eſt in Apocalypſi B. Ioãnis. Fecit nos regnum,& ſacerdotes: id eſt, regale ſacerdotium, vt Petrus ait, ſiue regnum ſacerdotale ad offerendas hoſtias ſpirituales,acceptas Deo per IESVM

CHRISTVM, & vt non regnet in noſtro mortali corpore peccatum, ſed regnet voluntas Dei, cui toti regno ſecerdotali præeſt vnus pontifex vicarius CHRISTI, qui (vt ſæpe dixi, & dicam ſæpius, cum pontifice regnat, & regnabit vſque in ſæculũ, id eſt, vſque ad ſecundum aduentum, ſicut ait Apoſtolus loquens de hoc regno, deinde finis cum tradiderit regnum, hoc eſt, nos Deo, & patri. Et paulo poſt, Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus eius, quando ſcilicet omnes reſurgemus, & ſiſtemur ante tribunal vnius iudicis incorrupti iudicaturi tunc orbem terræ futurum, de quo Apoſtolus loquitur ad Hebræos. qui tunc inimicos ſuos, qui noluerunt eum regnare, neque ei credere, ponet ſub pedibus ſuis, id eſt puniet, & diſſipabit, omnique principatu, ac poteſtate eccleſiæ euacuata, factus omnia in omnibus, ſolus iam (vt ait Anaſtaſius Synaites in libro contra Iudæos) obtinebit, tanquam pater futuri ſęculi regnum ſine fine, quod erit deinceps θεῖκὸν id eſt diuinum (vt ait magnus Athanaſius, non autem ἀνθρωπικὸν id eſt humanum, & regnabunt cum eo, quicũque
» ei crediderunt, & præcepta eius ſeruarunt, de quo re
» gno ſcriptum eſt, Regnabit Dominus cum eis in ſæcu
» lum. Et in Daniele, Regnum eius regnum perpetuum,
» & poteſtas eius in generationem, & generationes,
» quod non præteribit. Ergo vt ad propoſitum referam tam multa de fundamento eccleſiæ dicta, & de regno pontificis, atque CHRISTI, cum pontifex ſit radix & fundamentum eccleſiæ catholicæ, ac regni CHRISTI ſecundum humanitatem, ante conſtitutionem mundi decretum, & vſque ad conſummationem ſæculi duraturum, Qui auctoritatem eccleſiæ maiorem ponit quam pontificis, is profecto velle mihi videtur, vt rex eccleſiæ, cuius poteſtas regalis nõ a lege humana, vt in regibus ſeculi, ſed a lege diuina origenẽ habet, nõ diſ

ferat a rege ſeculari, qui ſi peſtifer ſit, ac tyrannus, eiici poteſt a ſubditis. Imo nolle videtur, vt CHRISTVS regnet, aut ita velle eũ regnare, vt eiici poſſit e regno, cũ regnet in pontifice, qualiſcunq. ſit, dum fide ſtat. velle itẽ vt rami aduerſus radicẽ glorientur, & ędificiũ aduerſus fundamẽtũ, quaſi non radix ramos, aut fundamentũ fabricã portet, ſed cõtra potius rami radicem, & fabrica fundamentũ, quo quid ſtultius eſſe poteſt? aut naturæ rerũ repugnãtius? Itẽ cum ędificium ſublato fundamento ruat, neceſſe ſit, Qui autem tollit ſoliditatem, ac firmitatem, perpetuitatem dico fundamenti huius, fundamentum ipſum tollat, ſequitur, vt is, quantum in ſe eſt, eccleſiam tollat, & CHRISTI regnum perpetuum. Tollit autem regni perpetuitatem non quidẽ non eſſe aliquo temporis ſpatio, vel etiam annis aliquot, ſi ita accidat, pontificem, cum quo regnat Chriſtus in eccleſia, & vſque ad finem regnabit: Sicuti non ideo non fuit perpetuum regnum Dauid, vt Deus promiſerat. Quia quamdiu fuerunt Iudæi in captiuitate Babylonica, regem non habuerunt, neque ideo non fuit verum, quod ſcriptum erat de Aaron, & filiis eius, erunt mihi ſacerdotes in religione perpetua, quia ſummo ſacerdote tunc caruerint, imo carere neceſſe fuerit, Siquidem extra Hieruſalem ſacrificare non poterant, ſine ſacrificio autem ſacerdotes creari non licebat, non (inquam) tollit perpetuitatem pontificatus in eccleſia catholica vacatio ſedis apoſtolicæ, quamuis diuturna, ſi ita accidat, ſed cum certus pontifex ſit, non tribuere ei ſuam auctoritatem, hoc hoc eſt pontificem tollere. Quid enim aliud eſt hoc, quam ex pontifice facere non pontificem? aut pontificis poteſtatem in aliam commutare formam? Aut quid aliud eſt claudente concilium pontifice, aperire velle, quam claues eius adulterare, qui claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit? Quod quidem à prophe-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ta Eſaia de Eliacim, tanquam de vmbra pontificis nostri dictum eſt de noſtro autē tanquam de imagine rei, id eſt CHRISTI. De CHRISTO ergo tanquā de re ipſa,
» & veritate, ſicut ſcriptum eſt, Vmbram habet lex fu-
» turorum bonorū, non ipſam imaginem rerum. CHRI-
» STVS itaque vere habet hanc clauem, ſicut ſcriptum
» eſt in Apocalyp. B. Ioānis, Hæc dicit ſanctus, & verus,
» qui habet clauem Dauid, aperit, & nemo claudit, clau-
» dit, & nemo aperit. Ita enim Ioannes interpretatus
Eſa. 22. eſſe videtur prædictionem Eſaiæ de Eliacim, vt quod illic eſt, conſtituam eum in loco fideli, hic ſit verus, quia ſcilicet nunquam deficiet. Et quod apud Eſaiam
» dictum eſt, Dabo illi gloriam, Apud Ioannem dictum
» eſt, Sanctus, eſt enim ſanctitatis præmium gloria. Illud
» vero, Qui habet clauem Dauid, &cæt. eſt quod Ange-
» lus dixit Mariæ, Dabit illi Deus ſedem Dauid, Sedes enim auctoritatis, & poteſtatis Symbolum eſt. quo etiam tropo, & figura dicitur ſedes apoſtolica, ſiue claues regni cœlorum, id eſt, claues tum eccleſiæ catholicæ, quæ eſt domus CHRISTI ex ſemine Dauid (ſic enim aliquando appellatur eccleſia in Euangelio) tum ipſius regni cœleſtis, ſicut eſt quodcunque legaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &cæt. Igitur qui aperiente pontifice, claudere tentat, aut illo claudente, aperire, is profecto clauem CHRISTI adulterat, & claues vicarii eius, cui talem poteſtatem dedit CHRISTVS. ſedéque Dauid, quam dedit CHRISTO ſuo Deus, occupare vult, quicunque ſedem apoſtolicā, in qua CHRISTVS de domo Dauid cum pontifice ſuo ſedet vſque ad conſummationem ſæculi, auctoritate ſua priuat. & qui fundamentum eccleſiæ petram, pontificem inquam mouere vult, is profecto neque ipſi ſummo angulari lapidi IESV CHRISTO parcit. Et cum ſcriptum ſit de vetere pontifice Eliacim, quod nō de illo, neque propter illum tantum ſcriptum eſt, Et

erit confidens in eo omnis glorioſus, à paruo, vſque ad magnum, quo deſignauit propheta omnis ordinis, omniſque ſtatus hominum ſtudium, & obedientiam in eum. Certe qui pontificis auctoritatem infra eccleſiam ponit, hic non confidit in eo, neque gloriam, & honorē quærit in domo eius, quare neque vitam æternam habebit, ſicut Apoſtolus ait, iis, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Imo ipſa eccleſia ſi ſe efferret in pontificē ſuum, nō confidens in eo, quantum licet, neque in eo, tāquam in fundamento nitens, profecto non eſſet glorioſa, neque eſſet totum corpus eius ex capite, qui eſt CHRISTVS, connexum, & (vt Apoſtolus loquitur) συμβιβαζόμενον id eſt, cōmode diſpoſitū, & coagmentatum, ita vt quodque membrū eius non ſolū ſit coniunctū, & copulatum, ſed, vt debet, loco ſuo locatum, vt motum & ſenſum, atque incrementū accipiat à ſpiritu CHRISTI. Vt.n. ὑπερβιβαζόμενον diceretur, quod eſt ſupra locatū, & ὑποβιβαζόμενον, quod infra, ſic συμβιβαζόμενον, quod neque infra, neq. ſupra eſt, quā debet. Atqui caput eccleſiæ catholicæ, qui eſt pon-
» tifex, infra eccleſiam ponit, queādmodum ſeruat hunc
» συμβιβασμὸν id eſt aptam locationē, ac coagmentationē, vt (ſicut Apoſtolus ait) ſecundū operationē ſiue energiam Dei in menſuram cuiuſque membri ſuppeditatā, augmentum corporis fiat in ædificationem ſui in chari-
» tate? Denique (vt huc locum finiam) qui pontificem
» facit minore auctoritate, quam ſit, grauius is quidem mihi peccare videtur, quam ſi eum occideret. Tyrannus enim, aut perſecutor, qui pontificem morte affecit in martyrio, corpus quidem perimere potuit, non tamen potuit facere, quin aliquando alius pontifex CHRISTI vicarius ſuccederet, ædificataque eſſet eccleſia ſuper petram, id eſt, ſuper ſedē apoſtolicam Romanam. At qui minorem facit pontificem, quàm ſit,

idem quantum in ſe eſt, pontificatum tollit, ſicuti Deũ tollit Iudæus, cum eum non facit trinum, & Arrius filium tollit, cum eum patre minorem facit, atque ita fa
» cit quantum in ſe eſt, vt portę inferi præualeant aduer
» ſus eccleſiam Dei ædificatam ſuper pontificatum Pe-
» tri, Hoc enim ſublato, eccleſia catholica ruit, & inte-
» rit. Item qui pontifice claudente, ab alio aperiri poſſe
» facit, aut aperiente, claudi, idem quoque facit, quantum quidem in ſe eſt, vt portę inferi præualeant aduerſus eccleſiam Dei ędificatam ſuper pontificem habentem claues regni cœlorũ, quibus claudit, & nemo inter homines aperit, aperit, & nemo claudit, omnis enim poteſtas ligandi, atque ſoluendi ab eo manat, tanquam ex fonte, quem Dominus aperuit in medio eccleſię ſuæ ſanctę, ceu in medio horti. Sed explanemus hoc loco copioſius, vt ſupra promiſimus, quid illud ſit, & portæ inferi non pręualebunt aduerſus eam. Repetam altius more meo collatis ſcripturis. Scriptũ eſt in Gen.
» Patrem multarum gentium conſtitui te, faciamque
» creſcere vehementiſſime, ponamque te in genti-
» bus, regeſque ex te egredientur, & ſtatuam pa-
» ctum meum inter te, & me, & inter ſemen tuum poſt
» te fœdere ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis
» tui poſt te. Et alias, Benedicam tibi, & multiplica-
» bo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & arenam, quæ eſt
» in littore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimico
» rum ſuorum. Hæc intelligenda eſſe ſecundum ſenſum latentem, & ſpiritualem, ac perfectum de ſpirituali natiuitate eccleſiæ catholicæ, ſpiritualique regeneratione per CHRISTVM ex fide, Dominus docuit in Euangelio Ioanns, cum de baptiſmo diſſerens, Nicodemo miranti, quod dixerat, oportere denuo naſci, & quærenti, quomodo poſſent hæc fieri, reſpondit, Tu es ma
» giſter in Iſrael, & hæc ignoras? perinde atque diceret,
» ſi Nicodemus non ignoraſſet, quẽadmodum Abraam,

factus

factus fuiſſet pater multarum gentium, & ſi memi-
" niſſet, atque intellexiſſet, quod ſcriptum erat, Credi-
" dit Abraam Deo, & reputatū eſt illi ad iuſtitiam, poſt-
" quam Dominus dixiſſet illi, ſuſpice in cœlum, & nume
" ra ſtellas, ſi potes. Et dixit ei, ſic erit ſemen tuum. Cre
didit enim in ſpem contra ſpem, vt Apoſtolus ait, vt
fieret pater multarum gentium, non conſiderās, quod
emortua eſſet vulua, corpuſque ſuum emortuum, Si
(inquam) hæc ex vetere ſcriptura intellexiſſet, agnouiſſet profectò promiſſos eſſe Abraæ innumerabiles filios ex fide, id eſt credentes omnes, ita vt idem homo poſſet bis naſci, eſſeque bis filius, ſemel naturæ, iterum vero promiſſionis, ſiue fidei, quæ erat iterata natiuitas, id eſt ſpiritualis, de qua loquebatur Dominus, quam Nicodemus non intelligebat, imo mirabatur immemor ſcripturæ. Ex quibus omnibus inter ſe collatis intelligimus, Deo reuelante per ſcripturas ſanctas, eccleſiam credentium ex tam multis Abraæ filiis per baptiſmum ablutis, & ſanctificatis conſtare, & tanto robore præditis, vt nunquam deficere poſſit ſecundum verbum promiſſionis, quin ſit futura innumerabilis eorum multitudo për totum orbem diffuſa, vſque ad conſummationem ſæculi, aliis ſcilicet, atque aliis ſuccedentibus, quæ reges ſemper ſit habitura fideles iuxta pactum fœderis ſempiterni. Vt enim ſemen Abraæ eccleſiam credentium accipimus ſecundum ſenſum ſpiritualem à CHRISTO & Apoſtolo expoſitum, Sic reges eccleſiæ credentium, id eſt, filiorum Abraæ, pontifices intelligimus ex lege, atque pacto diuino profectos. Quod vero ait Dominus, Poſſidebit ſemen
" tuū portas inimicorum ſuorum, mirifice cōgruit cum eo, quod eſt in Euangelio, Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, Ita vt portas inferi appellet inimicos huius ſeminis Abraæ, id eſt, eccleſiæ, vel fidei credentium. Vſque adeo autem non præualebunt ad-

uerſus eam, neque aduerſus ducem, ſeu regem eius, vt vincantur potius, & ſuperentur. Quod quidem ad exitum perductum eſt, vbicunque pulſa idololatria ſucceſſit cultus, & religio Dei, cui præeſt pontifex, prædicatumque eſt Euangelium CHRISTI. Quare qui pro eccleſia certare videntur, dum eam ſupra pontificem ducem, ac regem eccleſiæ, ponere volunt, profecto non pro ea, ſed aduerſus eam certant, quia ſcilicet aduerſus ducem eius, hoc eſt aduerſus firmamentum, & columen eius certant. Qui enim ducem, & regem oppugnat, exercitum eius, & regnum oppugnat, & (quantum in ſe eſt) dat operã, vt valeat aduerſus eam, ſed non præualabit, quia verbum Domini manet in
„ æternum. & ſicut ſcriptum eſt, Semen tuum poſſide-
„ bit portas inimicorum ſuorum, & ſuper hanc petram
„ ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non pręua-
„ lebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum &c. perinde .n. eſt, atque diceretur, Tradam tibi me confitenti eccleſiam perpetuo regendam miniſterio pontificali. Nomen enim ędificationis, & clauium, regimen deſignat, nomen vero petrę, fundamentum perpetuum fidei pontificalis. Cum autem loco Matthæi de ędificationis eccleſiæ fundamento iam expoſi-
„ to mirifice congruit locus ille ex Euangelio Lucę, Ego
„ rogaui pro te, ne deficiat fides tua, tu autem aliquando
„ conuerſus firma fratres tuos. Vt enim in loco Matthæi poſt generoſam illam confeſſionem, qua Petrus confeſſus eſt, CHRISTVM eſſe filium Dei viui, non quidem carne, & ſanguine reuelante, id eſt, non ex humanis rationibus, ſed reuelante patre de cœlis, qui teſtatus fuerat Chriſtum eſſe filium ſuum dilectum, Vt (inquam) poſt fidelem illam confeſſionem, ſtatim ſubiunxit Dominus de petra, & fundamento eccleſiæ, quod ad firmandum ędificium valere, nullus eſt tam rudis, & ignarus architecturæ, qui ignoret, Sic apud Lucam poſt mẽ

tionem fidei Petri, pro qua CHRISTVS, ne ſolus eſſe videretur, aut alienus à patre, ſe ait patrem rogaſſe, ne deficeret, ſubiunxit quaſi explicans vſum, atque vim fidei illius non deficientis, & promptitudinē propriȩ vo
» luntatis Petri. Tu autem conuerſus firma, nempe magiſterio, regimine, & auctoritate regali. Sicut ait Salomon, Rex ſapiens ſtabilimentum populi, firma (inquā) fratres tuos, ſcilicet fides, quam negando amiſerat Petrus, non defecit, quia non defuit dolor pœnitentiæ. Ita enim interpretatur B. Hilarius in libris de Trinita
» te. Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua, id eſt, ne ſaltem deſit dolor pœnitentiæ. Sic fides Marcellini non defecit, quia fides, quam non quidem corde (promptus enim erat ſpiritu, vt olim Petrus,) ſed opere ob infirmitatem carnis negarat, idolis ſacrificando, dolens recuperauit, eccleſiamque deinceps conuerſus firmauit, id eſt, fideliter rexit, vt bonum, & fidele fundamentum eius. Ex quo loco intelligimus, tunc fidem omnino cenſendam eſſe deficere, cum qui illam negauit ſiue corde, ſiue ore, aut opere tali, non conuertitur, neque conuerti paratus eſt, ac tunc deſinere eſſe pontificem, quòd ſi conuertatur, iam fide ſtare, ac proinde pontificem eſſe. Etenim ſi Petrus negare perrexiſſet, etſi ore tantum, ita vt nunquam conuerteretur, profecto fides eius defeciſſe videretur. Hoc aduerſus eos dixerim, qui de negatione Petri loquentes, falſo putant, ideo fidem eius non defeciſſe, quia corde crederet, cū tamen potius, quia ab eccleſia hoc cognoſci nō poſſet fideſque eius tūc deficere exiſtimaretur, ſi ore negare, vt cœperat, pergeret, potius inquā dicendū ſit, idcirco fidē eius nō defeciſſe iudicio eccleſię, quia paratus fuerit conuerti, imo cōuerſus fuerit. Ad hunc ergo modū fides pontificalis, vt hactenus non defecit, ſic non eſt defutura vſque ad conſummationem ſęculi, quando omnis poteſtas (ſicut ſcriptum eſt) euacuabitur, id

eſt, vt non defuit hucuſque Petri ſucceſſor fidelis, cum quo CHRISTVS regnaret regnum humanum ſecundum humanitatem, ſic non deerit in poſterum, cum quo ſic etiam regnet. Eodem itaque pertinet, oraſſe Patrem, ne deficeret fides Petri, & promiſiſſe ſuper petram pontificalem fidelis, & apoſtolicę confeſſionis ędificandam eſſe eccleſiam perpetuo, id eſt, ab vno paſtore fideli vniuerſam concordi, & fideli vnitate regiminis ſtabiliendam, & regendam. Neque vero huius promiſſionis fidem euacuarit, aut huius orationis effectum fruſtrabitur, ſi quis pontifex aliquando fidem amittat, quod quidē fieri poſſe non negamus, cum nemo credat, niſi volens, ſicuti ſcriptū eſt in Sapientia Si-
Eccl 15. rach, Fecit Deus hominē à principio, & poſuit illū in manu conſilii eius, ſi voluerit ſeruare mandata, & operari fidē beneplaciti. Pōtifices vero noſtros, vt non cōfirmauit Dominus in bonis operibus, quos quidem vt homines peccare ſcimus, ita non cōfirmauit in fide. Ad quid. n. in fide ſola cōfirmaret, cum fides ſine operibus mortua ſit? Sicuti confirmauit quidem in vtroque ſanctos Apoſtolos, quos induit virtute ex alto, cum acceperunt virtutē ſuperuenientis ſpiritus ſancti. Quemadmodū vero, aut qua ratione verum exiſtat, pontificem errare non poſſe, dicemus libro tertio, cum reſpondebimus ad rationes aduerſariorum. ex quibus vna eſt, quod aiunt, non poſſe eccleſiā, quæ errare non poteſt, infra pontificē eſſe, qui poteſt. Ergo ſi pōtifex amittat fidē, vt quidē poteſt amittere, non ideo (vt dixi) euacuata eſt fides promiſſionis, neque ideo caſſa, & irrita oratio ad patrē pro fide Petri, ſicuti neque quia in captiuitate Babylonica annis 70. nō fuit Rex de domo Dauid, aut quia fuit rex Herodes alienigena, idcirco non illud veriſſimum eſt, quod de Salomone ſcriptum eſt, Stabiliam thronum eius vſque in ſempiternum. Vt igitur nunquam defecit regnum Dauid, neque deficiet,

ſic neque fides Petri. Etenim ſi fides Petri deficeret, regnum quoq. CHRISTI ſecundũ humanitatem in terra deficeret, quod tamen deficere non poteſt vſque ad cõſummationẽ ſeculi, vt ſępe ante diximus, neq. piget ſępius repetere. Ergo, vt ad rẽ hęc conferamus, ſi Petro dictũ a Domino eſt, vt firmaret fratres ſuos, quod nos cum loco Matthęi de ędificatione eccleſię ſuper petrã cõgruere docuimus ſupra, Minor autẽ auctoritas non firmat maiorẽ, ſed potius maior minorem, ſequitur, vt maior fuerit auctoritas Petri, quam cæterorũ Apolorum, ac proinde totius eccleſiæ catholicæ, niſi hoc quoque audeant dicere aduerſarii, eccleſiam eſſe ſupra Prophetas, & Apoſtolos omnes, id eſt, diſcipulum ſupra magiſtrum. Sed veniamus iam ad illum locum Euangelii de paſcendis agnis, & ouibus a Petro, qui locus facile poteſt intelligi collatis ſuperioribus locis de Petro fundamento eccleſiæ perpetuo, de clauibus regni cœlorum ei promiſſis, & de firmandis ab eo fratribus poſt conuerſionem ſuam ad fidem, ex omnibuſque elici, quæ ratio auctoritatis, poteſtatis, miniſterii, ac muneris pontificii ſit, & quorſum ſpectet. Ergo paſcere, in quo ædificatio eccleſiæ conſiſtit, regere eſt, ac gubernare, vt ex infinitis ſcripturæ ſanctæ locis conſtat, quod quidem imprimis fide paſtoris fit, ita, vt cui hæc fides in magnum paſtorem CHRISTVM deſit, is neque firmare tanquam fundamentum ædificationis eccleſiæ, neque regere, vt paſtor, & rector, neque claudere, & aperire velut clauiger poſſit, cui autem nõ deſit, is poſſit paſtor eſſe, & curam habere viridium, quę ſunt in agro, ſicut ſcriptum eſt in Prouerbiis de paſto- Pro. 17.
re pecoris rationalis, id eſt, vt vireat religio, & cultus Dei in iis, quorum culturæ inſtar agri cuiuſdam præ-
„ eſt. Deinde ſequitur, Congrega fœnum montanum,
„ vt habeas oues ad veſtitũ, & honora campum, vt ſint
„ tibi agni. Perinde atque præciperet Salomon paſtori

habere curam viridium, ſicut expoſitum eſt, ad paſcen dum, oues quidem fœno montano, id eſt, grandiores firmiore cibo doctrinæ, & ſeueriori regimine, agnos vero herba ex planitie campeſtri, id eſt rudes, & teneros, atque infirmos faciliori doctrina, atque molliori tractatione, & gubernatione. Ne autem aliter hæc acciperentur, quam moraliter, id eſt, accommodate ad
» mores, ſtatim ſubiunxit auctor, Fili, a me habes dicta
» honeſta ad vitam tuam, & tuorum, quibus præes. Præcipit autem paſtori accurate, & vigilanter attendere gregi animarum ſibi creditarum, & curare diligentiſſime, vt perſpectum habeat, quid illis opus ſit, idque dum tempus habet. Neque enim cum ſit omnibus moriendum, ſemper futuram eſſe huius muneris paſtoralis poteſtatem. Non enim in altero ſeculo licebit hoc munus adminiſtrare, euacuato iam (ſicut ait Apoſtolus) omni principatu, & poteſtate, atque virtute. Sic
» itaque ait Salomon, Manifeſte cognoſces animas tui
» gregis, & adhibebis cor tuum tuis gregibus, quoniam
» non in ſeculum viro robur, poteſtas, & virtus, neque
» tradit ex generatione in generationem. Quamobrem poſtquam Dominus Petro præcepit paſcere oues, & agnos, ſtatim eum de morte admonuit, vt vel ſic quo-
» que ad immortalitatis ſtudium eum incitaret, Cum
» (inquit) eſſes iunior, cingebas te, &cæt. Et paulo poſt.
» Hæc autem dixit, ſignificans, qua morte eſſet Deũ glo
» rificaturus. Quod autem Dominus ter Petrum interrogauit, vtrum amaret ipſum, non id fecit (ſicuti Chryſoſt. ait in libro de Sacerdotio) vt diſceret, quantũ a Petro amaretur, ſed vt oſtenderet, quantum ipſe CHRISTVS oues, id eſt, eccleſiam amaret, ſignumque eſſe charitatis in Deum & quidem maximum, diligentem ouium curam, ſicut ſcriptum eſt in libro Sapiẽtię, Cura diſciplinæ dilectio eſt, & dilectio cuſtoditio legum illius, cuſtoditio vero legum confirmatio immor

talitatis. Cum ergo paſtoris ſit paſcere, id eſt regere, ac præeſſe, ad eumque ſpectet (vt tradit Salomon) videre, quid opus ſit ouibus, profecto qui eccleſiam vult eſſe ſupra pontificem, oues vult eſſe ſupra paſtorem, ad eaſque pertinere, videre, quid opus ſit paſtori, quo nihil eſt neque naturæ neque rationi, neque vitæ, neque diuinæ legi repugnantius. Sed veniamus iam poſtremo ad illum Apoſtoli locum, in quo poſtquam con„iugii legem meminit, Sacramentum (inquit) hoc ma„gnum eſt, ego autem dico in CHRISTO, & in eccleſia. Etenim ſi omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, quod ſcire opus eſt, & ad arguendum, ac prodendum errorem male ſentientium, profecto dubitandum non eſt, quin hæc Pauli anagoge perutilis ſit ad id docendum, quod de vicario CHRISTI, & ſponſa eius eccleſia inquirimus. Docuit ergo Apoſtolus coniunctionem connubialem viri, & vxoris ſacramentum eſſe, & quidem magnum in CHRISTO, & in eccleſia. Eſt enim CHRISTVS ſponſus, ſicut idem „teſtatus eſt, Qui ſponſam (inquit) habet, ſponſus eſt. „Sponſa autem eſt eccleſia, os de oſſibus eius, & caro de carne eius, id eſt communicans, ſicut ſcriptum eſt, carni, & ſanguini, quæ ſponſus participauit. qui cum adhæreat eccleſiæ, ſintque ex vno ambo, ſicut ait ſcriptu„ra, Qui ſanctificat, & qui ſanctificatur, ex vno omnes, „neceſſe eſt, vt ſic ſint vna caro, hoc eſt, homouſii, ſicut Dauid dixit populo Iſrael, Os meum, & caro mea vos. Item cum eccleſia adhæreat CHRISTO per ſpiritum, ſintque ex vno CHRISTVS, & ſpiritus eccleſiæ, qui eſt ſpiritus CHRISTI, ex vno (inquam) ſcilicet patre, neceſſe eſt, efficiantur vnus ſpiritus, ſicut ait „Apoſtolus, Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. „Sed incipiamus a primo ſacramento. Propter hoc (in„quit) relinquet homo patrem, & matrem, & adhære„bit vxori ſuæ. Propter hoc, ſcilicet quod Deus coniun

xit. Ita enim Dominus interpretatur in Euangelio, id eſt propter hoc vnum, quod ſunt vir, & vxor, ita Deo inſtituente. Sunt enim non iam duo, ſed vna caro, vt poſtea magis declarabimus. Propter hoc (inquam) relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori, ſcilicet anteponitur vxor parentibus, quia per coniugium fit, vt parentes dicantur, & exiſtant, per quod ſecundum legem a Deo conſtitutam augendum eſt genus hominum. Deinde addit, ſuæ, vxori inquam, quæ non iam patris, aut matris poſſeſſio eſt, ſed ſua, hoc eſt mariti. Vnde Iacob ad Labam quærentem Deos furto
» ſublatos, Scrutare (inquit) & quicquid tuorum apud
» me inueneris, aufer. Vxores itaque ſuas, filias Labam non amplius patris, aut matris appellat, ſed in ſuis nu
» merat. Et quidem paulo ante, Timui (inquit) ne vio-
» lenter auferres filias tuas. Violentum enim erat alienum per vim rapere. Idem verò etiam intelligatur de vxore, vt ſcilicet propter hoc quoque vxor relinquat patrem, & matrem, & adhæreat viro ſuo. Aequalis eſt enim vtrique lex matrimonii, vt ſatis Apoſtolus
» declarauit. Mulier (inquit) poteſtatem corporis ſui
» non habet, ſed vir, Similiter & vir ſui corporis pote-
» ſtatem non habet, ſed mulier. Meminit tamen potius de viro propter excellentiam viri, qui caput eſt mulieris, ſicuti cum nos dicimur de carne, & oſſibus CHRISTI, potius quam ille ex noſtris, quoniam ſcilicet ille eſt princeps humanitatis. Sacramentum ergo hoc magnum eſt in CHRISTO, & in eccleſia, Siquidem, vt anagogen Pauli explicemus, cũ ea copulatus eſt CHRISTVS, & vna caro, vnuſque ſpiritus vtriuſque. Propter hanc enim de cœlo deſcendens, patrem in cœlis viſus eſt relinquere Propter hanc, parentibus Ioſeph, & Maria relictis, remanſit puer IESVS in Hieruſalem,
» qui cum illud audiret, Pater tuus, & ego dolentes quæ
» rebamus te, reſpondit, Neſciebatis quod in iis, quæ

patris

„patris mei erant, oportebat me eſſe. Perinde atque diceret, Neſciebatis Patrem deſpondiſſe mihi eccleſiam propter quam ego patrem, & matrem relinquere debeam, & ei perpetuo adhærere? Sicuti idem promiſit poſtea. Ego autem (inquit) vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi. Simile eſt, quod reſpondit, cum prædicanti nunciatum eſt, Mater tua, & fratres tui ſtant foris volentes te videre, qui reſpondens dixit ad eos, Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Perinde atque diceret, Oportet me parentes, & fratres relinquere propter ſponſam, quæ eadem, quia ex vno patre ambo, ſoror eſt, vt in Canticis appellatur, & mater eſt, quia in iis, quos parturit, CHRISTVM format, vt Apoſtolus loquitur Galatis. Deinde ſequitur, Et erunt duo in carne vna, tum propter communem vtriuſque naturam, tum propter communionem procreationis, quæ ex vtroque perficienda eſt, quam vulgo conſummationem matrimonii, ſeu copulę vocant, idque ſi liberis danda eſt opera. Quod ipſum magnum quoque ſacramentum eſt in CHRISTO, & in eccleſia. CHRISTVS namque neque ſine eccleſia, neque extra eccleſiam filios gignit. Ex vno enim vtriuſque, CHRISTI ſcilicet, & eccleſiæ ſpiritu per ſpiritualis, & myſtici matrimonii conſummationem fit generatio filiorum Dei, qui renati ſunt ex aqua, & ſpiritu ſancto. Præterea quod paulo „poſt idem Dominus dixit mulieri. Ad virum conuer„ſio tua, id eſt perfugium tuum erit vir, tanquam Dominus. Statim enim ſequitur, Et ipſe dominabitur tui. Vir enim eſt caput mulieris, quæ viro debet eſſe ſubdita, & eum timere, ſicut Apoſtolus præcipit. Hoc (inquam) ſacramentum quoque magnum eſt in CHRISTO, & in eccleſia. Hæc enim ad CHRISTVM conuertitur ſemper, ad eumque ſe refert in omnibus, & confugit tãquam ad Dominum, illique ſubdita eſt, &

illum timet. Deinde lex eſt diuina, ne mulieres in ecclesia doceant, ſed ſi quid diſcere volunt, domi viros ſuos interroget. Hoc etiam ſacramentum eſt in CHRISTO, & in eccleſia, quæ ſi quid diſcere vult, CHRISTUM interrogat, ſcripturas eius ſcrutatur, ſanctosque eius magiſtros conſulit, & adit, ac per eos docetur ab ſpiritu ſancto, quem ipſe ſponſus, cuius eſt ſpiritus, promiſit docturum omnia. Infinitum eſt huiuſmodi ſacramenta omnia perſequi velle. Repetamus nunc a principio, & videamus, qualia hæc ſunt in vicario CHRISTI ſponſi & ſpóſa eius eccleſia, quod eſt nobis propoſitum, vt inde ad id, quod quærimus, lumen nobis oſtendatur, ex myſtica Pauli anagoge in CHRISTO, & in eccleſia, catagogen myſticam in pontifice vicario eius, & ipſa ſponſa elicientibus, quam exiſtimo non licere hîc ſine crimine perfidiæ, & impietatis contemnere, aut negligere. Etenim ſi lex coniugii carnalis ſacramentum eſt in CHRISTO, & in eccleſia, & idcirco ex comparatione quadam per anagogen, vt Apoſtolus docet contemplanda eſt ratio coniugii ſpiritualis in CHRITO ſponſo, & in eccleſia, dubitare non licet, quin hæc quoque ratio ſpritualis matrimonii, cum pontifex ſit ſponſus eccleſię, vicarius CHRISTI veri ſponſi, contemplanda etiam ſit in eodem vicario, cui quidem ſponſus CHRISTUS peregre proficiſcens in regioné longinquam, aſcendens (inquam) in cœlos, & vadens parare locum; ſponſam commendauit, quo abſens filios ſuos magis ſubditos haberet, ſi vicarium CHRISTI præſentem oculis cernerent, ne (inquam) ipſo ſponſo ablato virgo caſta, & ſponſa immaculata eccleſia ab adulteris, & libidinoſis corrumperetur, & ſicut ſerpens ſeduxit Euam in aſtutia ſua, ita ſenſus corrupti a ſimplicitate CHRISTI IESU ſponſi ſui exciderent, alio Euangelio per hæreticos prædicato, & alio ſpiritu accepto. Commendauit ergo, & com

miſit vicario ſuo virgini, ideſt, fidem integram, & incorruptam tenenti virginem ſponſam, matrem omniũ noſtrum eccleſiam, tanquam alteri ſponſo, cum nõ ſit alius ſponſus, præterquam qui illam ſibi a principio ipſe deſponſauit, qui eſt CHRISTVS IESVS Cõmendauit (inquam) vt exhiberet illi nomine ſponſi CHRISTI tanquam fidelis miniſter eius, quicquid ſponſus debet ſponſæ. Perinde atque diceret abiens, Sponſa, ecce vir tuus, & vir, ecce ſponſa tua. Sicuti cum virginem matrem virgini Ioanni commendauit tanquam alteri filio, cum non eſſet, niſi vnicus ipſe CHRISTVS IESVS. Commẽdauit, vt exhiberet ei, quicquid filius matri deberet, niſi quod Ioanni commendauit matrẽ, non vt præeſſet, ſed vt præſto adeſſet. Vicario vero eccleſiam commendauit, vt præeſſet tanquam vir eius non coacte, neque dominanter (vt ait Petrus) ſed forma eccleſiæ velut gregis factus, id eſt, exemplum gregis ad ſequendum epiſcopum tanquam paſtorẽ. Quod ſi de Ioanne ſcriptum eſt, accepiſſe in ſua eam, quæ illi commendata erat, non vt præeſſet, ſed vt adeſſet, quid dicendum eſt de eo, cui cuncta eccleſia commendata eſt, vt præſit, & adſit, niſi quod accepit eam in ſuã ſponſam, & in ſua, vt ſecundum gratiam pontificalem ſibi datam daret illi menſuram tritici, & vt eius virginitatem, ac pudicitiam defenderet conſtituens epiſcopos, & paſtores eccleſiarum, velut collocans cuſtodes circa lectulum Salomonis 60. fortes ex fortiſſimis Iſráel, vt eſt in Canticis, qui armaturam Dei induti, eccleſiam, vt requieſcat in ſponſo vero Salomone pacificatore noſtro, a carne, & ſanguine, & rectoribus tenebrarũ, ac ſpiritibus nequitiæ defendant, cum bene pręſunt rationi, & ſenſibus hominum, vt ſcilicet decem præcepta Dei perficiant, qui numerus in ratione, & quinq. ſenſibus ſexcuplicatus ſexaginta efficit. Verum hæc myſteria, vt cuique aptius videbitur, & commodius,

ita exponat.Illud vero,quod eſt proprium legis cõnubialis,vt ſcilicet propter hoc relinquat homo patrem, & matrem,& adhæreat vxori,& ſimiliter vxor,non licet in myſterio,quod eſt in CHRISTO, & in eccleſia teſte Paulo,variare,aut aliter accipere, quam vt intelligamus,debere pontificem omnia neceſſitudinum iura, & omnia amoris pignora propter eccleſiam,ſi opus ſit,relinquere,ita vt nullus homo quod Deus coniunxit,ſeparet.Similiter eccleſiam quiduis potius perpeti, quam committere,vt non adhęreat pontifici tanquam viro,ita vt ſint vna caro,& vnus ſpiritus,idipſum dicẽtes ambo,ne ſit ſchiſma.Ex quo perſpici poteſt,quicũque eccleſiã ſupra pontificẽ ponunt, adulterare eos impie legẽ Dei de matrimonio carnali, quæ ſimilem legẽ ſpiritualis matrimonii in CHRISTO,& in eccleſia myſtice continet,vt Paulus teſtatur,& docet.Quod ſi in CHRISTO,& in eccleſia,ergo & in vicario CHRISTI, qui eſt eccleſię caput,ſicut vir caput eſt vxoris.Etenim ſi eccleſia eſt ſupra pontificẽ, & huic licet aliquãdo nõ ſequi pontificẽ,neq; eidẽ adhærere,dum viuit,hoc eſt, cũ fide ſtat,vbi illa in viro neceſſitas adhærendi vxori, & in vxore adhærendi viro, quã Dominus ſanxit per os Adæ? Quomodo illa myſteriũ,eſt in CHRISTO,ac proinde in vicario nomine CHRISTI, & in eccleſia catholica? ſi quod illic non licet,hic licet? Si illic non poteſt vxor propter patrem,aut matrem recedere a viro,id eſt, ſi nullus homo poteſt ſeparare, quod Deus coniunxit,vt Dominus interpretatus eſt, hic vero poteſt eccleſia propter ſuam reformationem non adhærere pontifici,quæ eſt maxima omnium deformatio, id eſt,ſi poteſt concilium,eccleſia inquam,ſua, hoc eſt hominum auctoritate ſeparari ab eo,cũ quo illam Deus coniunxit, ac copulauit? qui non eſt fornicatus cum Diis alienis, id eſt, cum dogmate profano, & hæreſe, neque adulterauit doctrinam,Denique qui viuit,dum

adhuc fide ſtat, quãuis nequiſſime, & flagitioſiſſime viuat? Illud enim, mulier quanto tempore vir eius viuit, alligata eſt legi, cum ad illud omnino pertineat, quod Apoſtolus dixit, ſacramentum eſſe in CHRISTO, & in eccleſia, ad legem inquam inſolubilem matrimonii, quam ex Geneſi produxit, ſequitur, vt hoc quoque ſacramentum magnum ſit, non quidem in CHRISTO, & in eccleſiis priuatis, quæ poſſunt per hæreſes ſeparari, & diſtrahi a CHRISTO, vt nonnullas videmus, ſed in CHRISTO, & in eccleſia catholica, quæ ſeiungi non poteſt, ita vt anagogice intelligamus, quanto tempore viuat CHRISTVS, qui iam non moritur, & mors vltra ei non dominabitur, tanto tempore eccleſiam alligatam fore legi, id eſt copulatam cum CHRISTO, qui vſque ad conſummationem ſeculi futurum ſe cum ea promiſit, non quod eam poſtea eſſet relicturus, ſed potius nouo modo (ſicut ſcriptum eſt) omnia in omnibus futurus. Catagogice vero ſimile intelligamus in vicario CHRISTI, & in eccleſia, ita vt quanto tempore ipſe cum mortalis ſit, & labi poſſit, in carne, & fide vixerit, & in epiſcopatu eſſe deſiderarit, tantiſper alligatam eſſe legi, id eſt copulatam matrimonio inſolubiliter cum eo eccleſiam catholicam. In eccleſiis enim ſingulis, & earum ſponſis epiſcopis non ita. Horum enim coniugia, mutatis, aut eiectis ipſis licet inuitis, & quãuis fide ſtantibus, diſſolui poſſunt ab eo, qui præeſt vniuerſo gregi. Non enim dixit Apoſtolus illud ἄλυτον, id eſt, inſolubile matrimonii carnalis ſacramẽtum eſſe in CHRISTO, & in eccleſiis, ſed in CHRISTO; ac proinde in vicario eius, & in eccleſia, nempe catholica. Ergo ſolum pontifex ſponſus eccleſiæ mori cẽſendus eſt, aut cum fide non ſtat, ſi quidem pontificatus eius, cum ſit poteſtas in opus miniſterii in ædificationem corporis CHRISTI conſtituta a Deo, cuius fundamentum eſt CHRISTVS IESVS; pontifex, qui aliud fun-

damentum ponit, præterquam quod poſitum eſt, neque conuerti vult, iam hic ædificare non poteſt, quare neque pontifex eſſe, neque petra, quæ quidem non nititur, neque niti vult in ſolido fundamento confeſſionis CHRISTI, aut quaſi mori cenſendus eſt, cum ſponte cedit pontificatu grege ei commiſſo aſſentiente. Vt enim nemo inuitus fieri poteſt epiſcopus (ſicut ſcri-
» ptum eſt, Qui epiſcopatum deſiderat, nõ quidem epi-
» ſcopatu afficitur nolẽs) ita ſi idem velit recedere aſſen
» tiente eccleſia ſua, poteſt. Et illud, Amas me? Paſce
» oues meas. Non dixit, Velis, nolis, paſce, ſed ſi amas me, tunc (inquam) quaſi iam vir dormierit, libera manet eccleſia, vt ei qui in Domino fuerit electus, nubat, quod ei facere neceſſe eſt. Non enim eccleſiæ viduę cõuenit, quod mulieri viduæ, vt ſecundum apoſtoli conſilium beata ſit, ſi ſic permanſerit. Quia ſcilicet quæ nupta eſt, diuiſa eſt cogitans, quæ mundi ſunt, quomodo placeat viro, ſicut rurſus innupta cogitat quæ Domini ſunt. Contra vero accidit in matrimonio ſpirituali. Eccleſia enim ſolatio paſtoris viduata (vt loquuntur) minus cogitat quæ Dei ſunt, & cum copulata eſt, non diuiſa, ſed vnita eſt. Idcirco neceſſe eſt nõ ſolũ eccleſiã catholicã, ſed neq. ſingulas eccleſias viduas eſſe. Debet .n. vnaquęque earũ propter fornicationes ſpirituales hęreticorũ virum ſuũ habere, qui eis debitũ ſpirituale reddat, & a quo ipſæ eccleſiæ bonum ſemen Euange-
» licæ doctrinæ accipiant, ſicuti ait Apoſtolus. Propter
» fornicationem autem vnaquæque mulier virum ſuum
» habeat. Quod quidem ſacramentum eſt non ſolum in eccleſia catholica, & eius ſponſo CHRISTI veri, & vnici ſponſi vicario, ſed in eccleſiis ſingularibus, earũque ſponſis, qui etſi vere ſint epiſcopi, & a ſpiritu ſancto poſiti, vt regant eccleſias Dei, tamen non ita proprie ſponſi ſunt nomine CHRISTI, atque ipſe pontifex, quatenus horum coniugia mutari, & diſſolui poſ-

ſunt (vt ante dixi) ab eo, qui præeſt vniuerſo gregi, quique eſt catholicæ eccleſiæ ſponſus. Cuius ſolum coniugium ita eſt a Domino inſtitutum, vt a nullo homine, neque hominum conſilio diſſolui poſſit, quamdiu fide ſtat, & petra eſt, ac paſtor eſſe vult, quamuis malus. In ipſo enim, tanquam vniuerſali vicario CHRISTI, & in eccleſia catholica, cui ſolus in terris præeſt, ſacramentum magnum eſſe illud ἄλυτον & vt ita dicam) inſolubilitatem illam matrimonii carnalis, ſatis docuiſſe videtur Apoſtolus tunc, cum ſubiunxit, ſacramentum hoc magnum eſſe in CHRISTO, Et in eccleſia. Siquidem CHRISTI cum eccleſia catholica perpetuum matrimonium, quod a nemine poteſt diſſolui, Solus vicarius CHRISTI princeps Epiſcoporum repræſentat, & vicem eius gerit. Quemadmodum vero repræſentaret, ſi hic poſſet inuitus, dum CHRISTI vicarius eſt, ab eccleſia ipſa, id eſt ſponſa ſua propter vlla crimina repudiari? Cum enim hæreticus exiſtit, potius mori dicendus eſt, quam repudiari, propter fornicationem ſpiritualem, cum ne hoc quidem, repudiari propter fornicationem, virum ab vxore in eccleſiæ more ſit, vt magnus Baſilius ſcripſit Can. 9. de ea muliere, quæ ob aliquam cauſam virum repudiarit. Siue (inquit) cederetur, neque plagas ferre vellet, ſuſtinere quidem & perpeti potius debuit, quam ſe a marito auellere, ſiue iacturam dotis facere non pateretur, ne ea quidem honeſta cauſa, ſiue quia maritus ſcortaretur, non habemus hoc in Canone eccleſiaſtico obſeruatum, quamuis (vt idem Baſilius ait in eodem Canone) quod Dominus pronuntiauit, & ſanxit de non dimittenda vxore excepta cauſa fornicationis, quantum quidem ſententiæ cohæret, ex æquo tum in viros, tū in vxores conueniat. Similiter eccleſiæ, vt omnia ordine fiant, non cenſuerunt adulteros in fide eiicere, niſi iudicio, atque ſententia ſponſi. Ipſe vero ſponſus, ſi nō

animas adulteras eiiciat foras, ac malum de medio tollat, ſed potius in domo Dei, atque in ſocietate fidelium verſari ſinat, ſtultus, & impius eſt, ſicuti de eo ſcri-
Prou. 8. ptum eſt, qui adulteram retinet, de quo in eodem lo-
„ co ſequitur. Stultitia viri lædit vias eius, Deum verò
„ accuſat in corde ſuo. Perinde atque diceret Salomon, ideo illum ſtulte, atque impie agere, quia tum vitam ſuam infamia, atque nota ſtultitiæ afficit, tum contingit, vt Deum ſæpe ſecum (vt fit) criminetur, quod vxorem talem dederit, quod eſt impii hominis. Similiter ſtulte, imo ſtultius, & magis impie agit ſponſus eccleſiæ, cum, vt dixi adulteras in fide animas non excludit, tum propter periculum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat, tum quia ſe infamia, & malę ſuſpicionis nota condẽnat, dum in eodem errore quẽ diſſimulat, eſſe creditur, tum propter murmurationem, quæ inde aduerſus Deum naſcitur, quod errores in eccleſia Dei tolerentur, ac diſſimulentur. Id circo vigilantiſſime initio tollendi ſunt hæretici, ne poſtea aut diſſimulanter perferre; aut cum zizaniis triticum euellere neceſſe ſit, vt ſatis cum hæc tempora tum ſuperiorum temporum memoria docet. Ergo, vt redeam vnde digreſſus ſum, ſi vxor, quamuis plagas a viro accipiat, quamuis dotem, & bona omnia perdat, quamuis corruptiſſime viuat, tamen non poteſt eum repudiare, imo neque ſi fornicetur, quamuis repudiare illum poſſet, talem tamen conſuetudinem eccleſia non habet. Quemadmodũ poſſit eccleſia catholica pontificis ſponſa repudiare eum, qui flagitioſe, & ſcandaloſe (vt loqui ſolent) viuat, niſi quidem ſpiritualiter fornicetur? Iam enim tunc deſinit eſſe vir, ac veluti mortuus eſt. Alia enim ratio eſt coniugii huius ſpiritualis pontificis, & eccleſiæ catholicæ, quod quidem cum fundatum ſit in petra fidelis confeſſionis, ſtatim vt pontifex cum hæreſi fornicatur, ſuapte ſponte

diſſoluitur

diſſoluitur ipſum coniugium velut morte coniugis, ita vt alteri nubendum ſit. In carnali vero coniugio non ita, ſed potius mulier alligata eſt legi quanto tem pore vir eius viuit, quamuis repudiatus. Præcipio inquit Apoſtolus, non ego, ſed Dominus, vxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptã, aut viro ſuo reconciliari, quæ quidem lex matrimonii æqualis eſt vtrique coniugi. Vxor enim non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir, Similiter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vxor, vt idem Apoſtolus docuit, qui ita clariſſime Euangelium CHRISTI interpretatus eſt hic, vt mirer eſſe, ex iis qui ſcripturas ſanctas legunt, qui ſentiant dimiſſa vxore propter fornicationem, licere alteram ducere, qui ſi Paulo Apoſtolo, & conciliorum, & ſanctorum patrum canonibus tanquam interpretibus CHRISTI qui hoc præcepit, & ſanxit, non autem Paulus, aut concilia, aut ſancti alii, Eccleſiaue catholica, cuius conſuetudo ſancta, optima eſt Euangelii interpres, Si (inquam) his interpretibus CHRISTI credere nolunt, quid supereſt, niſi, vt hæretici ſint, & habeantur, atque, vt tales vitentur, ac puniantur, quia IESVM ſoluunt, quia legẽ Dei tollunt, & ſacramentum magnum in CHRISTO, & in eccleſia negant. Sed pergamus vlterius ad aliud myſterium. Diximus enim ſupra, anagogen Pauli ſequentes, quod mulieri dixit Dominus, Ad virum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui, Sacramentũ quoque magnum eſſe in CHRISTO, & in eccleſia. Etenim ſi matrimonium carnale inter virum, & vxorem typus atque exẽplum eſt matrimonii ſpiritualis inter CHRISTVM, & eccleſiam, vt Apoſtolus docuit, cui reſpondet matrimonium ſpirituale vicarii CHRISTI, & eccleſiæ, ſequitur, vt conuerſio etiam vxoris ad virum, quę ad matrimonium pertinet, forma & exemplum ſit conuerſionis eccleſiæ ad CHRISTVM, cui etiam re-

ſpondere debet conuerſio eccleſiæ ad pontificem, tanquam ad CHRISTI vicarium, & virũ ſuum, ita vt ipſe ſit eccleſiæ perfugium, tanquam vir eius, habeatque eam ſub ſua poteſtate, & ipſa eum adeat, & conſulat, præſertim in maioribus cauſis, ab eoque pendeat. In minoribus enim non opus eſt, ſicuti vxor cum lanam facit, & alia huiuſmodi domi cõſilio manuum ſuarum curat, ſicuti Salomon ait de forti muliere, non refert ad virum ſuum, neque ſe ad eum cõuertit. Habet enim eccleſia pro tribunis, centurionibus, quinquagenariis, decanis multos, qui minora iudicent, ne neceſſe ſit referre ad pontificem. Cum Cain mœſtiſſimus eſſet, & irarum, atque doloris pleniſſimus de cæde fratris cogitaret, & tanquam in feram ſæuiſſimã mutatus eſſet, tantum abfuit, vt eum Deus ſub poteſtatem ſanctiſſimi fratris Abelis mitteret, vt potius diceret ſimiliter atque hic, Ad te conuerſio eius, & tu dominaberis illius, Perinde atque diceret, vt Chryſoſtomus contra Iudæos libro ſexto interpretatur, Tu metuis ne te priuet frater dignitate primogenituræ, metuis, inquam, propter melioris ſacrificii honorem, quo eum affeci, verum deſine hoc metuere, permane in honore primogeniti, eſto fratri tuo perfugiũ, habeque illum ſub tua poteſtate. Similiter ergo vir quamuis peſſimus ſit, nõ ideo nõ conuenit illi, vt ad eum tanquam ad caput fiat conuerſio vxoris, & ipſe dominetur illius, ſitque ipſa ſubdita illi, illum timeat, illumque habeat, & appellet Dominum. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres (vt ait Petrus) ſperantes in Deo ornabant ſe ſubiectæ propriis viris, ſicut Sara obediebat Abraę Dominum eum vocans. Sic etiam ſancta eccleſia catholica debet ſubiecta eſſe in Domino ſemper viro ſuo põtifici CHRISTI vicario, quæ ſi velit aliquãdo ſe reformare, inuito pontifice, id eſt, non ſubiecta viro ſuo, neque ſperans in Deo, fore aliquãdo, vt iuſtum iuſte exequi poſſit, hoc

eſt reformare ſe auctoritate viri ſui,perinde mihi eſſe videtur,ac ſi mulier ornare ſe vellet contra viri ſui licet nequiſſimi voluntatem,nõ ſubiecta illi,neque ſperans in Deo liberandam aliquando, quod qui negat indecorũ eſſe,& turpe,legem Dei de matrimonio ignorat,& quidem volens.Huiuſmodi enim eſt is,cui Apoſtolus dicit,de ordine,& decore eccleſiæ loquẽs,quaſi ſalutẽ eius deſperans, Qui ignorat,ignoret, aut enim quæ neſcit, non diſcit,aut quę ſcit,contemnit.De hoc
„ etiam ſcriptum eſt in Prouerb. Inſipiens explicauit ma Cap.5.
„ litiam ſuam,dixerat autem proxime,cognoſcere legẽ rationis eſt bonæ,prudens agit cum cognitione, id eſt, Sapiens,quia ſpiritualis eſt,legem nouit, & ſecundum eam viuit,& ſentit,omnia diiudicans,vt ſpiritualis. Bene dixit quidam, peſſimum ignorantiæ genus eſſe errare volentem circa prudentiam,Diximus præterea ſupra, eccleſiam, ſi quid dicere vellet, CHRISTVM ſponſum ſuum interrogare, ſcripturaſque eius ſcrutari,& ab ſpiritu,quem ſponſus promiſit,de omnibus doceri,ſicut Apoſtolus docuit, mandatum Dei eſſe, vt mulier in eccleſia taceat,& ſi quid diſcere vult, virum ſuum domi interroget,quod eſt (vt ſupra dixi) magnũ quoque ſacramentum in CHRISTO, & in eccleſia. Quare erit & in vicario eius,atque in eccleſia catholica,quæ ſi dogmata ſancire,canones condere, aut etiã hæreticorum ſentẽtias damnare velit,debet vt virum ſuum pontificem interrogare.Is .n. ſolus αὐθεντεῖ περὶ ταῦτα, vt magnus Baſilius ait,id eſt,habet ſolus in his auctoritatem. Ex quo iam intelligi poteſt non minus turpe,& iniuſtum eſſe,concilium cogi,& haberi inuito pontifice,quam mulierem volentem aliquid diſcere, virum ſuum domi non interrogare, ſed potius contra Dei mandatum docere,& leges ſcribere,quo nihil
„ eſt inſolentius,neque ſuperbius.Si quis (inquit) Apoſtolus loquens de honore, quem ſerui debent Domi-

„ nis fidelibus,aliter docet,non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri IESV CHRISTI, & ei,quæ ſecundũ pietatem eſt doctrinæ,ſuperbus eſt nihil ſciens, ſed languens circa pugnas verborum, vt is qui male Apoſtolum intelligens,diſcrimen Domini,& ſerui fidelium tollendũ eſſe ideo diſputaret, quia qui ſeruus vocatus eſt in Domino(vt Apoſtolus ait) libertus ſit CHRISTI, & ſimiliter, qui liber, ſeruus CHRISTI, ita vt vterque æqualiter libertus,& ſeruus CHRISTI. Itẽ quia pretio empti ſunt a CHRITO fideles omnes, non debere fieri ſeruos hominum vt idem Apoſtolus ait. Item fratres eſſe omnes fideles in libertatem Euangelii vocatos æqualiter,quare non debere eos inter ſe iugo ſeruitutis teneri. qui ſic(inquam)doceret, & diſputaret, ſuperbus eſſet nihil ſciens, ſed languens circa pugnas verborum, non intelligens, neque quę loquitur, neque de quibus affirmat. Similiter dicere liceat de eo, qui pugnis verborum, falſiſque rationibus impie,& ſuperbe contendit tollendam eſſe ſubiectionem ſanctæ eccleſiæ a malo pontifice, nec eum quidem intelligere, quæ loquatur, neque de quibus affirmet, ſed potius in vaniloquium conuerſum aberrare a via veritatis. Verum ad rationes,ſeu potius iſtorum captiones Tertio libro. reſpondebimus.

Nunc pauliſper reſpirantes ſecundum aggrediemur.

QVAE ſuperiore libro ex ſancta ſcriptura, eiuſque idiomate protulimus de eccleſiæ ſuper hanc petram ædificatione, de regno CHRISTI in terris ſecundum humanitatem cum pontifice, de miniſterio, & perpetuitate fundamenti pontificalis, ac regni eccleſiaſtici firmamento, tum de ratione ouium paſcendarum, & de firmandi fratres auctoritate perpetua fidelis pontificis, poſtremo de myſtica Pauli anagoge, collatis legibus coniugii carnalis cum matrimonio ſpirituali CHRISTI, ac vicarii eius, & eccleſiæ. Hæc (inquam) a nobis hactenus mediocri ſtudio tractata, ſatis ſunt ad demõſtrandum, iis, qui (vt Salomon ait) non tentant Deum, neque ſunt increduli, pontificis ſupra concilia omnia pręſtantiam, maioremque eius, quam eccleſiæ catholicæ, cui præeſt, auctoritatem, non enim ſolui poteſt ſcriptura, cuius tropi, & idiomata (vt quidam vetus, & grauis auctor ſcripſit) maioris fidei, & auctoritatis ſunt, quam vlla attica compoſitio, vllumque argumentationum dialecticarum artificium, quam qui ſoluere conatur, IESVM tentat ſoluere, Quem quidem ipſe prius IESVS ſoluet, & gladio oris ſui, id eſt iudicio illo ſuo horribili & pertimeſcẽdo diuidet, partemque eius ibi cum infidelibus ponet, vbi erit fletus, & ſtridor dẽtium. ſequitur nunc SALVIATE, vt oſtẽdamus hanc eandem fuiſſe ſemper ipſius eccleſiæ catholicæ, ſanctorumque doctorum ſententiam. Meminiſſem hic libentiſſime veteres pontifices ſanctitate, ac doctrina excellentes, niſi eos iſti tanquam ſuſpectos reiicerent, quaſi gloriam ſuam quærentes, cum tantum honoris Apoſtolicæ ſedi tribuebant, ac non potius honorem & gloriam eius, qui talem poteſtatem dedit homini. Tace-

bo itaq. pontifices, & quos pontifices bone Deus, qua
ſanctitate, doctrina, grauitate & vetuſtate, Anacletũ
dico, Calixtum, Marcellũ, Bonifaciũ Martyres, pon
tifices Silueſtrum, Iulium, Euſebiũ, Damaſum, Leo-
nem, Gelaſium, Gregorium, Innocentium, Adria-
num, Nicolaum, multoſque alios, ne omnes enume-
rem, qui clariſſima voce pronunciarunt, pontificem
nullum in terris habere iudicem. Quos non dicam hic
quam ſit ſtultum, iniquum, & ſceleratum ſuſpicari, aut
ſanctiſſimos pontifices, & eorum non paucos marty-
res mentiri in re tanta, cum tanto omnium ſcandalo,
perpetuo voluiſſe, aut ſapientiſſimos, poteſtatis ſuæ,
quam gerebant, modum, & fines neſciſſe. Illud profe
,, cto dicam, quod Moiſes filiis Leui, Quis eſt Aaron,
,, vt murmuretis contra eum? Perinde atque diceret,
non ad Aaron, ſed ad Deum veſtra pertinet admurmu
,, ratio. Et Deus Samueli, Non te abiecerunt, ſed me,
,, ne regnem ſuper eos. Sic iſti de quibus loquor, conci-
lii contra pontificẽ defenſores, non in pontifices mur-
murant, ſed in Deum, qui vt Maria illa lepra olim affe
cta eſt, quia vt Dionyſius Areopagita interpretatur,
contra Moiſen murmurans voluit θεσμοθετεῖν, id eſt le
,, gem conſtituere, cum dixit, An Moiſi ſolum locutus
,, eſt Dominus, & non nobis? Sic iſti, qui contra pontifi
' cem murmurant, & canone ſancire volunt, concilium
eſſe ſupra Papam, putantes ſecum de hoc locutum eſſe
Deum, Leproſi ſunt, eiiciendi quidem e ſocietate ho-
minum, ne alios communione profani vaniloquii pol
luant, quod multum quidem, ſicut ſcriptum eſt, ad im
pietatem proficit, quorum ſermo tanquam cancer ſer.
pit, errantium, & in errorem mittentium. Quare di-
ſcedat ab iniquis iſtis, & impiis omnis, qui inuocat no
men Domini. Qui enim negat pontificem ſupra con-
cilium, idem aut ſciens, aut ignorans negat, ſuper pon-
tificem non ſoluentem IESVM, ſed confitentem ædi-

ficatam eſſe eccleſiam, quam concilium repræſentat. At hoc qui negat, ne fundamentum quidem ipſum, quod eſt CHRISTVS IESVS, quem Petrus confeſſus eſt, cum petra, & baſis columnæ veritatis, quæ eſt eccleſia, ſibi, ſuiſque legitimis ſucceſſoribus eſſe meruit, relinquit. Ergo neque CHRISTVS venit in hunc mũdum. Rurſus, inanis eſt ſpes, inanis eſt fides noſtra, inanis eſt apoſtolica prædicatio. Qui enim paſtorem facit minorem, quam ſit, eundem profecto, quantum in ſe eſt, tollit, qui verò paſtorem tollit, oues quoque tollit, & qui has non relinquit, neque paſtorem magnum ouium relinquit IESVM, & qui hunc negat, totum myſterium œconomiæ CHRISTI negat, non natus eſt CHRISTVS, non paſſus, non reſurrexit, neque nos reſurgemus. Vide quouſque cancri contagio progreſſa eſt, concepta primum Conſtantiæ, edita poſtea Baſileæ, mox a fraterculis gigantũ Ochaniſtis in ſinum, atque in gremium tanquam a nutriciis excepta, & nutrita. Sed firmum fundamentum Dei ſtat, vt ait Apoſtolus. Quare valeant ſeditioſi iſti leproſi filii Leui, qui de ſceleratæ ſuæ linguæ igne ignem gehennæ ſibi incendunt. Scio non defuiſſe quoſdam erroris huius patronos, viros alioqui probos, ac doctos, Gerſonum dico, Abulenſem, Cuſanum, (& ſi hic melius ante ſenſerat in epiſtola ad Rodericum Hiſpaniarum oratorẽ) & non paucos ex illo Coſtantienſi, ac Baſileenſi conuẽtu, & concilio, quos equidem tametſi non condẽnem, eorum ſententiam alioqui condemnans, tamen qui ſic nunc ſentiunt, eoſdem cum ſententia ſua peruerſa, ac pertinaci damnandos, imo damnatos eſſe iudicarim, conuenireque hic, quod Cyprianus de calice Domini diſſerens, in ſecundo libro epiſtolarum ſcripſit, Si quis (inquit) de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc obſeruauit, quod nos Dominus facere exemplo ſuo, & magiſterio docuit, poteſt ſimpli-

citati eius de indulgentia Domini venia concedi, no
bis vero non poterit ignoſci, qui nunc à Domino ad-
moniti, & inſtructi ſumus. & Vincentius Lirinenſis
grauis, & antiquus auctor de ipſius Cypriani errore in
» iteratione baptiſmi Nouatianarum, Abſoluuntur (in-
» quit) magiſtri, & condemnantur diſcipuli. Veniamus
ergo prætermiſſis pontificibus, ad concilia ipſa canoni
ca, id eſt auctoritate pontificum congregata, quorum
conciliorum, id eſt pontificum canonica maturitate
de concilii ſententia decernentium, maximam eſſe in
decretis, ac iudiciis faciendis, auctoritatem, ac fidem
omnes confitemur, maiorem inquam, quam ipſorum
pontificum, quando ſcilicet non conſtat, vtrum matu
re, atque legitime decreuerint, omniaque illa in maio
ribus cauſis ſeruarint, quæ Gelaſius pontifex fortiſſi-
mus hæreticorum, vt Nicolaus pontifex appellat, ex-
pugnator, in tomo de vinculo anathematis poſuit, lo-
quens de abſolutione Petri Alexandrini hæretici, quã
» hæretici fingebant a pontifice factam. Si (inquit) pon
» tificum præceſſit aſſenſus, doceatur a quibus, & vbi il-
» le ſit geſtus, ſi ſecundum eccleſiæ regulam celebratus,
» ſi paterna traditione profectus, ſi maiorum more pro-
» latus, ſi competenti examinatione depromptus, ſi ſy-
» nodali congregatione celebratus, quod quidem in re-
» ceptione damnati, & expulſione catholici, quia noua
cauſa eſt, fieri certiſſimum eſt. Hæc autem in decretis,
ac iudiciis conciliorũ ſeruantur omnia, &c. Veniamus
inquam, ad concilia quorum iudicium, vt recte Leon
tius Cyprius contra Acephalos ſcripſit, ſolutio eſt o-
mnis dubitationis in vtramque partem, cum quibus
qui pugnat, nõ iam cum quibuſdam perſonis, ſed cum
toto chriſtianiſmo pugnat, ordiamurque a concilio il-
lo nobiliſſimo Niceno columna, & firmamento veri-
tatis, in quo fides homouſii, hoc eſt, vnius, eiuſdéque
ſuſtantiæ Patris, & filii non minus fortiter aduerſus
Arianos

Arianos a trecentis decem, & octo epiſcopis defenſa eſt, & ad eam multitudo populorum reducta, quam ab illis item trecentis decem & octo expeditis vernaculis fidelis Abrææ fugati, & percuſſi reges allophyli, & ſuſtantia Loth fratris recuperata. Sicut ſcriptum eſt,
» Percuſſit eos, reduxitque omnem ſuſtantiam, & Loth
» fratrem ſuum, mulieres quoque, & populum, & quæ ſequuntur. Cuius magni cõcilii ſententia, ſi nulla præterea alia eſſet, tota hæc lis terminari deberet. Sententia ergo, atque decretum concilii Niceni eſt, vt accuſatis, vel etiam damnatis epiſcopis, liceat Romanum pontificem appellare, imo vt quicunque voluerint, libere, & abſque vllo impedimento ad apoſtolicam ſedẽ prouocare, & cõfluere poſſint. Item vt concilium præter auctoritatem pontificis celebrari non poſſit. Quæro ab iſtis, an non videtur decreuiſſe ſynodus Nicena eſſe pontificem ſupra concilium omnium epiſcoporũ, quæ non carne, & ſanguine reuelante, ſed ſpiritu ſancto per CHRISTVM, & apoſtolos eius docente, & ſtatuente, omnibus epiſcopis ius eſſe decreuit, appellare pontificem, vt ſummũ iudicem, cuius iudicio in terris extremo ante aduentũ illũ magni iudicis viuorum, & mortuorũ cauſas eorũ terminari voluit, & ſanxit, imo hoc CHRISTVM, ac CHRISTI Euãgelium velle declarauit, tanquam interpres diuinæ legis, ex qua ortũ ducit hæc poteſtas pontificalis? Præterea decretus, ſancituſque eſt canon in eadem Synodo, de retractandis Synodis prouincialibus per vicarios epiſcopi vrbis Romæ, ſi ita decreuerit. Ita enim habet canon, Reſpõdeant ergo iſti, quemadmodum Nicena Synodus concilium ſupra Papam eſſe iudicarit, ac non potius contra, quæ quidem ſanxerit, ac iudicarit, ius eſſe pontifici, acta reſcindere concilii, cui ipſe per ſe, aut legatos ſuos non præfuerit, id eſt, concilii non œcumenici, ſed prouincialis, quale neceſſe eſt eſſe, vt honeſtiſſime ap-

pellem, concilium iſtud malignantium, quod aliquando inuito pontifice cogi, & haberi poſſe contendunt. Oecumenicum enim concilium eſt, cui ex multis prouinciis conuocato per ſe, aut vicarios ſuos præeſt is, qui ſolus eſt Epiſcopus œcumenicus, quia ei cunctus orbis commiſſus ſit, vnde nomen œcumenicum dictū eſt. Hic enim ſolus dici poteſt œcumenicus contra importunam Græcorum Patriarcharum inſolētiam. Prouinciale vero, cui non præeſt hic, quamuis ex plurimis prouinciis aliquando congregetur. Ita vt generale ſiue vniuerſale concilium, quod a Græcis œcumenicū appellatur, ſit, quoties auctoritate pontificis, qui, vt dixi, ſolus eſt epiſcopus œcumenicus, ſiue vniuerſalis vel generalis, indictum, & conuocatum eſt generaliter, ſicut ex ipſis literis quibus indicitur, perſpici poteſt, vt de omnibus quæcunque ad eum relata fuerint, a pontifice, vel eius legatis cum concilio ſtatuatur, ſiue plurimarum, prouintiarū epiſcopi conueniant, ſiue non plurimarum, modo omnibus tanquam vocatis, & accerſitis liceat eo accedere. fortaſſe ſicut dici ſolet Romæ publicum conſiſtorium, in quo aliquid agatur, quod publicum eſſe volunt, & liceat eo accedere omnibus, quaſi vocatis, eſto non multi accedant aliquādo. Vt enim ſit œcumenicum, & vniuerſale cōcilium, non tam neceſſaria eſt plurimorum epiſcoporum frequentia, quam auctoritas œcumenici, & vniuerſalis epiſcopi. Quare, qui concilium volunt eſſe ſupra Papam, ſecum pugnare neceſſe eſt, ſi hoc velint accipi de œcumenico concilio, cum, vt dixi, œcumenicum non ſit, niſi cui œcumenice, ſiue generaliter indicto, & cōuocato per ſe, aut ſuos legatos, is, qui eſt œcumenicus epiſcopus, præeſt lege non quidem humana, vt rex ſecularis, qui & ea lege præeſt regno, & regnum eſt ſupra eum, ſed diuina. qui idcirco fere non poteſt legitime vniuerſalis concilii acta reſcindere, vt poteſt pro-

uincialis, quia cum illi præfuerit per ſe, aut vicarios ſuos, aut in anteceſſoribus ſuis, qui ſic illi concilio præfuerunt, non debet in eo eſſe, eſt, & non, ne ſecundum carnē cogitare videatur, aut leuitate vſus, ſicuti Apoſtolus dixit in mutatione cōſilii ſui de profectione ad Corinthios, in quo quidem non fuit, eſt, & non, quia ita poſcente ratione, prius fuiſſet profectus in Macedoniam. Similiter in pontifice non fuerit eſt, & non, quoties ratio œconomiæ poſtularit decretum œcumenici concilii reſcindere, tametſi aliquando approbarit, ratumque habuerit. Poſſe autem hoc, quis eſt qui dubitet? cum id aliquando expediat, & ędificet, imo neceſſe ſit ad eccleſiæ vtilitatem, vt ex Nic. Con. Canone. 2. & Carth. ca. 35. intelligi poteſt, vt pontifices taceam. Ex quo rurſus ſequatur maiorem eſſe auctoritatem pontificis, quam concilii œcumenici. Sed redeo ad canonem Nicenum de appellationibus, de quo, quia vel eo ſolo falſa horum de auctoritate cōcilii ſupra Papam ſententia damnata eſt, hic ſolum ſcrupus iſtis reſtabat, vt dubitarent, vtrum certus eſſet, ſed ne dubitent, pleni ſunt libri Eccleſiaſtici omnes canonis huius mentione, ac celebratione. Teſtes epiſcopi Aegyptii catholici, qui propter hunc præcipue canonem de appellationibus, ad tuendum ſe ſuaſque ęccleſias, integra exemplaria Canonum Niceni concilii, quæ illis fuerāt exuſta omnia, à Marco pontifice ex ſcriniis, ſeu tabulariis Palatinę bibliothecę petierūt. Teſtis Marcus pontifex, qui ſe illos miſiſſe teſtatur. Teſtis item ſucceſſor eius Iulius, qui ad epiſcopos, qui contra Athanaſium perfide, ac ſcelerate ſine auctoritate pontificis coierant, miſit multos Niceni cōcilii Canones ex exēplári Romano fideliſſime, vt idem iurat, deſcriptos, cum literis ſuis, quibus eos vehementer accuſat, quod cum alios, tum canones eccleſiaſticos de appellationibus, & nō habendo concilio ſine pontificis auctoritate vio

laſſent. Ac ne exiſtiment in ſolis Latinorum libris hæc legi. Meminerunt harum literarum Socrates, & Theodoretus in hiſtoriis ſuis eccleſiaſticis. Itaque quod ſcripſit Iulius his verbis, porrò dudum a ſanctis Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta, & apoſtolica tenet eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani pontificis concilia celebrari, Socrates ita vertit extrema verba, ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. Teſtis prę terea Zoſimus pontifex, eiuſque legati, quibus ille inter cętera mandata commonitorio (vt vocant) adiecit canonem Niceni concilii de appellationibus, qui in concilio ſexto Africano, cui B. Auguſtinus interfuit, recitatus eſt ab eiſdem legatis, & ab Africanis receptus. Teſtis magnus Gelaſius, & Nicolaus primus, aliique pontifices, quos, ne ſim longior, prætereo, qui omnes hunc de appellationibus Niceno tribuunt concilio ab ipſis tamen primum Apoſtolis acceptum, vt tum Iulius, tum Marcellus pont. affirmant. Sed fortaſſe iſti, vt ſunt moroſi, neque teſtes eſſe volunt in hac cauſa, quos ſemel iudices eſſe noluerunt, pontifices dico, Quare vertam me ad alios. Teſtis Enodius Ticinẽſis in libello illo Synodico, cui tantam dedit auctoritatem Synodus Romana quinta Symmacho pontifice, vt inter acta eius Synodi relatus fuerit de concilii ſententia. Denique teſtis ſancta, & magna Synodus Sardicenſis ex ducentis quinquaginta epiſcopis profectis, vt auctor eſt Theodoretus ex vrbe Roma, Hiſpania, Gallia, Italia, Campania, Calabria, Africa, Sardinia, Pannonia, Myſia, Dacia, Dardania, ex altera Dacia, Macedonia, Theſſalia, Achaia, Aſia, Caria, Bithynia, Helleſponto, Phrygia, Piſidia, Cappadocia, Ponto, altera Phrygia, Cilicia, Pamphilia, Lydia, ex Cycladibus, Aegypto, Thebaide, Libya, Galatia, Palæſtina, cu

ius Synodi ſanctitatem, tũ ex canonibus, tũ ex literis eius ad omnes epiſcopos catholicos, quarum exemplar nobis deſcripſit Theodoretus, perſpicere licet.
„ Ergo vnus huius Synodi canon eſt, ſi epiſcopus accuſa„tus fuerit, & iudicauerint congregati epiſcopi illius re„gionis, & de gradu ſuo deiecerint eum, & appellaue„rit, & confugerit ad beatiſſimum Romanæ eccleſiæ „epiſcopum, & voluerit audiri, & iuſtum putauerit re„nouari examen, ſcribere dignetur iis epiſcopis, qui in „finitima regione ſunt, vt ipſi diligenter omnia inqui„rant, & ſecundum fidem veritatis diffiniant. Quod ſi „is, qui cauſam ſuam iterũ audiri rogat, precibus ſuis „mouerit epiſcopum Romanum, vt e latere ſuo mittat „preſbyteros, erit in poteſtate epiſcopi, quod recte vi„deatur & ſi decreuerit, mittendos eſſe, qui auctorita„tem eius, qui miſit, habentes, cum ipſis epiſcopis iudi„cent, id quoque integrum erit. &c. hunc canonem Fauſtinus epiſcopus, Philippus, & Aſellus preſbyteri, legati pontificis Zoſimi in Synodo Africana Synodi Nicenæ eſſe affirmarunt. Teneo iſtos, elabi non poterunt. Aut enim hunc canonem Synodus Sardicenſis renouauit ex Niceno, vt pleroſque alios, aut prima cõdidit. Si Sardicenſis eſſe maluerint, nihil miror. Neque enim concilii huius ſanctiſſimi ac grauiſſimi auctoritate negare audebunt, aut probatũ a ſede apoſtolica dubitabunt, & ſi fortaſſe nõ hoc requirẽt, alterius etiã canonis Niceni concilii qui eſt, ne liceat, neque cõtra auctoritatem, neque ſine auctoritate pontificis Synodum haberi, plerique meminere viri grauiſſimi, ac ſanctiſſimi, quibus nemo poterit non habere fidẽ, quicunque ſibi alioqui viro probo aliquid affirmanti haberi velit vnquã a bonis, & ęquis viris. Cum ergo Synodus Nicena ſtatuit, imo ante eam Apoſtoli, vt etiam Marcellus PP. affirmat in epiſt. prima ad Antioch. ne citra auctoritatẽ põtificis, cõciliũ haberi poſſet, nõne ſtatuit

& iudicauit, pontificem eſſe ſupra concilium? Quis enim vnquam iudex a reo auctoritatem veniendi in curiam ad ſubſellia, & ſedendi pro tribunali, vt iſti loquuntur, tum iudicandi, atque decernendi capit? Synodi enim prouiniciales, quæ neque præſente pontifice, neque eius legatis, imo neque eo conſultò, per prouincias ſingulas annis ſingulis haberi poſſunt, primũ, ne ęæ quidem citra auctoritatem pontificis congregãtur, cum ius congregandi, & habendi eas auctoritate pontificis ſancitum ſit in Can. Apoſtolorũ, in Atiochena Synodo, in œcumenicis conciliis Niceno, Calcedonenſi, & altero Niceno, id eſt ſeptimo. Deinde quæ in illis decernuntur, retractari poſſunt, ſi pontifici videatur, ſicuti in Niceno etiam decretum eſt, vt ſupra memini. Præterea in Synodis prouincialibus, quamuis ex pluribus prouinciis congregentur, maiores cauſæ, vt damnationes epiſcoporum ſemper Romano pontifici reſeruandæ ſunt, vt ex eodẽ Niceno cõcilio, & Sardicenſi didicimus, & ſummus pontifex Gelaſius, idemque prudentiſſimus, ac ſanctiſſimus hunc veluti interpretans Canonem in tomo de vinculo ana-
» thematis, Quod firmauit, (inquit) in Synodo, ſedes
» apoſtolica, hoc robur obtinuit, quod refutauit hoc
» habere non potuit firmitatem, ſola reſcindit quod præ
» ter ordinem cõgregatio Synodica putauerat vſurpan
» dum, non iteratę ſententiæ, ſed cum ſede apoſtolica
» veteris executrix. quod ſi hic quia pontifex Romanus eſt, ideo minoris eſt apud iſtos auctoritatis, anteponant ei, ſi placet, Enodium Ticinenſem diaconum Romanum, qui ſcribens aduerſus eos, qui contra canones in Symmachum pontificẽ Synodum congregarãt, nomine aduerſariorum ſibi obiicit, ergo concilia ſacerdotum, quia pręſentiam Papæ non habent, valetu
» dinem perdiderunt? Deinde reſpondit ſubiungens, le
» gitis inſaniſſimi aliquando in illis, præter apoſtolici

„apicis ſanctionem aliquid conſtitutum, & non de ma-
„ioribus ad collationem, ſi quid occurrerit, ſedis apo-
„ſtolicæ arbitrio fuiſſe reſeruatum? Ergo neque concilia prouincialia ſine auctoritate pontificis congregantur, & congregata de maioribus negotiis non agunt, ſed potius pontifici reſeruant, de minoribus vero ſic agunt, vt retractari poſſint, & quamuis de eis pro arbitrio ſtatuant, tamen vt aliquid eorum fixum, ratúque ſit, poſtea ad pontificem eſt referẽdum. Quæ ergo iſta concilii ſupra pontificem auctoritas, quod eſt in Niceno concilio decretum, neque ſine auctoritate pontificis cõgregari poſſe neque quicquam decernere, quod ratum ſit, niſi ad pontificem referatur? Aut enim concilium iſtud ſceleratum, quod ad reformandam, vel potius dicam, deformandam eccleſiam, inuito pontifice congregari, & haberi poſſe impie contendunt, œcumenicum erit, & vniuerſale, quod non credo, dicere audebunt, cum non præſit ei is, cui vniuerſus orbis commiſſus eſt, vt ſancta ſcriptura, doctoreſque ſancti eius interpretes teſtantur, neque legati eius, vnde potiſſimũ eſt, & dicitur œcumenicum, Oecumene.n. orbem habitatum ſignificat, aut prouinciale erit, id enim relinquitur, quamuis ex plurimis collectum prouinciis, vt illud Sardicenſe, quod ſupra meminimus, At huiuſmodi cõcilium retractari poteſt per vicarios epiſcopi Romæ, & quod in eo approbauerit, ratum erit, quod vero improbauerit, irritum. Quemadmodum ergo ſupra pontificem erit, quod ab eo, vel vicariis eius reſcindi, abrogari, & retractari poteſt? Sed tranſeamus ad concilium Calcedonenſe magni Leonis auctoritate, & ſexcentorum epiſcoporum numero, & conſenſu celeberrimum, in quo ita Canone nono ſancitum eſt, ſi
„clericus cum ſuo, aut cum altero epiſcopo litem ha-
„bet, diiudicetur ea lis in Synodo prouinciæ, ſin autem
„cum prouinciæ metropolitano vel epiſcopus, vel cleri

cus litiget, adeat exarchum, id eſt principem diœceſeos, vel ſedem regiam Conſtantinopolitanam, & ibi iudicetur. Adiungam vero Canonis huius explanationem non ex aliquo ex noſtris iuriſconſultis, & ſi illi quidem magni ſint, & nobiles, ſed ex prudentiſſimo iuris, eodemque ſanctiſſimo Nicolao primo „ pontifice, in quo (inquit) hic tenor obſeruandus eſt, „ vt ſi videlicet clericus, aut epiſcopus aduerſus me- „ tropolitanum habet querelam, & tanta vrgetur ne- „ ceſſitate, vel ſi hoc graue non ferat, vbicunque ſit „ poſitus, primatem diœceſeos petat. Quod ſi iuxta Cō- „ ſtantinopolitanam vrbem quiſque eorum cōſtitutus, „ & ſolius præſulis eius iudicio velit eſſe contentus, pe „ tat eandem regiam vrbem. Cum enim dixiſſet petat „ primatem diœceſeos, præceptum poſuit eadem ſancta „ Synodus, regulamque conſtituit. Cum vero diſiuncti- „ ua coniunctione addidiſſet, aut ſedem regiam vrbis „ Conſtantinopolitanæ, liquet profecto, quia hoc ſecun „ dum permiſſionem indulſit. Ergo ſaltem nunc non vi „ detis ad maiora ſemper eſſe properādum? & quāto ma- „ gis ad potioris auctoritatis iudicium tenditur quere- „ la, tanto adhuc amplius maius culmen eſſe petendum, „ quouſque gradatim perueniatur ad eam ſedem, cuius „ cauſa, aut a ſe, negotiorum meritis exigentibus in me „ lius commutatur, aut ſolius Dei ſine quæſtione reſer- „ uatur arbitrio. Quem autem primatem diœceſeos ſan- „ cta Synodus dixerit præter apoſtoli primi vicarium, „ nullus penitus intelligitur. Ipſe enim eſt primas, qui „ & primus habetur, & ſummus. Ne vero moueat, quia „ ſingulari numero diœceſeos dictum eſt, ſciendum eſt, „ quia tantundem valet dixiſſe primatem diœceſeos, „ ſicut ſi dixiſſet diœceſeôn. Plenæ ſunt enim ſanctę ſcri- „ pturæ tali forma locutionis. Denique ſcriptum eſt, „ Fons aſcendebat e terra irrigans vniuerſam faciem ter- „ ræ. qui enim non ait, vnus fons aſcendebat e terra, ſed ait,

„ ait, Fons autem aſcendebat e terra, pro numero plu-
„ rali poſuit ſingularem, vt ſic intelligamus, fontes mul
„ tos per vniuerſam terram, loca, vel regiones proprias
„ irrigantes, ſicut dicitur miles, & multi intelliguntur,
„ ſicut dicta eſt locuſta, & rana in plagis Aegypti. Ita &
„ hic diœceſim ſingulariter dixit, propter vnitatem pa-
„ cis, & fidei, quã pluraliter intelligi voluit. Hactenus Nicolaus, & eius explanatio Canonis noni concilii Calcedonenſis, in quo continetur pontificem Romanum exarchum, ſiue principem eſſe vniuerſum diœceſeon, id eſt ſupra omnes diœceſes, ac proinde ſupra cõcilium vniuerſorum epiſcoporum. Epiſcopi enim cum in concilium conueniunt, diœceſes ſuas repræſentant. Eadem ſententia de principatu pontificis ſupra vniuerſas diœceſes repetita eſt eiuſdem Synodi Galcedonenſis Canone decimoſeptimo. Mihi certe cũ attente conſidero, magna ratione, & iudicio, admirabilique conſilio dixiſſe videtur ſancta hęc Synodus numero ſingulari principẽ diœceſeos, etenim ſi numero multitudinis diœceſeon dixiſſet, videri fortaſſe poterat pontifex præſtare cæteris exarchis, ſiue epiſcopis numero tantum diœceſeon, aut eſſe quidem princeps ſingularum, ſed non vniuerſarum copulate, ſiue ſimul, vt iſti ſolent cauillari, nunc autem vniuerſarum principem voluit intelligi, veluti vnius diœceſos, hoc eſt, vnius ouilis, ita enim accipiunt veteres doctores ſancti de vna eccleſia, & pontifice vno, illud euangelii, fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Quod neceſſe eſt, negent, qui contendunt concilium eſſe ſupra Papã, id eſt, ouile ſupra paſtorem, diœceſem ſupra epiſcopũ. Ergo cum Synodus Calcedonenſis epiſcopum Romanum principẽ diœceſeos appellauit, perinde eſt, atque ſi appellaſſet iuxta Euangelium vnius ouilis principẽ paſtorem ita vt ſi concilium ex cunctis orbis ouilibus, hoc eſt, diœceſibus congregetur, cum cõcilium ipſum

vnum ouile repræſentet, velut vnam diœceſem, Synodus, quæ ſenſit, & iudicauit pontificem eſſe ſupra diœceſem, eadem perfecto iudicauit ſupra cōcilium orbis exiſtere, hoc eſt, œcumenicum eſſe. Qui horum neceſſariam conſequentiam non videt, tarditatem ſuam accuſet, vel potius dicam cæcitatem, qua propter perfidiam ſponte laboret. Præterea in ſynodo Romana ducentorum octuagintaquatuor epiſcoporum habita in Thermis Traianis præſente ſanctiſſimo pōtifice Silueſtro, Canon tertius eſt, neque pręſul ſummus a quoquā
„ iudicabitur. Et Canon vigeſimus. Nemo diiudicat pri
„ mam ſedem, quia omnes ſedes a prima ſede iuſtitiam
„ deſiderant temperari. neque ab Auguſto, neque ab o-
„ mni clero, neque a regibus, neque a populo iudex iudi
„ cabitur. Et ſubſcripſerunt ducēti octuaginta quatuor
„ epiſcopi, & quadraginta preſbyteri, & quinque diaco
„ ni, & Auguſtus Conſtantinus, & mater eius Helena.
„ & fixit canonem hunc Silueſter epiſcopus vrbis Ro-
„ mæ, & omnibus epiſcopis aſperſit. Ne autem de hac Synodo dubitent iſti, eiuſq. decretis, qui, quod nolunt, facile negant, præterquam quod plurima eius ſynodi exemplaria vetuſtiſſima reperiuntur, citat ex ea Synodo hos duos canones à me ſupra recitatos Nicolaus primus magnæ auctoritatis auctor in ea epiſtola longiſſima, quam ad Michaëlem imperatorem ſcripſit. in qua etiam interpretatur, quod eſt in altero horum Ca
„ nonum, id eſt, in vigeſimo, Iudex non iudicabitur,
„ haud dubium (inquit) quin eccleſiaſticus, ſcilicet eccleſiaſticum, ſiue eccleſiæ iudicem appellat pontificē, Quod ſi hæc explanatio iſtis non probatur, quia a pontifice profecta, etſi hoc ſcelus ſit, tamen permittamus illis dicere, de quo iudice hoc accipi velint. Quid habent quod cauillentur in clariſſimis verbis, quibus Synodus eſt vſa ad declarandum pontificem. Neque præ
„ ſul (inquit) ſummus a quoquam iudicabitur. Sane cō

cilium,quod iſti,tanquam in ſcena, ſupra Papam intro ducũt,velut gigantes ſupra Iouem,de quibus prophetauit Apoſt.Ad fabulas autem conuertentur, Concilium inquam,neque præſul eſt,neque pręeſſe poteſt omnibus.Eadem enim Synodus Canone.20. ita ſanxit,
»Nemo diiudicet primam ſedem, quia omnes ſedes à
»prima iuſtitiam deſiderant temperari. Hæc ergo eſt, quæ cæteris omnibus præeſt, vt hæc ſancta Synodus, tanquam Euangelii interpres declarauit.Quod ſi pontifex a nullo poteſt iudicari,eaque eſt tam aliarũ, quã huius Synodi ſententia clariſſima, quemadmodum introducere poſſunt iſti concilium ad reformandum caput,& membra,vt loquuntur,quin iudicet de capite? Teſtatur præterea idem Nicolaus tempore Diocletiani,& Maximiani,Marcellinum epiſcopum vrbis Romæ,qui poſtea fuit martyr,coactum fuiſſe a paganis,
»thus incendere,cuius rei gratia (inquit) collecto nu-
»meroſorum concilio epiſcoporum,& inquiſitione fa-
»cta,hoc ſe idem pontifex egiſſe confeſſus eſt,nullus ta
»men eorum proferre in eum ſentẽtiam auſus eſt, dum
»ei ſæpiſſime omnes perhiberent.Tuo ore iudica cau-
»ſam tuam,non noſtro iudicio.& iterum,Noli (aiunt)
»audiri in noſtro iudicio,ſed collige in ſinu tuo cauſam
»tuam.& rurſus,Quoniam ex te (inquiunt) iuſtifica-
»beris,aut ex ore tuo cõdemnaberis.Et iterum dicunt,
»Prima ſedes nõ iudicabitur a quoquam.Hactenus Nicolaus. Quæ hiſtoria licet in voluminibus conciliorũ contineatur,malui tamen propter auctoritatem ſcriptoris,licet eiſdem verbis,ex Nicolao primo recitare ne nomen auctoris antiqui,& certi deſideraretur. Idẽ etiam in eadem epiſtola ad Michaëlem teſtatur,cum olim Sixtus pontifex de quibuſdam criminibus accuſaretur concilio ſuper his accuſationibus conuocato,cũ Valentinianus Auguſtus interfuiſſet,decretum fuiſſe, non licere aduerſus pontificem pronunciare ſenten-

tiam,ſurrexiſſeque Imperatorē,& eidem cōceſſiſſe ſe-
ipſum iudicare,Itē in tertia Synodo Romana Symma
» chi Canon tertius eſt,ſi cuiuſlibet prouinciç ſacerdo-
» tes intra terminos ſuos concilio habito,quicquid ſine
» metropolitani,ſiue antiſtitis auctoritate tētauerint,
» irritum eſſe debere patres ſancti ſanxerunt, quāto ma
» gis,quod in apoſtolica ſede,non exiſtente præſule,qui
» prærogatiua,& meritis beati Apoſtoli Petri per vni-
» uerſum orbem primatum obtinet ſacerdotii, ſtatutis
» Synodalibus conſueuit tribuere firmitatem, a laicis, li
» cet conſentiētibus aliquantis epiſcopis,qui tamen pon
» tifici,a quo conſecrari probantur,præiudicium infer-
» re non potuerunt,præſumptum eſſe cognoſcitur, viri
» bus carere non dubium eſt,neque poſſe inter eccleſia-
» ſtica vllo modo ſtatuta cenſeri. Ergo ſi iudicia a Syno
dis facta de hac controuerſia requirunt iſti,vt dictita-
re ſolent,cernunt clariſſime,quæ ſit Synodi huius ſen-
tentia,ac iudicium,ſcilicet nihil quod ſine auctorita-
te pontificis ſtatuatur, ratum,legitimumque eſſe. Ad
» hæc idem Nicolaus narrat his verbis, quæ eſt quarta
» Synodus Romana Symmachi pontificis,cum Theodo
» ricus hæreſeos Arrianæ fæce pollutus Papam Symma
» chum vſque ad damnationem multis hunc accuſanti-
» bus impetere voluiſſet, & quotquot potuit ex Ligu-
» ria,Aemilia,Valeria,& ex diuerſis regionibus, atque
» de Sicilia inſula huius rei gratia epiſcopos,Romā colli
» gi præcepiſſet,& his ad ſe veniētibus dixiſſet,plura ad
» ſe horrenda de actibus Symmachi fuiſſe perlata, & in
» Synodi oportere ſi vera eſſet inimicorum eius obie-
» ctio indicatione conſtare, memorati pontifices, qui-
» bus allegandi imminebat occaſio, ſuggeſſerūt,ipſum,
» qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum conuoca
» re, ſcientes, quia eius ſedi primum Petri Apoſtoli me-
» ritum,vel principatus,deinde ſecuta iuſſionē Domini
» conciliorum auctoritas venerandorum,ſingularem in

„ eccleſia tradit poteſtatem, neque antedictæ ſedis an-
„ tiſtitem minorem ſubiacuiſſe iudicio. Et rurſus, Cau
„ ſas (inquiunt) ipſius iudicio eſſe committendas, qui
„ valet corpus occidere, & animam mittere in gehennã,
„ qui dicit mihi vindictam, & ego retribuam, apud quẽ
„ conſcientia nuda eſt, cui non abſconduntur occulta.
„ Et iterum, Ipſi dicunt, quod dicebatur, maiori iudici
„ reſeruabimus, inſtruentes eos, non eſſe ouium lupi in
„ ſidias præuidere, ſed paſtoris. Ad poſtremum vero cũ
„ viderent ipſi venerabiles præſules contra caput oues
„ manus ſuas erigere, quidquid de præſenti Symmachi
„ ſanctiſſimi actibus delatum fuerat, totum Dei iudicio
„ reſeruarunt, ita vt ſinguli quique in ſubſcriptione ſua
„ hoc patenter iudicent, cum dicunt, Laurentius epiſco
„ pus Mediolanenſis huic ſtatuto noſtro, in quo totam
„ cauſam Dei iudicio commiſimus, ſubſcripſi, ſimiliter
„ Petro epiſcopo Rauennatis eccleſiæ, & cæteris epiſco
„ pis ſubſcribentibus. Hactenus Nicolaus, Et idem Sym
machus in quinta Synodo Romana ducentorum de-
cem & octo epiſcoporũ hoc decretũ concilio approbã
te aduerſus eos fecit, qui epiſcopũ ſuum audent accuſa
re, nõ ergo neceſſe eſt (inquit) ſuperhis noua cudere,
„ ſed vetera recitare, atque firmare. Eſt enim a multis an
„ teceſſoribus noſtris Synodaliter decretum, atque fir-
„ matum, vt oues, quæ paſtori ſuo commiſſæ fuerint,
„ eum neque reprehendere, niſi a recta fide exorbitaue
„ rit, præſumant, quoniam paſtorum actus gladio oris
„ non ſunt feriendi, quamquam rite reprehendendi exi
„ ſtimentur. At iſti reformatores non ſolum reprehen-
„ dere, & gladio oris ferire volunt pontificem ſcandalo
„ ſe viuentem, ſed iugulare, ac de medio tollere, meli-
us ſe ſentire putantes, quam tot, ac tanti tam multo-
rum conciliorum patres per alia, atque alia tempora
idem ſentientes tanquam eundem ſpiritum Dei haben
tes, qui nobis illiſque in ſcriptura ſancta reuelatus eſt

ab eo, qui, ſicut Apoſtolus ait, vitam illuminauit per Euangelium CHRISTVS Dominus, de quo Beatus Ioannes, Qui illuminat(inquit) omnem hominem venientẽ in hunc mundũ. Eſt præterea decretum, quod Synodi Lateranenſis ſub Alexandro tertio eſſe, literis proditũ eſt, In eccleſia inquit Romana aliquid ſpecialiter conſtituitur, quia non poteſt ad ſuperiorem haberi recurſus &c. Veniamus tandem ad octauam Synodum œcumenicam Conſtantinopolitanam Adriano ſecundo pontifice, in qua legatis eius præſentibus decretum eſt factum, quod quidem vel ſolum ſatis iſtorum temeritatem, & inſolens, ac nefarium iudicium condemnat. Cum enim hoc decreto cautum ſit, vt ſi qua extiterit aliquãdo de eccleſia Romana controuerſia eatur ad ſedem apoſtolicam, & ea cum omni reuerentia conſulatur, ac ſententiam rogetur, Tantum abeſt vt iſti eccleſiam adeant, conſulant, & interrogent, vt etiam cum ea pugnent, & plane aduerſus eam decernant. Vt enim ſuperiore libro docui, qui pontifici detrahit, eccleſiæ detrahit, cuius gloria eſt, ſubditam eſſe pontifici in Domino, vt vxorem viro ſuo. Hic vero cum eos admonere, imo rogare ſolemus, vt videant quid de eo iudicatum ſit in conciliis, reſpondere ſolẽt, qui humaniores ſunt, nouam eſſe quæſtionem, quare tacitum de ea fuiſſe ante noſtram memoriam. Sed eſto nunquam ea quæſtio poſita fuerit, quæ nunc frequentiſſima, ac familiariſſima eſt, quid refert, prius ad eam quæſtionem reſponſum fuiſſe, quam ea poſita fuerit, quæ poni aliquando potuit, vt patrum noſtrorum memoria, noſtriſque temporibus eueniſſẽ videmus? Eſſe autem reſponſum docuimus ſupra, tot tantiſque Synodis commemoratis. Profecto huius octauæ Synodi tempore, aut quæſtio hæc iam tunc ponebatur, aut prophetauit Synodus, fore, quod ad exitum perductum eſſe videmus, vt aliquando poneretur. Sed poſi-

tā eſſe ab eo tempore nemo ſane dubitarit, qui de Photii patriarchæ Conſtantinopolitani auſu nefario auditum modo habuerit, qui in Adrianum pontificem Romanum auſus eſt, quod ante eum ſolus Dioſcorus in magnum Leonem, nempe anathemate afficere pontificem, quod vel dictu eſt horribile, & Ignatio patriarcha ſanctiſſimo viro exturbato, ſedē Conſtantinopolitanam occupare. aduerſus quem, miſſis a pontifice legatis, habita eſt hæc ſancta Synodus, de qua loquimur quæ aduerſus iſtorum, qui concilium eſſe ſupra Papā ſomniant, iudicium temerarium ſic cauit canone vi-
» geſimo primo, Porro (inquit) ſi Synodus vniuerſalis
» congregata fuerit, & facta fuerit etiam de ſancta Ro-
» manorum eccleſia quæuis ambiguitas, & controuer-
» ſia, oportet venerabiliter ab ea cum conuenienti reue
» rentia, de oppoſita quæſtione ſciſcitari, ac ſic proficc-
» re, aut profectum facere, non tamen audacter ſen-
» tentiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ pontifices, Scilicet quanta ſit eccleſiæ Romanæ auctoritas, & vtrum ſit alia eccleſia pari, aut maiore auctoritate hæc ſancta & œcumenica Synodus octaua, iudicio, & ſententia ipſius eccleſiæ Romanæ ſtandum eſſe iudicauit. Sententia vero eccleſiæ Romanę, id eſt catholicę, quæ eſt omnium eccleſiarum parens, ſententia pontificis eſt mature, & canonice pronunciata, ac decreta, de qua legitima, & canonica ſanctione in Synodis pontificis auctoritate confirmatis dubitarę non magis licet quam de omnium Chriſtianorum ſententia dubitare liceat. Huic enim aduerſatur qui illi aduerſatur. Quæ vero ſit huiuſmodi canonica ſanctio de auctoritate pontificis cum concilio comparatæ, vtrum ſupra, an infra ſit, ſatis perſpici poteſt vel ex vna, nedum ex tot Synodis a nobis commemoratis, & earum decretis recitatis. Verum his tot, ac tantis, tamque dilucidis conciliorum decretis opponere ſolent iſti Con-

ſtantienſe,ac Baſileenſe ſancta, & generalia concilia, in quibus quidem legunt,quod defendunt, ſcilicet cõcilium eſſe ſupra Papã,ſed vt video (dicam enim quod ſentio) parum illa quidem attente legunt, aut etiam ſi attente legant,tantum valet eorum opinio præiudicata,qua ad legendum accedunt,vt quicquid in eis legant,ſecum facere falſo putent. Sed niſi ego demonſtrauero,non cum iſtis,ſed nobiſcum potius facere,numerandaque eſſe nobis horum conciliorum de hac re decreta cũ ſuperioribus a me recitatis,neque illis ipſis ſuperioribus fidem habeant. Præcipit Auguſtinus in regulis de doctrina Chriſtiana ad intelligendos ſcripturæ ſanctæ locos difficiles,vt cum quid in ſcriptura ſancta planiſſime dictum eſt,illud teneamus,quod ceu explanationem adhibeamus,cum idem obſcurius alio in loco ſcripturæ ſanctæ dicitur,ita vt hoc ad illud tanquam ad regulam dirigamus, ne qua dictorum diſcrepantia eſſe videatur.Hoc idem in cõciliis interpretandis, atque legendis obſeruandum eſſe intelligamus. Neceſſe enim eſt idipſum dicere omnia,aut ſi non dicant,non concilia,ſed ſchiſmata eſſe, aut idem ſecum pugnare,quod eſt furioſi,cum concilia omnia ſancta vnum ſint,ſicuti vna eſt eccleſia, quam diuerſis temporibus repræſentant, neque eſſe iam eccleſiam Dei ſed Satanæ,non enim eſt Deus diſſentionis, ſed pacis. Nõ licet ſuſpicari ſancta concilia(vt cũ Apoſtolo loquar) leuitate vſa eſſe vnquam, aut quæ cogitarunt,& ſenſerunt aliquando ſecundum carnem cogitaſſe,ac ſenſiſſe,ac non potius vnctione docente,idem perpetuo prędicaſſe, & decreuiſſe, aut vllo tempore in illis fuiſſe, eſt,& non,fidelis autem Deus,quod ſermo illorũ non fuit eſt,& non,ſed in illis fuit eſt.Non enim patres cõciliorum cauponati ſunt verbum Dei,ſed fideliter tradiderunt.non enim ſpiritu humano prophetias attulerunt,ſed ſpiritu ſancto aſpirante interpretati,& locuti ſunt,

ti ſunt, quæ ad fidem, & vitam Chriſtianam neceſſaria eſſe videbantur, in quibus quidem ſemper fuit eſt, in aliis verò non neceſſariis diſpenſatio, & œconomia eſt ſecundum ſpiritum quidem, non autem ſecundum carnem, ita vt fuerit in his aliquando eſt, & non, prout vtilitas, & ædificatio proximorum poſcere videbatur. Ergo cum ſint tam perſpicua aliorum de hac re, quam tractamus, iudicia, & ſententiæ, quid aliud reliquum erat iſtis, niſi vt crederent hæc duo concilia, quæ tanquam diſcrepātia cum ſuperioribus, nobis opponunt, non illa quidem diſcrepare cum aliis, ſed ipſos potius, quēadmodum illa conuenirent, non intelligere, atque ita aut per ſe diligenter veſtigare, aut ab aliis quærere debuerunt. Docebo ergo (vt dixi) hæc concilia nobiſcum facere, & qua parte non videantur facere, nihil valere, eundemque ſpiritum fuiſſe, qui in illis ſuperioribus, atque his, fidem de auctoritate pontificis ſupra omnia mundi concilia reuelauit. Ergo Synodus Conſtantienſis in quarta, & quinta Seſſione fere ex obediētibus Ioanni vigeſimotertio conſtans ſine vlla pontificis, aut vicarii eius approbatione, imo poſt receſſum illum clandeſtinum Ioannis. 23. vt ex ipſis actis colligere licet, ita decreuit, "Declarat hæc ſancta Synodus, "quod ipſa in ſpiritu ſancto congregata concilium generale faciens poteſtatem a CHRISTO immediate habet, cui quilibet, cuiuſcūque ſtatus, vel dignitatis, etiā "ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in iis, quæ pertinent "ad fidem, & ſtirpationem ſchiſmatis, & reformationē "eccleſiæ in capite, & membris. Deinde eadem Synodus Conſtantienſis conſtans iam communi concordia ex iis, qui obedierant Ioanni, Gregorio, Benedicto, tribus illis pontificatu eiectis, ipſiſque aſſentientibus, & pace inita, quaſi iam ſanius ſentiens, totam auctoritatem reformationis faciendæ pontifici cum concilio tribuit, Ita enim ait Seſſione quadrageſima. Sacroſan-

„ cta generalis Synodus Cõſtantienſis in ſpiritu ſancto: „ legitime congregata, vniuerſalem eccleſiam repręſen- „ tãs, ſtatuit, & decreuit, quod futurus põtifex per Dei „ gratiam de proximo aſſumendus, cum hoc ſacro conci „ lio, vel deputandis per ſingulas nationes, debeat refor- „ mare eccleſiam in capite, & membris, &cæt. Non iam addit hæc ſacroſancta Synodus poteſtatem immediate à Deo habens, cui Papa etiam obedire tenetur, &cæt. Saniſſime vero ſenſit creato iam pontifice Martino. v. & cum eo coniuncta. Illud enim decretum, quod inſolenter contra alia concilia, neque præſente pontifice, neque eius legato, de auctoritate concilii ſupra pontificem factũ fuerat Seſſione quarta, & quinta, reſciſſum, damnatumque eſt ab eodem poſtea Martino quinto, eodem ſacro approbante concilio, vt perſpici poteſt in Martini bula, in qua ſæpe repetitur illud. Sacro approbante concilio. Iubetur autem in eadem bula epiſcopis, archiepiſcopis, & inquiſitoribus, vt inter cęteros articulos ibidem ſcriptos, & inquirendos, atque examinandos in ſuſpectis, inquirant, vtrum ſuſpectus credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor beati Petri ſupremam habens auctoritatem in eccleſia Dei. Aiebant enim hæretici Ioannes Vvicleff, & Ioannes Hus ab eadem Synodo Conſtatienſi damnati, non fuiſſe Petrum caput eccleſiæ, vt ſucceſſoribus eius auctoritatem derogarent. Sic itaque frequens Synodus Cõſtantienſis mature, & canonice tandem ſenſit, & iudicauit, pontificis ſui canonicam auctoritatem ſecuta, ſic (inquam) vt ab aliis conciliis ſemper iudicatum, decretumque fuerat. Contra vero ſenſerat, atque decreuerat tunc, cum ſecum diſſidebat, cum ex iis fere conſtabat, qui Ioanni. 23. adhærebant, quem poſtea coegit abire pontificatu, cum (inquam (neque pontifex, neque eius vicarius aſſenſus eſt. Contra inquam ſenſe-

rat,inquam atque alia ſuperiorum temporum concilia,quæ ſupra commemorauimus. Iudicent nunc iſti, vtram eius concilii Conſtantienſis ſententiam tenendam eſſe putét,& vtri eius iudicio maiorem tribuant auctoritatem. Sed videamus vtrum Synodus Conſtantienſis,quæ cum pontifice canonice iudicauit habere pontificem ſupremam in eccleſia auctoritatem, eadem tunc quoque iudicauerit,ipſum in concilio ſupremam habere authoritatem,ac ſupra cõcilium eſſe. Certe vtrumque ſimul iudicaſſe cõſtat.Siquidem concilium vniuerſam eccleſiam repręſentat, quod negat nemo, vt cũ alii,tum Synodus Romana Martini quinti contra Monothelitas habita Canone tertio,& Bonifacius Pont.in epiſtola ad Ruſticũ Narbonenſem affirmat. At quid eſt ſupremam auctoritatem in concilio habere,niſi ſupra concilium eſſe?Supremam enim auctoritatem in eccleſia habere,quod totidem verbis Synodus iudicauit, ac decreuit, nonne eſt toti eccleſiæ præeſſe,quod ſucceſſoribus Petri omnes cõcedunt fideles?Sed quemadmodum præeſſe poteſt quis vniuerſæ eccleſiæ ſuper ipſum ædificatæ,ſi eius auctoritas nõ ſit ſupra vniuerſam eccleſiam,cui præeſt? Idem ergo intelligendum eſt de concilio generali, cui per ſe, aut vicarios ſuos præfuit ſemper,& præeſſe debet pontifex,præeſſe autem intelligi non poteſt,niſi ſupra concilium ſit.Præterea ſi ſupremam auctoritatem in eccleſia pontifex habet ſacro Conſtantienſi concilio approbante,& altera maior auctoritas relinquitur,concilii ſcilicet vt iſti volunt,ſequitur,vt ea auctoritas concilii,ideſt eccleſiæ extra eccleſiam ſit.Sed quid hoc monſtri eſt?Ita me Deus amet.vt tota iſtorum cœca opinio repugnantiis eſt plena,quas qui nõ viderunt,aut nunc ſaltem non vident,nõ poſſum iudicare,niſi cœcos eos fuiſſe,& eſſe.Opponunt præterea nobis iſti concilium Baſileenſe,quod quidem, vt more illorum Syllabas au

cuper,& vt loqui ipſi ſolent,verba ponderem,cum ſo lum dicat,& profiteatur renouare ſe decretum Conſtantienſis concilii,de auctoritate concilii ſupra ponti ficem,id autem irritum fuiſſe,& nihil valere, ſupra demonſtratum ſit, Repugnat enim cum Martini quinti decreto,quod Synodo Conſtantienſi approbante factum eſt,tum conciliis ſuperioribus, quæ eadem Synodus approbauit,ſequitur neque hanc quidem renouationem ſanctionis irritę ratam eſſe, vlliuſue ponderis. Deinde profitetur Synodus Baſileenſis renouare ſe decretum Synodi Conſtantienſis,ſicuti nonnullæ (inquit) Synodi Canones ſalutares ſuperiorum Synodorum ſolitæ ſunt renouare,at nullæ vnquam ſanctę Synodi decreta prius irrita de iis,quæ ad doctrinam, & vitam Chriſtianam pertinent,quale eſt hoc,de quo loquimur, renouarunt. Vt iam, ſi nullum extet exemplum ſimilis renouationis,quod hæc Synodus ſequi profitetur,neque ipſa renouatio Conſtantienſis Canonica ſit,neque Canonicę renouationis imitatio, ſed potius peſſima,& vaniſſima inuentio. Sed recitemus renouationem Seſſione .18. Quemadmodum(inquit)
» nonnulla concilia præcedētium Synodorum ſalubres
» inſtitutiones,& declarationes renouare conſueuerūt,
» ita & hæc ſancta Synodus neceſſariam illam declara-
» tionem de generalium conciliorum auctoritate in di-
» cto Conſtantienſi concilio promulgatam ſub eodem
» tenore innouat. Deinde ſequitur decretū.In hoc etiā mirabilis Dei prouidētia cernitur,quod iis verbis illi præter ſuam opinionem,ac voluntatem diuino tamen concilio vſi ſunt, quæ(vt iſti loqui ſolent) nullum veritati parerent præiudicium. Deinde decreuit Eugenius.4. flagitantibus Baſileenſibus, & quidem inſolenter, ac minaciter, vt concilium Baſileenſe a ſe ante dimiſſum, ac ſolutum redintegraretur, ac continuaretur, ſcilicet ad extirpandas hæreſes, & ſchiſmata, ad

pacificationem populi Chriſtiani, & ad communem omnium reformationem, vt iam quidquid ad hæc non pertineat, de eo tractatio, ac cõſtitutio nullam habeat auctoritatem, ipſa etiam Synodo approbante. An vero concilium eſſe ſupra Papam ad ſchiſmata tollenda ſpectet, & an ſit dogma eccleſiaſticum, ex ſcripturæ ſanctæ locis libro primo pertractatis & ex conciliis ſupra recitatis, & ſanctorum patrum præiudiciis cognoſci poteſt. Sed recitemus verba ex Seſſione.16. Declaramus (inquit) præfatum concilium Baſileenſe a tempore prædictæ inchoationis ſuæ legitime continuatũ fuiſſe, & eſſe, proſecutioneque continuari, & proſecutionem habere debere ad prædicta & pertinentia adea. Has vero literas, ſeu bullam (vt vocant) ipſa Baſileenſis Synodus ita approbauit. Lectis (inquit) & examinatis diligenter ſanctiſſimi Domini Eugenii.4. literis eadem ſancta Synodus decernit, & declarat præfatum Dominum Eugenium per prædictas literas ſatisfeciſſe plenarie monitioni, citationi, & requiſitionibus huius ſacriconcilii, ipſaſque literas approbat, acceptat, & admittit, rataſque habet, & gratas, & ſic ab omnibus haberi vult. Præterea decretum hoc, quod iſti iactant, fecit Synodus Baſileenſis abſentibus legatis, vt cum exemplaria ipſa teſtantur, in quibus hoc additum eſt de abſentia legatorum, tum ii, qui interfuerunt. atque idcirco irritum eſſe vel ex literis conſtat Martini quinti miſſis ad legatum ſuum Iulianum Cardinalem ſancti Angeli, confirmatis poſtea ab Eugenio deinde lectis & approbatis in Baſileenſi Synodo tunc, cum Seſſione.16. approbauit continuationem concilii Baſileenſis Eugenii, cum Baſileenſi Martini. Illis enim literis Martinus pontifex mandabat, vt de omnibus, quæ agenda, & tractanda eſſent, cum concilio concilii ageret, vt iam de quocunque decreto ſanciendo non ageret cum concilio, irritum eſſe, & omni auctoritate

carere neceſſe ſit, quale eſt decretum, de quo loquimur. Cum enim Baſileenſe concilium Eugenii, cum Baſileenſi Martini auctoritate pontificis, & ipſo concilio approbante continuaretur, nihil erat præter eas literas, ſeu bulam tentandum continuato concilio, non magis quam nunquam ſoluto, ac dimiſſo, cum idem eſſet, Quæ enim continuantur idem efficiant neceſſe eſt. Iam credo, cernitur, quam auctoritatem habeat decretum de auctoritate concilii ſupra Papam, quod à Conſtantienſi concilio ſeſſione. 40. improbatum, poſtea patres Baſileenſes abſente legato pontificis, neque mature, neque canonice renouarũt, immemores, quid paulo ante approbaſſent, quod cum eo decreto repugnabat, nempe Martini literas ad Iulianum legatum miſſas. itẽ immemores, quid Cõſtantinopolitana Synodus octaua canone. 21. decreuiſſet. Porro (inquit) ſi Synodus vniuerſalis congregata fuerit, & facta etiam de ſancta Romanorum eccleſia quæuis ambiguitas, & controuerſia, oportet venerabiliter, & cum omni reuerentia de oppoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, &c. Oſtendant ergo iſti, qui Baſileenſe cõcilium nobis obiiciunt, quãdo Patres Baſileenſes ſedem ſuper hac ambiguitate conſuluerunt, & quid ſedes apoſtolica conſulta reſpõderit, aut ſi oſtendere nõ poſſunt, deſinant defendere, ac tenere ſceleratum decretum Baſileenſium de auctoritate concilii ſupra pontificem, a ſancta ſcriptura, a traditione Patrum, a ſententia Pontificum, a ſanctionibus conciliorum ab eccleſiaſtica diſciplina, & vnitate alienum, quo illi decreto auſi ſunt, Baſileenſes dico, tanquam iudices põtificis, ſupplicia illi decernere, & ſancire, Ita enim ſtatuerunt, Et ſi concilii ſtatutis non paruerit, condignæ pœnitentiæ ſubiiciatur, & debite puniatur. Hactenus de Baſileenſi Synodo. De ipſis vero Baſileenſibus, qui illud fecerunt, ſi mihi opponant eorum multorũ

eruditionem, qua erant excellentiſſimi, ſimul etiam ſanctitatem, & ſummum Chriſtianæ vitæ ſtudium, re ſpondebo, quod Vincentius Lirinenſis grauis auctor, cuius ſupra memini, dixit de Photino, Apollinare, atque Origene ingenio, doctrina, atque induſtria præſtantiſſimis, ex quibus Apollinaris 20. libris eruditiſſimis cum maxima eccleſiæ vtilitate inſanias Porphyrii confutaſſe traditur, Origenis vero libros omni eruditione, & miris ſcripturarum explanationibus refertos ex infinitis aliis, quos compoſuit, nobis relictos nemo poteſt ſine admiratione legere. Hos ergo ait Lirinenſis, eorumque errores tentationem eccleſiæ extitiſſe, id eſt tentatos eſſe per eos eccleſiæ ſectatores, vt palam fieret, vtrum diligerẽt Deũ, ſicuti ſcriptũ eſt in Deut.

» Si ſurrexerit (inquit) in medio tui propheta, aut qui
» ſomnium ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum, atque
» portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit
» tibi. Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos igno-
» ras, & ſeruiamus eis, non audies verba prophetæ il-
» lius, aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus
» veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in
» toto corde, & in tota anima veſtra. Dominum Deum
» veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius
» cuſtodite, & audite vocem eius, ipſi ſeruietis, & ipſi
» adhærebitis. Propheta autem ille, aut fictor ſomnio-
» rum interficietur, quia locutus eſt, vt vos auerteret a
» Domino Deo veſtro. Huiuſmodi ergo prophetæ fuerunt doctores illi Baſileenſes, ſic enim interdum vocat Apoſtolus doctores, cum ſomniarunt concilium eſſe ſupra pontificem, id eſt, cum eſſent oues, ſomniarunt ſe in ſummum paſtorem mutatos eſſe, aut cum eſſent pedes, calciatique eſſe deberent in præparationem Euangelii pacis, prompti ad obediendum veritati, & vnitati eccleſiaſticæ, ſomniarunt ſe repente ex pedibus factos eſſe caput nudum galea ſalutis, quę eſt re

ctum iudicium, ac concilium, ſicut ſcriptum eſt in ſapi
» entia. Imponet galeam iudicium, quia ſcilicet non ſte
terunt ſuccincti lumbis in veritate, ſed potius cupidi-
tate, & odio corrupti, ſenſum errore, ac falſitate im-
plicarunt, & iniuſtitiæ lorica munierunt, qui vt caput
& membra, ſicuti iactabant, reformarent, vel potius
deformarent, neceſſe erat eoſdē deſinere eſſe membra
CHRISTI, id eſt ſchiſmaticos eſſe, vocareque, vt de
falſis prophetis ſcriptum eſt, ad ſequendū Deum alie-
num, hoc eſt, ad Schimaticam, & hæreticam illam ſen
tentiā. Deus enim non eſt diſſentionis, ſed pacis. Nos
vero quamuis euenerint, quæ prædixerunt prophetæ
illi, doctores inquam Baſileenſes, ſicuti de prophe-
tis illis falſis ſcripſit Moiſes id eſt, quamuis multa alia
iuſte, & ſancte conſtituerint, & rata ſint, & habean-
tur, & cum alias, tum vt audio, in Gallia religioſe ſer-
uentur quod Leone 10. pontifice Later. Con. auctori-
tate perfectū eſt, & Nicolai 5. approbatioue, quod ve
hementer laudo, tamen, ſi volumus, vt palam fiat,
vtrum Deum in toto corde diligamus, cauendum eſt,
ne ab illis tentati, ab Euangelii regula, ab eccleſiaſtica
traditione, & priſcorum patrum cōſenſu, & commu
ni eorum præiudicio, a ſanctiſſimorum conciliorum
auctoritate, & decretis recedamus. Oportet hæreſes
eſſe, & ſchiſmatum, tanquam bellorum opiniones, vt
probati manifeſti fiant. At quemadmodum manifeſti
fient, niſi cum ſe oſtenderint ſcripturis ſanctis, & ec-
cleſiaſticis traditionibus adhærere malle & pro eo mil
le mortes oppetere, quam, vt Apoſtolus ait, profanas
vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcien-
tiæ ſectari? Cauendum igitur, iterum dicam, ne ab illis
aliiſque huiuſmodi tentati, a veritate fidei recedamus
Prophetas vero illos, aut ſomniatores nō dico periiſſe,
quia ſcilicet non ſunt ſic locuti, vt nos a Deo noſtro
auerterent, quos veniā potius conſecutos credo, quia
ignorantes

ignorantes fecerunt in incredulitate ſua de tanta pontificis auctoritate, tamē illud dico, atque affirmo, qui eos adhuc pertinaciter ſequi voluerint, poſt veritatem ab eo tempore occaſione illa magis, ac magis illuſtratam, ſubuerſos eſſe hos, ſicut Apoſtolus ait, & proprio iudicio damnatos, & idcirco vitandos, quorum malitia damnari poteſt, inſcitia vero, & incredulitas eorum iam excuſari non poteſt. Credo ſatis demonſtratum eſſe, quod ſupra promiſi, duo concilia, Conſtantienſe, ac Baſileenſe, quæ aduerſarii iactare ſolent, minime cum illis facere, ſed nobiſcum. De auctoribus vero illius decreti irriti, &, vt Græci dicunt, ἀκύρου quid etiam ſentirem expoſui. Addamus nunc ad illa ſuperiora extremum cōcilium memoria patrum noſtrorum Florentiæ, Eugenio pontifice, habitum, œcume-" nicum, & ſanctiſſimum, in quo ita decretum eſt, Diffi-" niuimus ſanctam, apoſtolicam ſedem, & Romanum" pōtificem in vniuerſum orbem tenere primatum. An non hoc eſt decreuiſſe, pontificem eſſe ſupra conciliū? Nam quemadmodum poteſt ſupra vniuerſum orbē habere principatum, niſi ſupra concilium ſit, præſertim cum concilium cunctum orbem Chriſtianorū, vniuerſumq. populū credentiū repræſentet, vt iſti etiam concedunt? Deinde ſequitur in decreto, & ipſum pontifi-,, cem Romanum diffinimus ſucceſſorem eſſe beati Pe-,, tri principis Apoſtolorum, & verum CHRISTI vica-,, rium, totiuſque eccleſię caput, & omnium Chriſtiano-,, rum patrem, atque doctorem exiſtere. Quæro, quem-,, admodum patrem omnium Chriſtianorum, ſi nō opor-,, tet filios ei ſubditos eſſe, ſicut ſcriptum eſt, Filii obedite parentibus veſtris in Domino? Aut quemadmodū doctorem, ſi diſcipuli poſſūnt eſſe ſupra magiſtrum, cōtra Domini ſententiam, ac præceptum, qui voluit, & iuſſit his verbis, ſi quando accideret eum progreſſum facere diſcipulum, vt de virtute cum præceptore cer-

taret, tamen debere ſemper meminiſſe ſui ordinis, continereque ſe intra modum diſcipuli. Vnde Apoſtolus „ ſententiam Domini ſecutus, Seniorem (inquit) ne in„ crepaueris, ſed cum omni reuerentia obſecra, vt patrē. Hunc enim locum explicans Siluester pontifex in decretis Synodi Romanæ ſe pontifice habitæ, De epiſco„ pis ait, hoc dixit. Non eſt enim diſcipulus ſupra magi„ ſtrum, id eſt, non debet quiſquam ad iniuriam do„ ctorum ſibi vindicare doctrinam, neque alia machina„ tione diſcipulis, id eſt, Apoſtolorum ſucceſſoribus de„ trahere, aut eos infamare. Quia iniuria doctorum ad „ CHRISTVM pertinet. Hactenus ille. Et Iacobus, No„ lite (inquit) fieri multi magiſtri, ſcientes, quia maius „ iudicium ſumitis. Sed pergamus recitare decretum. „ Sequitur enim. Atque ipſi in beato Petro paſcendi, re„ gendi, atque gubernandi vniuerſalem eccleſiam à Do„ mino noſtro IESV CHRISTO plenam poteſtatem „ traditam eſſe. Quomodo verò plenam poteſtatem, ſi concilium ſupra pontificem ſit? Aut quomodo pontifex præpoſitus eſt à Domino lege diuina vniuerſali eccleſiæ regendæ, ſi in eum poteſt populus Chriſtianus, quia turpiter, & ſcādaloſe viuat, quod item poteſt populus in regem lege humana conſtitutum, ſi tyrannus fiat? Eant ergo modo iſti, & negent nunquam in concilio œcumenico decretum eſſe, Papam eſſe ſupra concilium, quia non hoc totidem verbis decretum eſſe legant, quamquam & totidem verbis eſſe, ſupra attulimus ex Niceno. Sed eſto, non ſit totidem verbis ſanctum, an non ſatis eſt, hoc neceſſario ex decretis concludi? Alioqui negent in Euangelio, eſſe ſpiritum ſanctū ex patre, filioque procedere, quia non legunt hoc totidem verbis in Euangelio, & alia huiuſmodi non pauca. Sed de conciliis hactenus. Reliquum eſt, vt hunc librum abſoluamus, ſanctorum doctorum, tāquam ſcripturæ ſanctæ, huiuſque ſententiæ de auctoritate pon-

tificis ſupra concilia omnia, interpretum teſtimonia producere, pauca illa quidem, quia cum infinita ſint & eorum plurima ab aliis citata, cui hæc ab aliis prætermiſſa non facient ſatis, neque infinita illa fecerint, præſertim cum concilia qui citat, idem multorum doctorum eccleſiæ teſtimonia, quibus vtuntur, & quidē maiore auctoritate citet, quoniam concilia ipſa auctoritatem ſanctis doctoribus tribuerunt, ac ſanxerunt, vt ex quinta Synodo, & Synodo Romana Martini contra Monothelitas habita, & ex ſexta perſpici poteſt. Ergo beatus Ignatius beati Ioannis diſcipulus in epiſtola ad
„ Magneſios. Vti CHRISTVS, inquit, abſque patre nihil
„ faciat (id enim ſignificare, A me ipſe nihil facio) ſic
„ abſque epiſcopi ſententia nihil eſſe faciendum presby-
„ teris, diaconis, laicis. Et in epiſtola ad Smyrnenſes, epi-
„ ſcopum (inquit) ſequimini, ſicut CHRISTVS Pa-
„ trem. Et paulo poſt. Nemo præter epiſcopū agat quic-
„ quam eorum, quæ ad eccleſiam pertinēt. Nihil itaque ſanctiſſimus martyr in eccleſiaſticis rebus conſtituendis, aut reformandis, vt iſti loquuntur, audere voluit presbyteros eccleſiæ, niſi auctore epiſcopo, imo ſi quid nō illo auctore, aut approbatore in eccleſia cogitarent ſcelus committere paraſynagoges, aut ſchiſmatis, obedientiamque abiicere, de qua multa, & ſæpe cū alias, tum in epiſtola ad Philadelph. Quare omnia eſſe illis referenda ad epiſcopum tanquam ad ſuum, ſuorumque cōciliorum caput, & paſtorem, quo nihil eſſe poteſt cum ſancta ſcriptura congruentius. Qui ergo iudicauit, vt ex his, aliiſque multis huiuſmodi locis perſpici poteſt, concilium presbyterorum non eſſe ſupra epiſcopum, an non etiam iudicaſſe videtur, neque concilium epiſcoporum, neque archiepiſcoporum eſſe ſupra primum archiepiſcopū Romæ Petri principis Apoſtolorum ſucceſſorem? Vt enim epiſcopus præeſt presbyteris ſuis, ſic pontifex presbyteris, cæteriſque epi-

ſcopis,imo omnibus Chriſtianis.At iſti neque intelligentes,ſicut Apoſtolus ait,quæ loquuntur, neque de quibus affirmant,contendere audent cōcilium haberi poſſe ad conſtituendas res eccleſiæ inuito pontifice, quod eſt,cōcilium ſacerdotum,& epiſcoporum ſupra pontificem eſſe. Veniamus ad Cyprianum item martyrem nobiliſſimum,ſapiētiſſimumque magiſtrū, qui de Cornelio pontifice ad Antonianum ſcribens,affirmat pontificem ita eſſe primū epiſcopum,vt ſolus ſit, neque habeat ſecundum,ſcilicet præſidentia parem. Minores enim habet infra ſe,ſecūdos,tertios,& quartos,ac deinceps.Itaque qui pręſidētiæ pontificiæ præſtantiam tantam eſſe iudicauit,ſcripturæ ſanctæ,id eſt CHRISTI auctoritatē ſequens,vt parem ei non relinqueret,quod non caro,& ſanguis ei reuelauit,ſed Dominus per Euangeliū ſuū, quēadmodum maiorem relinquendū eſſe iudicaret?aut quid præclari habet parē nō habere,qui habeat ſuperiorem?Item ſi is,qui ſe ſecundū faceret,hunc beatus martyr Cyprianus dixit nimis ſe iactare,plurimū vendicare,profanū eſſe, alienū eſſe,foris eſſe,eccleſiæ vnitatē nō tenere,quid dicturū fuiſſe putemus,vel potius quid dixiſſe, ac iudicaſſe de eo,qui primū facit? Præterea idē Cyprianus in epiſtola ad Florētiū,eccleſiā(ait)quæ ſuper petrā ædificata eſt,in epiſcopo eſſe, & epiſcopū in eccleſia, ita,vt qui cū epiſcopo non ſint,cū eccleſia nō ſint eſſe .n. eccleſiā gregem ſuo paſtori adhęrentem.Cum ergo concilium eccleſiam catholicam repræſentet,quod iſti credo, nō negant,ſequitur,vt concedant iudicaſſe Cyprianum, concilium eſſe in epiſcopo eccleſiæ catholicæ Romanæ beati Petri principis Apoſtolorum ſucceſſore, de quo loquebatur in ea epiſtola,& viciſſim eundem epiſcopum eſſe in concilio.Quare qui ſe a pontifice ſeparat,extra concilium eſt,quamquam ſe iactet,& appellet concilium,& extra eccleſiam eſt, quanquam ſe pu-

tet eccleſiam repręſentare. Denique extra gregem eſt, cum ſe à paſtore ſeparat. Ridiculum verò eſt exiſtimare concilium ſine auctoritate pontificis, imo eo inuito congregatum, non ſeparari a pontifice. Quid.n. aliud eſt adhærere pontifici, quam ei obedire? Quare concilium iſtud, quod ſupra Papam eſſe iactant, non concilium eſt, ſed ſchiſma. Sed proferamus iam Baſilii magni de hac re præiudicium, quod ita magnũ, euidenſq. eſt, vt vel ſolo hoc poſſet tota hæc lis decerni, tametſi (vt verum fateamur) in vno Baſilio multorum præiudicia afferam, primum Athanaſii Alexandrini, ad quẽ epiſtolam ſcripſit, ex qua mox ſententiam recitabo, deindè eorum epiſcoporum, quibus viſum eſſe ait, & ſibi, ſcribere de hoc ad pontificẽ, tum pręceptorũ ac cõdiſcipulorum, & æqualium eius, qui quales, quãtique fuerint, aut non ignorant iſti, aut ſcire facile poſſunt. Quis enim credat aliter illos in re tam graui, ac tanti momẽti ſenſiſſe, ex qua eccleſiaſticarum rerũ in oriẽte conſtitutio, & hæreſum dãnatio, ac profligatio pendebat? Recitabo itaq. Græce, ne ſi latine tantũ vertero, minus fortaſſe dicã, aut plus dixiſſe exiſtimer, Ἐφάνη, in
,, quit, ἡμῖν ἀκόλουθον ἐπιστεῖλαι τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης ἐπισκέψασθαι τὰ
,, ἐνταῦθα, καὶ δοῦναι γνώμην, ἵνα ἐπειδὴ ἀρχὴ κοινοῦ, καὶ συνοδικοῦ δό-
,, γματος ἀποστεῖλαί τινας δύσκολον τοὺς ἐκεῖθεν, αὐτὸν αὐθεντῆσαι
,, περὶ τὸ πρᾶγμα, ἐκλεξάμενον ἄνδρας ἱκανοὺς μὲν ὁδοιπορίας πόνους
,, διενεγκεῖν. ἱκανοὺς δὲ πρᾳότητι καὶ ἀπονίᾳ ἤθους τοὺς ἐν διαστρόφοις τοὺς
,, παρ' ἡμῖν νουθετῆσαι ἐπιτηδείως δὲ καὶ οἰκονομικῶς κεχρημένους τῷ λό-
,, γῳ καὶ πάντα ἔχοντας μεθ' ἑαυτῶν τὰ ἐν Ἀριμήνῳ πεπραγμένα ἐπὶ λύ-
,, σει τῶν κατὰ ἀνάγκην ἐκεῖ γενομένων, καὶ τοῦτο μηδενὸς εἰδότος ἀ-
,, ψοφητὶ διὰ θαλάσσης ἐπιστῆναι τοῖς ὧδε ὥστε φθάσαι τὴν αἴσθησιν τῶν
,, ἐχθρῶν τῆς εἰρήνης, viſum eſt inquit conſentaneum, ſcribere ad epiſcopum Romanum vt videat res noſtras iudiciumque ſuum interponat, vt quia difficile ac periculoſum eſt aliquos illic communi multorum ſententia ac Synodi decreto mittere, ipſe auctoritatem

rei tribuat delectis viris, qui laborem quidem itineris perferre poſſint lenitate vero, ac facilitate morum, tũ commoda, & prudenti oratione, eos, qui apud nos a veritate deflexerunt, monere, quique acta Ariminenſis concilii ſecum ferant, ad reſcindendum ea, quæ illic per vim geſta ſunt, atque illi quidem clam, nemine cõſcio, ſine vllo ſtrepitu taciti prius huc adnauigent, quã hoſtes pacis præſentire queant. deinde, καὶ πάντα ἔχοντα μεθ' ἑαυτῶν τὰ ἐν ἀριμίνῳ πεπραγμένα ἐπὶ λύσει. Hactenus ille cum omnem auctoritatẽ a pontifice requirat magnus Baſilius ad habendum concilium aduerſus Arianos, damnandamque eorum hæreſim, tanquam in eo iudicio Synodus canonica, cui ſcilicet per legatos ſuos pontifex præeſſet, iam neque errare poſſet, neque auctoritate carere, quis dubitare poteſt, vtrum idem iudicarit Papam eſſe ſupra concilium? Ex eo vero magis adhuc perſpici poteſt auctoritatis pontificiæ ſupra omnem Synodum amplitudo, & præſtãtia, quod Baſilius cum aliis epiſcopis a pontifice petendum eſſe iudicarunt, vt mitteret viros, qui ſecum ferrent acta Ariminenſis concilii, quamquam nefarii, & Arianici ad reſcindendum ea. Neque enim viſum eſt illis ſatis, quod eorum eſſet Ariminenſe concilium, qui, ſicut Apoſtolus ait, ſuo proprio iudicio eſſent cõdemnati, neque quod eorum ſcelerata ſententia auctoritate quoque concilii Niceni damnata fuiſſet prius, niſi eius imprimis auctoritas accederet, in quo conciliorum, & eccleſiaſticarũ conſtitutionum, & rerum omnis αὐθεντία id eſt auctoritas ſumma reſideret. Chryſoſtomus vero ſanctiſſimus vir, & in ſcripturis ſanctis exercitatiſſimus in libro contra Iudæos ſexto, & ſecũdo de Sacerdotio. Petrus (inquit) princeps Apoſtolorum, cui totus orbis commiſſus eſt, &c. Ergo concilium, quæ eſt maxima, & excellentiſſima orbis pars, imo quod catholicam eccleſiam repræſentat, commiſſum eſt Petro, ac ſucceſſo.

ribus eius,ſcilicet vt præſit,non vt ſubſit, vt moderetur, & iudicet,non autem vt iudicetur. An qui dixit orbem commiſſum Petro, id eſt, ἐγχειρισθέντα quaſi in manus traditum,vt præeſſet, non ſimiliter dicturum fuiſſe putamus, ſi ita caderet, concilium commiſſum fuiſſe Petro,aut ſi non ita,age dicamus Petrum commiſſum eſſe orbi,& pontificem concilio. Sed quis ſic loquitur,aut ſentit? Certe nemo.Fateamur ergo cum beato Chryſoſtomo cunctum orbem commiſſum eſſe Petro,id eſt,credamus catholicam eccleſiam ædificatã eſſe ſuper eum.Idem enim valet vtrumque horum, vt hic auctor interpretari videtur.Quare concilii ædificatio, ac firmatio ſuper pontificem,ceu ſuper fundamentum fiat neceſſe eſt,ita vt vbi deſit pontificis auctoritas,nullum ibi ſit firmiter ædificatum concilium,quia ſcilicet non ſit aliquis,cui commiſſum ſit, vt præſit,& moderetur.Sed videamus iam, quid pater Hieronymus ſanctiſſimus, ac ſapientiſſimus eccleſiæ catholicæ doctor de re hac ſenſerit,is.n.in quibuſdam Pſalmorũ Commentariis, ex quibus plurimi Arnobii quidẽ eſſe falſa inſcriptione feruntur,eſſe autem eos cũ reliquis, qui in eo libro deſunt Hieronymi omnes, probãt peruetuſta exemplaria manu ſcripta,ſtilus, multa allegoria,Hebraica & Græca eruditio,collatio tranſlationũ; deinde citatio ſuarum quæſtionum Hebraicarũ Pſal. 15.ergo is diſputãs aduerſus Nouatianos.dicis,inquit, baptizatis pœnitentibus nõ debere ſuccurri, ecce apoſtolo pœnitenti ſuccurritur qui eſt epiſcoporum epiſcopus,& maior gradus redditur ploranti,quod ſi epiſcoporũ epiſcopus eſt,& eius gradus maior eſt, præeſt ergo ſingulis eorum,& eorum omnium concilio, niſi ſic putant,vt ſit in ludo,aut palæſtra vt ſingulos quidẽ ſuperare poſſit,qui omnium vires iunctas non poſſit, etſi eius gradus maior eſt, ergo Hieronymi ſententia ſupra gradum auctoritatis huiuſmodi concilii eſt, niſi

fortaſſe ſomniant aliquem,qui ſupra tectũ ſcanderit, qui habeat ſingulos gradus parietis infra ſe, non tamẽ omnes.docet autem hic ſanctus auctor gradus Petri ſupra ſingulos,& ſingulorum omnium epiſcoporum cõcilium excellentiam,ac præſtantiam,quia inquit nullus Apoſtolorum , imo neque collegium Apoſtolorũ præter Petrum, nomen paſtoris accepit,ſolus.n.Dominus Ieſus dicebat ego ſum paſtor bonus, & iterum, me ſequuntur,inquit,oues meæ,hoc ergo nomen ſanctum,& ipſius nominis poteſtatem poſt reſurrectionẽ ſuam Petro pœnitenti conceſſit,& ter negatus negatori ſuo hanc quam ſolus habuit poteſtatem &c. ſcilicet ſoli Petro ſpecialiter dictum eſt paſce oues meas, cęteris vero paſtoribus ſpiritualibus cõmuniter per Petrũ.Pręterea magnus Cyrillus Alexãdrinus in Theſauris,recitabo autem Græce,quo maior fides habeatur,
» δεῖ inquit ἡμᾶς ὡς μέλη ἐμμένειν τῇ κεφαλῇ ἡμῶν τῷ τῆς ῥώμης ἀρ
» χιερεῖ καὶ τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ ἀφ' οὗ ἡμέτερόν ἐστι ζητεῖν τί πιστεύειν
» καὶ τί δοξάζειν μέλλομεν καὶ κρατεῖν ὅτι αὐτοῦ μόνου ἐστὶν ἐλέγχειν, ἐπαν
» ορθοῦν, ἐπιτιμᾶν, ἐπικυροῦν, διατάττειν, λύειν, καὶ δεσμεῖν debemus inquit nos,vt qui mẽbra ſimus,capiti noſtro põtifici Romano,& apoſtolicæ ſedi adhærere.ad nos pertinet,inde quid credendum,quid opinandum,quid tenẽdum ſit,quærere,quoniam ſolum pontificis ſit arguere ,corrigere,increpare,ratum facere , diſponere, ſoluere, & ligare. quid igitur reliquum fecit pater Cyrillus, quod iſti concilio ſuo tribuant , quod ſupra pontificem ponunt? quemadmodum poterit cum accuſatorie reprehendere,& reformare,cuius eſt cæteros omnes & concilia omnia iudicare,corrigere, firmare, diſponere,ſoluere,& ligare, dimittere , & congregare? Veniamus ad Vincẽtium Lirinenſem virum in ſcriptura ſancta,& traditionum eccleſiaſticarum doctrina peritiſſimum,qui Epheſinę Synodi temporibus floruit,cuius eo maior in hac cauſa haberi debet præiu-

dicii

dicii auctoritas,quod de pontificis auctoritate in eo li
bro ſuam ſcripſit ſententiam,quem ille illis tẽporibus
aduerſus profanas verborũ , & ſententiarũ nouitates
ędidit, in quo libro duas normas propoſitas eſſe ait;ad
quas veritas omnis exigenda,& limãda ſit, ſcilicet ſcri
pturas ſacras , & eccleſiaſticas traditiones,eſſe autẽ in
eccleſiaſticarum traditionũ doctrina ſpectandam vni
uerſitatem, antiquitatem , & conſenſionem , quæ ille
omnia exemplis illuſtrat copioſe, & docte. Qui ergo
hæc libri ſui fundamenta iecerat, idẽ paulo poſt, quid
de auctoritate pontificis ſupra omnia mundi concilia
iudicarit,ſatis tardus ſit,qui ex paucis eius verbis,quæ
ibi de Stephano Papa ſcripta reliquit, non intelligat,
» Tunc inquit,(Loquitur autẽ de illa baptiſmi in Afri-
» ca iteratione)beatæ memoriæ Stephanus , apoſtolicæ
» ſedis antiſtes,cum cæteris quidem collegis ſuis,ſed ta-
» men præ cæteris reſtitit, dignum (vt opinor) exiſti-
» mans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vin-
» ceret, quantum loci auctoritate ſuperabat, &cæt.
Quid clarius?Collegas appellauit coẽpiſcopos,eſſe au-
tem maiorem Stephani pontificis auctoritatem,quam
Synodi epiſcoporum,de cuius ſynodi ſententia literas
ad Africam miſit, planius dicere non potuit hic au-
ctor. Addam poſtremo loco beati Bernardi Clareuallẽ
ſis de auctoritate pontificis ſupra omnia mundi conci
lia teſtimonium,cuius viri ſanctitas, iudicii grauitas,
& eruditio orbi ſunt notiſsimæ , qui trecentis annis,
& amplius Baſileenſium tempora anteceſsit, cum na-
tum eſt hoc monſtrum,inſana (inquam) iſtorum opi-
nio,qui concilium ſupra Papam,id eſt reliquum cor-
pus ſupra caput ponunt.ergo is in libris illis ſanctiſsi-
mis , quos de Conſideratione ad Eugenium, & ſub
eius nomine ad cæteros omnes pontifices deinceps po
ſtea conſecutos,& conſecuturos ſcripſit , ita in ſecun-
» do libro ait,Neque modo ouium,ſed & paſtorum tu

vnus omnium paſtor. vnde id probem, quæris, ex verbis Domini. Cui enim non dico epiſcopo, ſed etiam apoſtolo ſic abſolute, & indiſcrete cunctæ commiſſæ ſunt oues? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſsignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi nihil diſtinguitur. Ergo ne concilium quidem pater Bernardus excipiendum eſſe iudicauit. Et paulo poſt, Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipſos, qui ſuper alios poteſtatem acceperunt. Ergo & in concilium extenditur. Quid enim aliud eſt concilium, quam multi epiſcopi, & multi alii ex alio, atque alio ordine? Item libro tertio de conſyderatione eorum, quæ ſunt ſub poteſtate pontificis, Sicut Seraphim (inquit) & Cherubim, vſque ad Angelos, & Archangelos ſub vno capite Deo ordinantur, ita ſub vno ſummo pontifice primates, vel patriarchæ, archiepiſcopi, preſbyteri, & abbates. Ergo & horum cœtus, quod concilium appellamus, ſub pontifice tanquam ſub capite eſt. Et paulo poſt, Orbe (inquit) exeundum eſt ei, qui fortaſſe velit explorare, quæ non ad tuam Eugeni pertinent curam. Ergo omnis concilii moderatio ad curam pontificis pertinet. Quemadmodū vero pertineat, niſi eius cōgregandi, dimittendi, temperandi, confirmandi poteſtatem habeat? Aut quomodo huiuſmodi poteſtatem habere poteſt, ſi infra concilium ſit? Exeant ergo, ſi non orbe quidem, vt Bernardus ait, at eccleſia exeant, eiecti inde, quicunque non ad curam pontificis pertinere volunt concilium, ſed potius ad curam concilii pontificem.

LIBER TERTIVS.

SATIS me ſecundo libro demonſtraſſe arbitror conciliorum de auctoritate pontificis ſupra concilia ipſa ſententiam, quemadmodum cum iis, quę primo libro ex ſcripturis ſanctis de pontificis principatu, & præſidentia attulimus, mirifice illa quidem conuenirent. Nicenum dico, Sardicenſe, Calcedonenſe, quinque Romanas Synodos, octauum Conſtantinopolitanum, Florentinumque concilium, tum duo illa Conſtantienſe, ac Baſileenſe, quibus nos iſti, vt ſibi videbãtur, oppugnabant, oſtendimus nõ nobiſcum pugnare, ſed adiuuare potius. Deinde pauca quędã ſanctorũ doctorũ Ignatii, Cypriani, Baſilii, Chryſoſtomi, Hieronymi, Cyrilli & aliorũ teſtimonia produximus ad idẽ probandum. Reliquum eſt, vt ad rationes iſtorum falſas, ac captiones mendoſas, & vt Apoſtolus ait, oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quas in principio primi libri collocauimus, vt quæ deinceps tractanda erant, attentius legerentur, reſpondeamus, ne per inanem fallaciam incauti decipiantur, idque quanto planius, & ſcripturis ſanctis conuenientius facere poſsimus, ita vt plus fructus, & facilitatis, quã ſpinoſæ, & importunæ ſubtilitatis habeat reſpõſio. Explicabimus interim quæſtiones aliquas nõ paruas de remediis adhibendis, cum accidit peſſime pontificatum geri. Item vtrum in iudiciis faciendis pontifex errare poſsit, & quando non poſſit, aliaque huiuſmodi non pauca, neque parum vtilia. Aggrediamur ergo ordine, ac primum quidem ad illud ex Euangelio. Si eos non audierit, dic eccleſiæ, ſi autem eccleſiam non auderit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus, qui locus copioſius eſt a nobis explicandus, principio altius repetito. Dixerat

" ſupra aduerſus ſcandala, Qui autem ſcandalizauerit
" vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt
" ſuſpẽdatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur
" in profundum maris, Væ mundo ab ſcandalis. Et paulo poſt, Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Perinde, atque præciperet, vt non ſolum non eſſemus auctores ſcandalorum, ſed neque eos, qui ſcandalis alios afficiũt, laudaremus, aut ſequeremur, quin potius miſeros eos prædicaremus, ac fugeremus, quod eorum amicitia, & cõſuetudo paulatim ad imitationem adducere ſoleat. Deinde ne quis diceret, quid ſi amicus ſit, aut propinquus, & cõmodus mihi? Reſpondet, quod quamuis ſit amicus, & chariſsimus, ita vt pro oculo eum habeas, qui multa etiam tibi bona, & vtilia proſpiciat, & quam vis propinquus ſit, ac conſanguineus, ſitque adiutor tuus in multis, ita vt vtraq. harum ratione locum manus teneat. Item quamuis is ſit, per quem totius vitæ via tibi expediatur, fiatque facilis, ac plana, vt vicem pedis habeat, quicũque denique ſit, ſi ſcandalorum auctor ſit, remouendus eſt, neque cum eo verſandum. Quod ſi eos, qui ſic vtiles ſunt, tamen propter ſcandala, & animæ nocumẽta ſunt vitandi, quãto magis erunt ii, qui ſine vlla vtilitate vitæ humanę, animę incommodant? Poſtquam vero reos egit auctores ſcandalorum, quique in fratres peccant, conuertit ſermonem ad eos, qui ſe putant magna ab illis iniuria affectos. Perinde atque diceretur, Tu vero ne moleſte feras, neque peccatum proximi in te commiſſum, dãnum exiſtimes, quod quidem potes in magnũ lucrum vertere, ſcilicet, ſi adieris eum, qui in te peccauit, oſtenderiſque peccatum, & argueris. Plerique.n. cum peccant non vident turpitudinem facti, poſtea vero, cũ arguuntur, velut iam pulſa cæcitate, ac tenebris, "
vident. Sicut Apoſtolus ait, omnia, quæ arguuntur, a "
lumine manifeſtantur, & paruam hanc occaſionem "

nacti, ſæpe, quod commiſerunt, corrigunt. Quod ſi du riuſculus, difficiliorque ad emendationem ſit, ne continuo negligas ire ad eum, imo ſemel, iterum, & tertio adi, & prouoca ad emēdationem, Magnum enim quæſtum feceris, ſi ſeruator, liberatorque fratris fueris, ſicut ſcriptum eſt. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorū. Hactenus ex Photii in Euāgelia ſcholiis. De huiuſmodi ergo peccatis, & querelis ad concordiam, emendationem, & veniam viciſſim inter fratres manifeſtandis, agnoſcendis, & corrigendis, de quibus eſt (vt exiſtimo) canon ille Apoſtoli
" carum diataxeon accipiendus, Qui inter ſe (inquit) ex
" poſtulationes, querelaſque habent, ſextis feriis eas vi-
" ciſsim inter ſe manifeſtent. & fortaſſe quod diaconus in miſſa Græcorum repetit, Agnoſcite inter vos, culpas ſcilicet, & noxas, vt, ſi quid habet frater aduerſus alterum, recōcilietur ei, de his in quam, ait Dominus. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolū, & ſi te non audierit, id eſt, ſi tibi non agnouerit culpam ſuam, ac peccatum ſuum, prouoca eum, vt agnoſcat, ac corrigat, adhibens vt dixi teſtes, vnum, aut duos, quod valet ad teſtificandum admonitionis tuæ veritatem, & integritatem, & vt ille pudore retrahatur, ac reuocetur a peccato. Atque hæc quidem ſit prima admonitio publica. Quod ſi ne ſic quidem culpam agnoſcere voluerit, & veniā a Deo hoc modo, & ratione impetrare, dic inquit, eccleſiæ, quæ eſt ſecunda admonitio publica, id eſt, non iam duos teſtes adhibe, ſed denuncia eccleſiæ, aut per te, ſi poteſtatem habes ſoluendi, atque ligandi, aut per eum, qui habet, ſi tu non habes, denuncia inquam eccleſię, vt ſi ne ſic quidem culpam agnoſcere voluerit, & emendare, ac corrigere, quod peccauit, eiiciatur ex ea, ita ſcilicet vt congregata eccleſia cum ſpiritu habētis poteſtatem legan

di, atque ſoluendi, tollatur malum de medio veſtri. Id
» enim ſignificat illud, Sit tibi ſicut ethnicus & publica-
nus, quod quidem interpretatus Apoſtolus, ſi quis in-
quit, frater nominatus auarus, aut idolis ſeruiés, id eſt,
publicanus, aut ethnicus, cum huiuſmodi neque cibũ
ſumere. Hanc formam ſeruauit Paulus in Corinthio
illo ex eccleſia eiiciendo. Congregatis (inquit) vobis,
id eſt, eccleſia Corinthiorum, & ſpiritu meo cum vir-
tute Domini noſtri IESV CHRISTI, decreui huiuſ
modi hominem, &cæt. Et cum abſoluit eundem iam
» acta pœnitentia. Cui vos (inquit) id eſt, eccleſia Co-
» rinthiorum donaſtis aliquid, & ego. Sic quoque inter-
pretatus eſt hunc locum Innocentius primus in epiſto-
la ad epiſcopos Macedoniæ. C. 6. de Photino, abſoluē
do, & reſtituendo, epiſcopum inquit Photinum habe
tote, & paulo poſt, cui inquit porrigitis manum, por-
rigo, cui porrigo, mecum porrigite, hæc enim ad
Corinthios apoſtolica eſt declarata benignitas, vt
in vno ſpiritu ſententiam boni ſemper ſequantur.
Similiter Cyprianus de lapſis reſtituendis in eccle-
ſia nihil audebat decernere abſque conſenſu preſbyte-
rorum, & ſententia plebis, id eſt, abſque eccleſia, vt
ipſe in epiſtolis ſuis teſtatur, vt ſic ſcilicet pax, & con-
cordia, atque obedientia ſeruaretur. Et Apoſtolus epi
ſcopo præcipit, ne ſit ſuperbus, Græce eſt, αὐθάδης, id
eſt, ne eccleſiæ ſuæ conſilium ſuperbe detrectet. Ita. n.
interpretatur Chryſoſtomus in libro de Sacerdotio.
Multa quoque Ignatius ſcripſit ad hanc ſententiam cõ
firmandam, vt libro ſuperiore admonui. in quo vtinã
noſtra hac ætate nullus epiſcopus peccaret, & quidem
ſæpe cũ plurimorum ſcandalo, ſicque eſſent omnes, vt
debent, de concordia, & pace eccleſiaſtica ſoliciti, vt
ſuos preſbyteros, ac reliquam eccleſiã cum ſpiritu ſuo
in Christo prius congregarent, ſiue aliquem ex eccle-
ſia eiicere vellent, ſiue reſtituere. & rurſus preſbyteri

cum plebe,vt Innocentii verbis vtar,cui epiſcopus manum porrigit, manum porrigerent, epiſcopum ſuum tamquam patrem ſequentes,ſic fortaſſe fieret,ne tot illis cum capitulis,vt vocãt, diſcordiæ & lites eſſent. Patere iam credo,quemadmodum nihil ex hoc loco euãgelii aduerſus nos iſti concludant,errareque eos, qui interpretantur, dic eccleſiæ,tãquam maiore auctoritate præditæ,qua quidem non audita, ſit aliquis habendus ethnicus,& publicanus. qui ſimiliter interpretari poſſunt,vnum,aut duos illos teſtes adhibendos,ſi Petrus ipſe non audiatur,eadem ratione maioris auctoritatis,atque poteſtatis eſſe,errare etiam, qui ex noſtris interpretantur, dic eccleſiæ, id eſt prælatis eccleſiæ. Cum enim non hæc ad tempus Petro præciperentur, & per eum cæteris aliis,ſed potius vt ſemper conuenire,atque congruere poſſent,futurumque eſſet,vt Petrus pontifex fieret,vt ei Dominus promiſerat, idemque habiturus eſſet ſucceſſores in põtificatu vſque ad conſummationem ſeculi,ſequitur, vt neque ipſe iam factus paſtor omnium,ac proinde nullum habens prælatum,neque eius ſucceſſor,quicquam poſſet vnquam dicere eccleſiæ ſuæ,id eſt, prælatis ſuis, quos non habet,aut ſi dicat eccleſię,alienæ dicẽdum eſſe, vt qui eſt eccleſiæ Mediolanenſis,ſi quid habet aduerſus fratrẽ Neapolitanum,vt dicat eccleſiæ Neapolitanæ. Neque hoc tamen ſemper ita accidet,& ſi accidat aliquando, neceſſe fuerit hac ratione ſedem apoſtolicam minoris auctoritatis eſſe,quam quæuis eccleſia priuata,cui dicendum ſit,vt Capuana,aut Beneuẽtana. Quod enim ipſe etiam pontifex dicat eccleſiæ, priuſquam aliquis tanquam ethnicus,& publicanus habendus ſit, id eſt, antequam eiiciatur ex eccleſia,ſatis docet ipſa conſuetudo eccleſiaſtica excommunicandi,lectis prius in eccleſia literis,vt vocant,monitoriis, ſiue denunciatoriis. Sequitur deinde,vt reſpõdeamus ad illud ex actis

Apoſtolorũ,cum Apoſtoli,in quibus erat Petrus Apoſtolorum princeps,& ſeniores, ſiue preſbyteri, in eo decreto, quod ad fratres ex gentibus miſerunt. Non inquiunt, viſum eſt ſpiritui ſancto, & Petro principi noſtro, ſed, viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis, id eſt, eccleſiæ,tanquam ea præſtaret auctoritate. Nõ potuit profecto aliter dici melius ad declarandam concilii maturitatem,& conſenſum, ac concordiam in decreto faciendo,qnam ſi diceretur,viſum eſt nobis. Quam loquendi formam deinceps conſecutis temporibus imitati ſunt patres,cum inquiunt,Decreuit ſancta Synodus,&, viſum eſt Synodo,Perinde atque dicerent, Viſum eſt nobis,In quibus quidem pontifex numeratur imprimis tanquam caput,ita vt reliqui ſint cõſiliarii, & adiutores iudicii. Pontifex vero,aut qui locum eius tenet,tanquam ſummus iudex,qui de rebus, & cauſis maioribus,ſolus,neque legitime,canoniceque poſſit, neque debeat decernere, ac iudicare, vt ex Gelaſio quem ſupra memini,intelligi poteſt, Recte ergo ad declarandam huiuſmodi maturitatem iudicii,ſententiarumque concordiam ſic loquuntur. Sed recitabo iterum verba Gelaſii ex tomo de vinculo anathematis. Loquens enim de abſolutione Petri Alexandrini hæretici,quæ fingebatur facta eſſe a pontifice, Præceſſit (inquit) aſſenſus pontificis,doceatur a quibus, & vbi ille ſit geſtus,ſi ſecundum eccleſię regulam celebratus, ſi paterna traditione profectus,ſi maiorum more prolatus,ſi cõpetenti examinatione depromptus. Vbi proculdubio requirendum eſt, ſi Synodali congregatione celebratus, quod in receptione dãnati, & expulſione catholici,quia noua cauſa eſt,fieri certiſſimũ eſt. Quæ quidem maturitas iudicii canonici, cum eſt,tunc neq. errat pontifex,neque credo errare poteſt,in iis dico, quæ ad vitam Chriſtianam pertinent,vt paulo poſt copioſius docebimus. Quare quod aiunt,qui de hoc ſcripſerunt,

pſerunt,poſſe quidem pontificem errare errore perſo nali,ſed non iudiciali,ſic eſt accipiendum, poſſe quidē errare iudicio priuato,ſed non iudicio mature, legitime,& canonice cum aliis habito. Quare literas Honorii pontificis ad Sergium monothelitam de vnica voluntate CHRISTI,quæ erat monothelitarum hæreſis,priuatas fuiſſe credendum eſt,non publicas,id eſt, non de concilii fratrum ſententia ſcriptas, vt eſſe debebant. Vt enim cum alii patres,tum beatus Chryſoſtomus in libris de Sacerdotio ait,nihil debere epiſcopū agere,ſcilicet in maioribus rebus,& cauſis,abſque ſententia ſuorum preſbyterorum,vnde Ignatius in epiſtola ad Trallianos,conſiliarios,& confeſſores epiſcopi appellat preſbyteros,ſic dicere liceat, non debere pōtificem quicquam graue,& magnum agere abſque ſententia, & concilio ſaltem collegii Cardinalium, quod quidem collegium Cyprianus,cum de legitima electione Cornelii loquitur in quarto libro epiſtolarum poſt commemorationem iudicii clericorum, & teſtimonii plebis,vocare mihi videtur collegium antiquorum Sacerdotum,id eſt ſeniorum,qui cum pontifice onus ſuſtinent,ſicuti.70.illi Seniores cum Moiſe ſuſtinebant ab eodem Moiſe iuſſu Dei delecti, & ſicut preſbyteri cum epiſcopo ſuſtinent Ex his etiam perſpici poteſt,quid ad illud reſponderi debeat, quod ex actis quoque obiiciunt iſti,ſcilicet miſſum eſſe Petrū, & Ioannem ab Apoſtolis in Samariam, ex quo miniſtrum eccleſiæ illum eſſe cōcludunt,quare infra eccleſiam. Scilicet ſignificauit his verbis auctor hiſtoriȩ Lucas,non fuiſſe Petrum cum Ioanne profectum in Samariam ſua tantum ſententia,& iudicio, ſed cæterorum quoque Apoſtolorum,ſicut cum Chriſtus ait miſſum ſe eſſe a patre, ſignificat non ſe eſſe ſolum, neque agere quicquam abſque patris ſententia. Id enim ſignificat illud,a me ipſo facio nihil. Sequitur ordine reſpō

M

dere ad illam rationem,quæ primo aſpectu difficilior eſſe videtur,quemadmodum ſcilicet non ſit pontifex infra eccleſiam,cum poſſit hæreticus fieri?non autem ſtatim,vt eſt hæreticus,vitandus ſit,Sicuti ſcriptũ eſt, Hæreticum hominem poſt vnam,& ſecundam admonitionem deuita, vt vero vitetur, neceſſe ſit priuare eum pontificatu,quod vocant deponere.At id perfici non poſſit,niſi cum pontifice, velut cum reo agatur ex lege,ex quo rurſus ſequatur,eſſe eum infra auctoritatem eccleſiæ,tanquam iudicis. Hæreticum hominem (ait Apoſtolus) poſt primam,& ſecundam admonitionem deuita.Quod quemadmodum intelligendum ſit, vt ſanctus Maximus in ſcholiis Dionyſii Areop. annotauit,ex iis,quæ ſequuntur,intelligitur, tunc ſcilicet poſt primam,& ſecundam admonitionem eſſe vitandum, cum iam videmus huiuſmodi hominem ſubuerſum eſſe,& ſuo iudicio damnatum. Tunc enim hæreticus eſt,cum pertinaciter tenet peruerſam ſententiã, & iudicio ſuo cõdemnatus eſt,id eſt,vt magnus Athanaſius interpretatur in epiſtola ad Serapionem, quando neque parere,cum audierit, neque reſipiſcere,cum didicerit,paratus eſt, ſolicitus tantum,ne ab iis,quos in errorem induxit, condemnetur, ſi tacuerit, Tunc inquam hæreticus eſt,quem iam tunc poſt primam,& ſecundam admonitionem vitare oporteat,vtpote cuius iam fides omnino deficiat, quia nolit conuerti.

Quod ſi talis non ſit,non eſt deſiſtendum ab eius admonitione vſque ad finẽ vitæ,vt ait Dionyſius Areopagita in epiſtola ad Demophilum,quod nonnulli falſo putabant,vt idem ſanctus Maximus annotauit,cum eo,quod Apoſtolus ait de hæretico vitando pugnare. Statim igitur,vt Papa hoc modo eſt hæreticus,ſi ita ponamus,deſinit eſſe pontifex, quoniam cum fides eius deficiat,non iam exiſtit prima petra,ac fundamentum eccleſiæ,qui tanquam infidelis,ab omnibus iam fideli

buſ conuincitur, ab omnibus diiudicatur, vt Apoſtolus ait, Facta vero vna, & altera admonitione, velut quadam denunciatione, deinceps tanquam iam declaratus hæreticus, vitandus eſt, non quidem quod tunc primum deſinat eſſe pontifex, qui iam deſierit eſſe petra, fide eius omnino deficiente, ſed quod iam tunc eiiciatur ex eccleſia, in qua adhuc videbatur eſſe, antequam eſſet declaratus hæreticus. Quicquid ergo cum pontifice agitur, qui in fide errarit, quamdiu non eſt ſubuerſus, vt ait Apoſtolus, & proprio iudicio damnatus, id eſt, paratus eſt parere, cum audierit, & reſipiſcere, cum didicerit, Non agitur tanquam cum reo, ſed tanquam cum patrefamilias, & iudice ſummo in terris, cum omni reuerentia, ſicut ſcriptum eſt, Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, Non itaque vocatur tunc in iudicium, ſed rogatur, vt maturius videat, non iudicatur, ſed admonetur, non damnatur, ſed reſiſtitur ei in faciem, quia reprehenſibilis eſſe videatur, atque hoc quidem, quia non deſinit eſſe pontifex, quamdiu fides eius non deficit. Non autem deficere fides dicitur, quamdiu qui fidem negat, conuerti vult, ſed tunc, cum conuerti recuſat pertinaciter. Quare non poteſt is amplius tanquam petra firmare eccleſiam, eiuſque eſſe fundamẽtum, niſi conuerſus, vt ſupra explanauimus. Hoc autem docuit Dominus in Petro, cuius quidem fides non defecit, quamuis ter negarit, quia ſcilicet vſque adeo paratus erat conuerti, qui propter infirmitatem carnis negarat, alioqui ſpiritu promptus, vt bis tantum galli gallinacei cãtu admonitus de verbo Domini, conuerſus fuerit ad lachrymas, & ſicut ſcriptum eſt, exierit foras, & fleuerit amare. Cum vero ſubuerſus eſt pontifex & ſuo iudicio damnatus, id eſt, non eſt paratus parere, cum audierit, & reſipiſcere cum didicerit, tanquam cum reo deinde agitur, quando iam non ſolum infra eccleſiam

eſt, ſed maior, maioriſque auctoritatis, quam ille, eſt minimus fidelis. Ab omnibus enim, vt dixi, imo dicit Apoſtolus, conuincitur, ab omnibus iudicatur. vocatur itaque in iudicium, & facta vna, & altera denunciatione ceu admonitione publica, ſententia damnationis accepta, eiicitur, non quidem pontificatu, ex quo tunc ipſe ſponte cecidit, cum ſuo iudicio damnari cœpit, id eſt conuerti nullo modo voluit, ſed eiicitur ex eccleſia, & ſolio pontificali, quod per vim tenet occupatum, tanquam tyrannus. Falſum itaque eſt quod grauis quidam auctor his verbis affirmauit, Papam hæreticum, incorrigibilem factum non eſſe ipſo facto depoſitum, id eſt pontificatu priuatum. Ratio vero, cur ita ſentiret, ad quam ſe ait nihil habere, quod reſpondeat, conuincique ea intellectum ſuum, illa eſt, poſſe hæreticum eſſe ſola hæreſe occulta, & tacita, quam Deus cernat ſolus, homo vero de ea iudicare non poſſit, quia non cadat ſub ſenſum. Quod quidem concedimus. Quare huiuſmodi hæreticum non pro eo excommunicatum eſſe, de quo non poſſit eccleſia iudicare, ac multo minus iuriſdictione priuatum. Verum quidem eſt, non eſſe excommunicatum, ac priuatum ab eccleſia, ſed rurſus verum eſt eſſe vtrumque, licet nobis non appareat, quia non fiat per miniſterium hominum, excōmunicatum inquam & pontificatu priuatum a Deo, qui vt ſuper fidem vnius pontificis vicarii ſui eccleſiam catholicam ædificauit, ita ea deficiente, ipſe eum eiecit pontificatu. id quod ex Anacleti epiſtola ad epiſcopos Italiæ colligi poteſt. Eiectionem (inquit) ſummorum ſacerdotum, id eſt epiſcoporum (ita enim ſupra vocauerat epiſcopos) ſibi Dominus reſeruauit. Ergo & primi epiſcopi, id eſt pontificis multo magis reſeruauit. Eſto hoc neque crederemus, neque ſciremus, niſi eccleſia denuntiaret, ac declararet. Sed tranſeamus iam ad aliam rationem, & quidem valde difficilem, vt iſti

" putant. Soli ne (aiunt) pontifici liceat impune in terris
" flagitioſe viuere? Nullus ne erit, qui corrigere poſſit?
" Non concilium congregari, & haberi vel inuito ponti
" fice ad hoc perficiendum? Reſpondebo ex epiſtola illa
grauiſſima, & elegantiſsima Dionyſii Areopagitæ ad
Demophilum monachum, qui contra eccleſiaſticum
canonem, & ordinem, preſbyterum pulſauerat, atque
ex eccleſia contumelioſe eiecerat, & idem ad ſancta
ſanctorum acceſſerat, qua epiſtola nihil me legiſſe memini
accommodatius ad reſpõdendum hoc loco. Quare
vertam non nulla epiſtolæ huius loca, alia vero non
tanquam interpres, ſed tanquam auctor imitabor. Quęrit
ergo Demophilus a Dionyſio. Quid igitur ais? Nõ
" ſunt impii, aut turpes ſacerdotes corrigẽdi? Solis iſtis,
" qui in lege gloriantur, licet contempta lege Deum dedecorare?
& quemadmodum Sacerdotes interpretes
" Dei ſunt? Quemadmodum diuinas virtutes populo explicant,
qui earum vim ignorant ipſi? Quomodo illuminabunt,
qui ipſi in tenebris ſunt? Quomodo ſpiritũ
" ſanctum impertient, qui ne eſſe quidem illum credunt
habitu & veritate? Simillimæ ſunt quæſtiones,
quas iſti de malis pontificibus ponere ſolent. Solis pontificibus
liceat ouile Chriſtianum vaſtare? Quemadmodum
paſtor, & quidem ſummus habeatur, qui lapſus
eſt? Deinde vbi illud, Vbicũque ſunt duo, vel tres
in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum, ſi
non poteſt concilium bonorum virorum corruptos
mores pontificis emendare, aut negligentiæ paſtoris
obſiſtere? Videamus ergo quid ad Demophili quæſtiones
Dionyſius reſponderit, vt ſimiliter iſtis reſpõſum
" eſſe videatur. Ego vero (inquit) reſpondebo tibi ad
" hæc. Neque enim inimicus meus eſt Demophilus, neque
patiar, vt te Satanas circumuentum teneat. Etenim
vt quiſque ordo eorum, qui ad Deum pertinẽt,
propius ad Deum ipſum accedit, eo eſt diuinior, &

„ quo eſt vicinior vero lumini, eo eſt ſplendidior, maio
„ remque habet illuminandi vim. Eſt autem accipienda
„ hic vicinitas non loci, ſed idoneitatis ad capiendam,
„ participandamque diuinitatem. Si igitur Sacerdotalis
„ ordo vim habet, & munus illuminandi, profecto qui
„ non eſt idoneus ad illuminandū, vel potius qui eſt ipſe
„ expers luminis, iam lapſus eſt ex ordine ſacerdotali
ac poteſtate. quid autem ſit cadere ex ordine ſacerdotali, cum tamen ſacerdos eſſe non deſinat, declarat,
„ quod ſequitur, audaxque mihi videtur, & temerarius,
„ ſi, qui eiuſmodi eſt, ſacra operetur, qui quidem neque
„ timeat, neque vereatur diuinis rebus operam dare, nō
quidem (vt dixi) quia ſacerdos eſſe deſinat, ſed quia indignus ſit, qui ſacerdotio fungatur, amittatque non ſacerdotium, ſed ſuam ex ſacerdotio dignitatem, non poteſtatē, ſe ad poteſtatis legitimam adminiſtrationē.
„ Deinde ſequitur. Qui exiſtimet latere Deum, quorum
„ ipſe ſibi conſcius ſit, poſſeque ſe Deum fallere, quem
„ falſo patrem appellat, quique audet, imprecationes
„ dicam potius, quam preces in myſteriis adhibere,
„ non (inquam) eſt hic ſacerdos, ſed maleuolus, fraudu-
„ lentus, & illuſor ſui, lupuſque villis ouium aduerſus
„ populum tectus. Age, concedamus iſtis ſimilia in malo
„ pontifice, ſed quid ſequitur? Verum non eſt (inquit)
„ fas Demophilo, corrigere hæc. Etenim ſi iubet ſacra
„ ſcriptura, iuſte, quod iuſtum eſt, exequi. Hoc autem
„ fit, quoties ſuum cuique pro dignitate tribuitur, tri-
„ buendum profecto eſt hoc omnibus, vt cuiuſque eo-
„ rum ordinis, & dignitatis ratio poſcit. Siquidem &
„ Angelis tribui debet pro dignitate eorum non a nobis
„ Demophile, ſed per eos nobis a Deo, ipſis vero Ange-
„ lis inter ſe per alios excellentiores. Denique, vt ſum-
„ matim dicā, in omni genere per prima ſecundis, quod
„ cuique conuenit, diuina diſtribuit prouidentia omnis
„ ordinis, ac iuſtitiæ parens. Igitur quos Deus aliis præ

» eſſe voluit iis quidem, quibus præſunt, diſtribuant,
» quæ conueniunt, Demophilus vero rationi, iræ, &
» cupiditati tribuat, quod conueniens, debitumque eſt,
» caueatque ne ordinem ſuum perturbet, quin ratio
» ſemper principatum obtineat. Et paulo poſt, tu ergo
» Demophile cupiditati, iræ, rationi, quæ conueniunt,
» concede, tibi diaconi, his ſacerdotes, ſacerdotibus epi-
» ſcopi, his vero Apoſtoli, & apoſtolorum ſucceſſores,
» in quibus, ſi quis ab officio ſuo recedat, corrigatur
» a ſui ordinis ſanctis. Ita fiet, vt non ordo in ordi-
» nem commutetur, ſed potius quiſque in ordine ſuo,
» & munere conſiſtat, atque permaneat. Concedamus ergo nos ſimiliter non paſtorem, ſed lupum eſſe malum pontificem, fateamur paſcere ſeipſum, non
„ gregem, lateribus, & humeris oppugnet, & cornibus
„ ventilet pecora infirma, donec diſpargantur foras, & quæcũque Ezechiel de malis paſtoribus dixit. Verum, amice, non eſt fas ouibus corrigere hoc malum. Nihil pulchrius, neque ad bene, beateque viuendum magis neceſſarium, quam praua corrigere, vitioſa emendare, ſtudium virtutis, ac religionis reſtituere, denique facere, ſicut ſcriptum eſt, vt in carne viuentes non ſecundum carnem viuamus, ſed ſecundum ſpiritum. Pulcherrima ſunt hæc, & plena vitæ beatæ. Quis neget? Horum enim finis vita æterna. At ſcriptum eſt. Quod
„ iuſtum eſt, iuſte eſſe exequendũ. Quid iuſtius (inquit)
„ quam dona, & ſacrificia offerre pro peccatis, tamẽ ſcri-
„ ptum eſt, Impius immolans vitulum, ſicut qui immo-
„ lat canem. Et Oſias, quia id, quod officii ſui non erat, voluit, cum auſus eſt incenſum ſuper altare Thyamiamatis adolere, lepra affectus eſt. Simile fuit ſacrificium Saulis in Galgalis. Quid iuſtius, quam legem conſtituere ad populum regendum? Tamen quia id cum Moiſe legiſlatore eius ſoror Maria commune habere voluit, lepra quoque affecta eſt, ita enim interpretatur Dio-

nyſius Areopagita. Quod Moiſi exprobrauit Maria,
» cum dixit, Nunquid Moiſi locutus eſt Dominus & nõ nobis? Quid item iuſtius, quam CHRISTVM fateri Dei filium, tamen ea theologia, & confeſsio alioqui ſanctiſsima interdicta fuit dæmonibus, quia non eis conueniebat, quibus quidem propoſitum erat ea confeſsione veritatis ad fallendum abuti. Simile eſt illud, quod ſpiritus malus purpurariæ confeſſus fuit, Hi (inquit) homines ſerui Dei ſunt, cui idcirco Paulus præcepit, vt ſtatim exiret, ne ſcilicet vſurpans, quod ſibi nõ conueniebat, per ſpeciem piæ, & religioſæ confeſsionis falleret. Quid præterea iuſtius, quam inuocare nomen IESV ſuper eos, qui habent ſpiritus malos? Tamen quid filiis Sceuæ ſeptem acciderit, notum eſt, quia ſcilicet iniuſte id faciebant, id eſt, quia nõ ex ſcriptura ſancta exorciſmos petebant. Sic enim magnus Athanaſius interpretatur ſcribens ad Marcellinum. Iuſtum quoque eſt prophetare, tamen qui hoc faciunt iniuſte, audiunt a Domino per Hieremiã, Currebant, & non mittebam eos, non loquebar ad eos, & prophetabãt. Denique quid iuſtius, quam arcam, cum parum abfuit, quin caderet, tenere, morte tamen affectus eſt OZAS, Quia id auſus eſt iniuſte. Debuit enim prohibere humeris vehendo, ne caderet. His enim vehenda erat arca ſecundum legem Dei, non autem in currum imponenda. Hæc ſunt exempla, quæ Dionyſius Demophilo commemorauit, qui ordinem eccleſiæ tranſierat. quibus nihil eſſe poteſt accommodatius ad reſpondendum iis, qui concilio poſtulant iniuſte, id eſt, ſine auctoritate pontificis res eccleſiaſticas conſtitui, decreta fieri, & corrigi omnia, quod quidem iuſtiſſimũ erat. Verum id iuſtum iuſte eſt exequendum. Præſtat
» ergo (inquit) ordo preſbyterorum diaconis, & hi ab
» illis tanquam a maioribus accipiunt, epiſcoporum pre
» ſbyteris, epiſcopis vero archiepiſcoporum, & patriarcharum

charum ordo.Commutari autē ordines non poſſunt, ſicuti idem Dionyſius ait.Quare vt ordo preſbyterorum non poteſt epiſcopos iudicare,ſic neque epiſcoporum ordo,atque concilium nō poteſt archiepiſcopos. Multo ergo minus principem archiepiſcoporum, & patrem patrum pontificem Petri principis Apoſtolorum ſucceſſorem.Quid igitur fiet,ſi nolit pontifex cōcilium conuocare,cuius iudicium omnis quidem ſtatus rerum perturbatus magnopere poſtulet? Silebunt omnes,quia Papa non faciat loquendi copiam? Certe deberet pontifex omnium eccleſiarum curam, atque ſolicitudinem habere,&(ſicut de Moiſe ſcriptum eſt) eſſe populo in iis,quæ ad Deum pertinent,eique oſtēdere præcepta,legem & cerimonias,viamque,qua ingredi debeant,& opus,quod facere,atque ita prophetare in medio eccleſiæ catholicę,& apoſtolicę,& quando id ipſe facere non vellet,aut non poſſet, deberet, mea quidem ſententia,ius, auctoritatemque tribuere concilio,miſſis ſuis legatis,vt (ſicut Apoſtolus ait) ſi aliis reuelatum eſſet ſedentibus,taceret primus,id eſt, daret locum aliis, diceretq. illud Moiſis.Quis tribuat, vt omnis populus prophetet,& det eis Dominus ſpiritum ſuum?Poſſunt enim omnes per ſingulos prophetare,ita vt omnes diſcāt,& omnes exhortentur.Quod ſi id pontifex concedere, ratumque habere noluerit, debent epiſcopi interim contenti eſſe attendere ſibi, & vniuerſo gregi, in quo eos poſuit ſpiritus ſanctus epiſcopos regere eccleſiam Dei,vt repurgent, quātum licet,& conſtituant diœceſes ſuas conciliis prouincialibus,reſeruata in Chriſto approbatione,ac retractatione pontifici,ſi ei videatur;quæ concilia,vt bis per annos ſingulos haberentur, primum ab Apoſtolis ipſis conſtitutum eſt,deinde ab Antiochena Synodo renouatum,poſtea a Niceno, ac poſt etiam a Calcedonēſi, in Niceno autem ſecundo,eodemque ſeptimo conci-

lio, vt ſemel tãtum. Noſtra vero hac ætate, neſcio quo modo res tam ſalutaris omnino fieri deſita eſt. Cauſas vero maiores, quas apoſtoli iuſſu CHRISTI, vt Anacletus ait, pontificis au&oritati reſeruari voluerunt, ipſi quoque, ſi canonici, atque eccleſiaſtici eſſe volũt, reſeruabunt, cauebuntque, ne ſi fines, quos patres poſuerunt, tranſeant, pro Synodo paraſynagogen, id eſt prauam coitionem faciant, & pro concilio ſchiſma, id eſt diuiſionem, fiantque eccleſiæ tentatio ad ſequendum Deum alienum inuitantes. Non enim eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. Quod ſi iſti, qui inuito, & repugnante pontifice concilium habere volunt, & aliquando regni cœlorum claues de manu pontificis per vim rapere, ſi iſti inquam tam do&i ſunt, & rerum vſu periti, tam probi, & reformationis ſtudio, atque zelo ardentes, quales noſtrorum patrum memoria Conſtantienſes, atque Baſileenſes fuiſſe feruntur, ſi (inquam) hi prophetare poſſunt, id eſt oſtendere cun&o populo, ſicut ait ſcriptura præcepta, & legem Dei, cerimonias, & viam, qua ingredi debeant, & opus, quod facere, hæc dico, quæ iuſtiſſima ſunt, & ſan&iſſima, Si tamen iuſte facere non poſſunt, id eſt, ſeruato eccleſiaſtico ordine, & pontificis au&oritate, ac iudicio, profe&o debent ſibi imperare ſilentium. Spiritus enim prophetarum prophetis ſubie&i ſunt. Quod ſi noluerint, aut cæca opinione, & imprudenti zelo vi&i non potuerint, non iam prophetæ, ſed πνευματοφορούμενοι ſiue ἐπίληπτοι videbuntur. Sic enim apud Hieremiam, & Oſeam furioſi, & inſani prophetę vocantur. Ita ne nullum mali huius remedium erit? Nulla huic morbo medicina? Hæccine Dei prouidentia? Non liceat tollere malos pontifices, & eligere bonos? Non ſit fas naufragium vitare, malo gubrenatore eie&o? Huiuſmodi adhuc ſunt iſtorum querelæ, ad murmurationes, & calũniæ, qui neque vnde mali principes proficiſcãtur, neq.

quorſum ſpectent, intelligunt, alioqui intelligerent, quid remedii eſſet adhibendum. Docet autem hæc Zacharias, qui prædicens pœnas de populo Iſrael ſumendas exturbatis regibus, & pontificibus legitimis, & bonis, inflictiſque calamitatibus ſub Antiocho ob Iudæorum ſcelera, quo tempore ex ſententia, & voluntate regum Macedoniæ contra legem diuinam tranſlatus eſt pontificatus ad alienos, emebaturque pecuniis populi adminiſtratio, & erant omnia perturbata, atq.
„ confuſa. Accipiam (inquit) mihi duas virgas, vnam vo
„ caui pulchritudinem, & ſecundam vocaui funiculum,
„ & paſcam oues. Perinde atque diceret (vt Theodorus Antiochenus in Commentariis minorum prophetarũ interpretatur) duas, quas illis dedi poteſtates regni, atque Sacerdotii ad ornandum, dirigendum, moderandum, ac continendum populum perneceſſarias, Poſtquam corrupte viuere cœperunt, auferam, & ſuppli-
„ cio eos afficiam. Deinde ſequitur, & euellam tres pa-
„ ſtores mēſe vno, & ingraueſcet anima mea in ipſos, Scilicet, cum minetur hic ſupplicium Dominus, ſuppliciũ autem non ſit malos paſtores tollere, relinquitur, vt minetur ſublaturum ſe bonos paſtores, non quidem certo numero, id eſt tres, ſed incerto, plures, inquam, iuxta conſuetudinem ſcripturæ. Perinde, atque diceret, deſinent eſſe aliquando (hoc enim ſignificat vno menſe) me permittente, boni paſtores propter Iudæorum ſcelera. quod quidem idcirco attribuit, & aſſignat ſibi, cum ait, Auferam; quia ſit hoc, quod minaciter promittit Deus, genus quoddam ſupplitii, ſicut
„ ait Apoſtolus, tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, non quidem, quod Deus ipſe eos tradat, ſed quod in parte ſupplicii ponat improbum eorum ſtudium, & voluntatem, quaſi eos, qui ſine vlla reſipiſcendi ratione, atque propoſito ſe ad ſcelera dant, a ſe quodammodo alienauerit, atque dereliquerit odio eos proſequẽs.

» Id enim ſignificat illud, & ingraueſcet anima mea in
» ipſos. Deinde ſubiungit cauſam odii, etenim animæ il
lorum rugiebant in me, & dixi, non paſcam eos, quia
inquit, in me inſtar ferarum concitati ſunt, & com-
moti. idcirco factum eſt, vt amotis bonis paſtoribus,
paſcere eos deſtiterim, ita vt curam eorum, tanquam
mearum ouium depoſuiſſe videar. Deinde ſequitur,
» Moriens moriatur, & deficiens deficiat, & reliqui de-
» uorent, vnuſquiſque carnes proximi ſui, Perinde, at-
que diceret, Vnuſquiſque de ſuo ſcelere ſupplicium ſu-
mat, ipſis ſe inter ſe cóficientibus pugnis, contentioni
» bus, & inſidiis. Tum deinceps, & accipiam (inquit) vir
» gam meam pulchram, & proiiciam eam, vt diſsipem te
» ſtamentum meum, quod pepigi cum omnibus populis
terræ, id eſt auferam probos, & legitimos pontifices,
quo facto ceſſare faciam religionis ſtudium, quo qui-
dem alienigenæ omnes incenſi, & commoti ad tem-
plum meum venire ſolebant Hieroſolymam velut ex
pacto. Id enim amplius facere ob ſtatus rerum pertur-
bationem, neque facere libebit, neque, ſi libeat, pote-
runt. Rurſus attribuit ſibi Dominus, quod ex aliorum
culpa prouenit, vt ſignificaret, quæcunque huiuſmodi
mala fieri permitteret, ſigna eſſe iræ diuinæ. Idem
quoque docet Eſaias, ſcilicet propter peccata populi
loco ſupplicii malos principes a Deo dari, vt ſcriptura
loqui ſolet. Inter alia enim mala, & calamitates, quas
populo Iſraëlitico prædicit, conſtituam (inquit) iuue-
nes principes eorum, & illuſores dominabuntur eis, et
Elius apud Iob, Qui facit (inquit) regnare hominem
hypocritam propter peccata populi. Et de Saule apud
Oſeam prophetam propter peccatum reiecti Samue-
lis, Dedi, inquit dominus, tibi regem in ira mea. Clariſ
ſime vero omnium docent hoc exempla illa duo, quæ
ſanctus Anaſtaſius Sinaites, Antiochenus patriarcha,
qui ſextæ Synodo interfuit, narrat, cum imperator

Phocas,ſtatim vt imperium ſuſcepit, plurimos opera Bonoſi carnificis occideret, monachum quendam mira ſanctitate prǣditum, veluti expoſtulaſſe cum Deo pro magna ſua erga eum fiducia, quǣrentemque ab eo,cur talem imperatorem feciſſet, miſſa per Angelũ voce reſponſum tuliſſe, quia peiorem alium non habuiſſet. Quo reſponſo plane declarauit Dominus ad infligendum ſupplicium populo factum eſſe propter peccata eiuſdem populi malum imperatorem. Alterũ exemplum,quod narrat eſt,Fuiſſe in Thebaide ſceleratiſſimam quandam ciuitatem,ibi popularem quendã item ſceleſtiſſimum factum eſſe repente monachum falſa religionis ſpecie,ac moribus minime mutatis, cõtigiſſe autem,vt epiſcopus eius loci a vita recederet, apparuiſſeque viro cuidam ſancto angelum Domini, qui iuberet ire,ac cum populo agere,vt aliquis eius loci,eligeretur epiſcopus,qui quidem electus, is ſcilicet quem diximus,homo nequam,cum ſuperbe de ſe ſentire inciperet, aſtitiſſe Angelum Domini,qui quǣreret,cur inſolens factus eſſet,atque arrogans, nõ enim factum eſſe eum epiſcopũ, quia epiſcopatu dignus eſſet, ſed quia ciuitas eo epiſcopo, id eſt peſſimo digna eſſet. Ex quo perſpici poteſt, propter peccata populi venire nos aliquando in poteſtatem huiuſmodi tyrannorum,& ne ſic quidem reſipiſcere.Hǣc Anaſtaſius. Cum igitur propter peccata populi,& non ſecundum cor Domini , ſicut Dauid dictum eſt, & quales apud Hieremiam paſtores promittit Dominus, ſed ſecundũ corda noſtra,libidineſque noſtras contingant aliquando Dei permiſſu mali paſtores, quis non intelligat optimum remedium eſſe morum noſtrorum emendationem?magiſque eſſe nos a nobis accuſandos, quam malum pontificem?& cum ſupplicii genus ſit a Deo inflictum malos habere propter peccata noſtra pontifices,quid iniquius,quam nolle pœnas dare, & velle in

peccatis hærere? quid inſolentius, quam mutare velle auctoritate noſtra genus ſupplicii, quod eſt modum Deo pręſcribere, & vitam nolle mutare? Aut quid hoc aliud eſt, quam murmurare, & dicere, Cur ita facis? Coniungendæ pręterea ſunt cum hac emendatione vitæ ac morum preces, quod eſt alterum remedium, & quidem optimum, ſicut ait Beatus Iacobus, Multum valet oratio iuſti ἐνεργουμένη, id eſt cum impletione mandatorum coniuncta, quod vertit interpres Latinus aſſidua. Vt enim fides ſine operibus mortua eſt, ſic oratio iniuſti ſine operibus frigidiſſima eſt, & parum valens. Quod quidem ſignificaſſe mihi videtur Iacobus Apoſtolus, cum dixit, Oratio fidei ſaluabit infirmum. Et paulo poſt, Multum valet oratio iuſti ἐνεργουμένη ideſt oſtenſa operibus, vt iam ſi vtrumque copuletur, perinde ſit, atque ſi diceretur, Oratio fidei ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης, ideſt oratio fidei, quæ per charitatem exercetur, & oſtenditur. ac reſiſtit quidem ſæpiſſime orationibus iuſtorum nimia eorum, pro quibus adhibentur preces, nequitia. Verum ne ſic quidem deſiſtendum eſt ab oratione, quamdiu non auditur Deus, qui dicat, ſicut dixit Hieremiæ propter magnitudinē peccatorum populi, Tu autem noli orare pro populo, quia non exaudiam te in tempore clamoris eorum, Sed potius faciendum eſt, dum pontifex vinculis peccatorum conſtringitur, quod eccleſia olim faciebat, cū Petrus ſeruabatur in carcere, Oratio (inquit) fiebat ſine intermiſſione ab eccleſia pro eo. Deinde ſequitur quemadmodum liberatus fuerit Petrus ab Angelo, vt ſimiliter ſibi euenturum ſperet eccleſia, quoties pro ſuo pontifice ſimiliter orauerit. Eſt aliud præterea remedium, obſecrare pontificem cum omni reuerentia, quod imprimis conuenit in epiſcopos, ſicut ad Thimotheum ſcripſit Apoſtolus,
„ Seniorem (inquit) ne increpaueris,
„ Sed obſecra vt patrem. De epiſcopis enim in-

terpretatus eſt Silueſter pontifex. Eſt autem pontifex epiſcopus,& quidẽ primus, idemq. paterfamilias, imo pater patrum. Hæc ſi non proderunt, debent (vt arbitror) epiſcopi, ac præſertim cardinales, quos ad ſuſtinendum onus ex ſenioribus eccleſiæ pontifex deligere,& adiungere ſibi ſolitus eſt, in peccatis publicis ei reſiſtere in faciem, id eſt publice in conuentu, & congregatione multorum, exẽplo Pauli, qui ſe narrat, cũ Petrus in Antiochiam veniſſet, in faciem ei reſtitiſſe, id eſt, publice. Non enim ſic accipiendum eſt, quod ait in faciem, vt plerique male acceperunt, quaſi ἰσοτιμίαν τῆς προστασίας, id eſt paritatem, ſiue ęqualitatem pręſidentiæ ſignificarit, aut minus fortaſſe reuerenter reſtitiſſe, quod quidem Paulo infra idem Apoſtolus magis declarauit. Ait enim, Dixi coram omnibus Cephę, vt iam idem ſignificent κατὰ πρόσωπον, & ἔμπροσθεν πάντων id eſt in faciem,& coram omnibus. Vnde relicta eſt ea ſermonis cõſuetudo, qua hodie vulgo vtuntur, vt dicant in facie eccleſiæ, id eſt puplice. Reſtitit ergo in faciem Petro, quia reprehenſibilis eſſet, nempe apud homines, non apud Deum, qui neminem reprehendit ſine peccato. Sic fuerunt iuſti viri,& ſancti olim in vetere lege abſque peccato reprehenſibiles, vt Elias ſacrificãs extra Hieruſalem in monte Carmelo, Ieſus Naue circumiens die ſabbati ſepties muros Hierichuntinos, Dauid comedẽs panes propoſitionis, Denique quicunque iuſtus ſiue neceſſitate propter infirmitatem carnis, ſiue œconomice propter aliquam vtilitatem ſpiritualem aliquid ex lege prætermitteret, non permanens in omnibus, quæ ſcripta erant, reprehenſionem, imo maledictum incurrebat apud homines tantum. Similiter ergo intelligamus ſtatim poſt legem reprehenſibile fuiſſe, non quidem apud Deum, cum ſcilicet ratio œconomiæ poſtulabat, ſed apud credentes, aliquid iuſtitiæ legis retinere, vt non

conuerſari cum alienigenis, & circunciſione carnis vti, vt Paulus in Timotheo vſus eſt. ſi ergo Paulus in faciem reſtitit Petro in eo, quod fiebat innocenter, & abſque peccato, quodque erat tantũ apud homines reprehenſibile, exemplum profecto reliquiſſe mihi videtur, vt in eo, quod apud Deũ, & homines vituperabile eſt, & iniquum, omnino non taceant, ad quos hoc pertinet, quin publice reſiſtant pontifici. Præſtat enim mori, quam officium hoc fraternæ reprehenſionis, ac
„ repugnantiæ deſerere. Bonum eſt (inquit Apoſtolus)
„ mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis eua-
„ cuet. Et ſi hoc (vt magnus Baſilius interpretatur) verum etiam in iis eſt, quæ libere vnicuique licet omittere, quanto ergo magis in iis, de quibus præceptum eſt? Cui officio ſi defuerint Cardinales, ad quos hoc imprimis ſpectat, reddent rationem in die Domini, qui ſi hominibus placuerint CHRISTI ſerui non erunt, ſi-
„ cuti de ſe Apoſtolus teſtatus eſt, qui etiam dixit, Non
„ fuimus in ſermone adulationis, ſicut ipſi ſcitis, neque
„ in occaſione auaritiæ. Et Eſaias in adulatores clamat, in quorum numero eſt, qui tacendo diſſimulat, quod
„ nõ debet, idque, ne diſpliceat, Qui beatos vos dicunt,
„ (inquit) ipſi vos decipiunt, & viam pedum veſtrorum
„ diſſipant. Qui autem diſſipat vos, ipſe iudicium portabit, quicunque ille eſt. Et Dauid, Dominus diſſipabit
„ oſſa eorum, qui hominibus placent. Multa huiuſmodi ſcripta ſunt aduerſus eos, quos ſcriptura ſãcta ἀνθρωπαρέσκους appellat, id eſt hominibus placentes. Quod ſi hæc remedia non profuerint, ita obediendum erit pontifici, vt meminerimus ſemper, quod ſcriptum eſt, magis eſſe Deo, quam hominibus obediẽdũ. Et illud, Filii, obedite patribus veſtris in Domino, id eſt, cum
„ quod iubẽt, iuſtum eſt. ſumus enim omnes Chriſtiani filii eius, & ipſe paterfamilias in Domo Dei, quæ eſt eccleſia, in quem præcipue & ante omnes conuenit

„illa parabola Domini in euãgelio Lucæ, ſi ſciret pater
„familias qua hora fur veniret, &cæt. Cum enim dubitaret Petrus, id, quod Dominus dixerat de certa hora aduentus Domini, & quod vigilandum eſſet, vtrum ad ipſos tantum apoſtolos, pertineret, an ad omnes potius, ita reſpõdit Dominus, vt ex reſponſo intelligere liceret, ad omnes quidem pertinere, ſed præcipue ad eos, quibus credita eſſet doctrina, & inſtitutio aliorum, & inter eos imprimis ad Petrum præpoſitum vniuerſæ familiæ. Hos enim appellauit diſpenſa-
„tores, quales erant apoſtoli, Quis ergo (inquit) eſt fi-
„delis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Domi-
„nus ſuper familiam eius, aut ſuam. Vtrumque enim cõuenit. Sic Salomon in Prouerbiis loquens de fideli
„diſpẽſatore, Virum (inquit) fidelem quis inueniet. De
„inde ſequitur, Relinquet filios ſuos beatos. Sunt enim eccleſiæ, ſiue familiæ, ſingulæ ſuorum epiſcoporum, omnes autem vna Dei eccleſia, ſiue familia, quæ eadẽ eſt vicarii eius. Qui quia non habeat alterum ſupra ſe, qui eum punire poſſit præter Dominum, ideo ait, Si dixerit, moram faciet Dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos, & ancillas, edere, & bibere, & inebriari, veniet Dominus ſerui illius, qui moram facere videbatur, in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit, & diuidet eum gladio, ſcilicet illo iudicii vtraque parte acuto, quem vidit Ioannes exeuntem ex ore CHRISTI, de quo meminit etiam Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, & partem eius cum infidelibus ponet, id eſt vlciſcetur eum inter infideles. Partem enim appellare ſolet ſcriptura vltionem, vt cum ex aliis locis,
„tum ex Prouerb. intelligi poteſt. Cum enim dixiſſet, Pr. 20
„feſtinata pars, id eſt vltio in principio, ad extremũ non
„laudabitur, ſubiunxit. Ne dicas, Vlciſcar inimicum. Quemadmodum ergo, aut quo iure puniat familia eũ, qui ſupra ipſam familiam eſt, quem ſolum manet Dei

iudicium,atque ſupplicium,qui non facit moram, vt ille falſo putat,& dicit,imo verius, quod in Apoca-
» lypſi Ioannis ait,Ecce cito venio.Quę igitur impietas eſt,nō expectare nos proximum Dei iudicium ſeueriſſimum,ſed velle potius ante tempus iudicare,imo alienum iudicium vſurpare?Ergo ſi ſeruus ille,quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, pontificem dico,tametſi ſe ad modeſtiæ exēplum non ſolum ſeruū, ſed ſeruum ſeruorum Dei appellat, tamen percutere cœperit CHRISTI ſeruos,eoſdemq.conſeruos ſuos, id eſt iniuriis afficere, & ſcandalis eorum conſcientias ferire, ſpoliare eccleſiam, & indulgere voluptatibus, qui neque orando,neque monēdo,precando,arguendo publice reuocari poſſit,toleranter,ac patienter ferendus eſt, & expectandus, qui dixit per prophetam Abacum,Adhuc modicum,aliquantulumque, qui vẽturus eſt,veniet,& non tardabit. Iudicari enim non poterit,niſi ab eo. Conueniunt cum ſententia huius parabolæ,quam Dominus Petro reſpōdit,quæ de hoc ſenſerunt ſanctiſſimi, & vetuſtiſſimi pontifices, cum alii, tum Anacletus, Fabianus,Euſebius, & Bonifacius martyr. Scripſit itaque Anacletus in epiſtola tertia ad omnes Epiſcopos, & Sacerdotes, Doctor (in-
» quit) vel paſtor eccleſiæ,ſi a fide exorbitauerit,erit a
» fidelibus corrigēdus,ſed pro reprobis moribus magis
» eſt tolerandus,quam diſtringendus,quia rectores ec-
» cleſiæ a Deo ſunt iudicādi,ſcilicet per magiſtros, ſiue
» præpoſitos ſuos. Simile eſt,quod ait beatus Fabianus
» in epiſtola ſecūda de Sacerdotibus, tolerandos eſſe po
« tius,quam exprobrandos, neque reprehendēdos eſſe. Non quidem fraterne, Abſit,Sed accuſatorie. Ideo.n. ſubiunxit,neque accuſandos eſſe,niſi a magiſtris ſuis. Quia eorum (inquit) cauſas ſibi Dominus reſeruare, & ſuo iudicio iudicare voluit, ſcilicet per magiſtros, & præpoſitos eorum eccleſiaſticos.Cum autem in ter

ris magiſtrum, ſiue præpoſitum non habeat pontifex, reſtat, vt non adeo per hominem iudicandus ſit, ſed a ſolo Deo. Idem ſenſit, & ſcripſit Euſebius. Sed clariſſi
» me omnium Bonifacius papa martyr. Si papa (inquit)
» ſuæ, & fraternæ ſalutis negligens deprehendatur, inu-
» tilis, & remiſſus in ſuis operibus, & inſuper à bono ta-
» citurnus, & innumerabiles populos cateruatim ducit
» ad gehennam, cum ipſis plagis multis vapulaturus
» in æternum. huius culpas iſtic redarguere præſumit
» mortalium nullus, quia cunctos iudicaturus, ipſe à ne
» mine eſt iudicandus, niſi deprehendatur à fide deuius.
Sed adhuc vigent iſti, Ergo liceat oues lupo cõmiſſas eſſe? fatemur cunctum populum Chriſtianum commiſſum eſſe pontifici in opus miniſterii ad conſummationem ſanctorum, in ædificationẽ corporis CHRISTI, id eſt, commiſſum eſſe ad firmandum eum, & paſcendum, attendendumque cæteris omnibus paſtoribus, & vniuerſo gregi agnorum, & ouium, vt ſimus perfecti, ſicut pater cœleſtis perfectus eſt, effecti templũ ſanctum in Domino, creſcente per IESVM CHRISTVM ædificatione ſpirituali conſtructa in ipſo angulari lapide IESV CHRISTO, & in eccleſię catholicę paſtore, ac rectore. Hoc enim eſt ædificatam eſſe eccleſiam ſuper Petrum, hoc opus miniſterii eius, ita vt cum hęc pontifex Petri ſucceſſor non præſtet, ſit quidem eccleſia nihilominus ſuper eum ædificata, id eſt ei commiſſa, ipſe tamen miniſterii ſui opus non impleat in ædificationẽ corporis CHRISTI, quod eſt eccleſia. Aliud eſt enim dediſſe quoſdam apoſtolos, quoſdam autem paſtores, & doctores (ſicut Apoſtolus ait) ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii in ædificationem corporis CHRISTI, aliud vero ipſos præſtare hoc. Illud Dei ſolum eſt, hoc non Dei ſolum, ſed ipſorum quoque paſtorum. Non poteſt mala voluntas hominis bonum Dei opus diſſoluere. Neque enim quia

Iudas,cũ loculos habebat,fur erat, idcirco deſiit eſſe electus Apoſtolus,aut Saul,quia contempſit verbum Domini,& contempſit eum Dominus,ne eſſet rex ſuper Iſrael,ſicut ait ſcriptura, idcirco deſiit eſſe Chriſtus Domini,vt eum Dauid appellabat.Damnatum ſe ſciat cum Huſſitis hæreticis, quicunque ſic pertinaciter ſenſerit,ſcilicet neminem gerere vicem CHRISTI, vel Petri,niſi ſequatur eum in moribus. Hæc eſt enim peruerſa illorum ſententia,& hæc verba. Sed hic rurſus alia aggrediuntur via. An (inquiunt) non liceat coire in concilio ad corrigendum pontificem, cum ſit Domini ſententia,Vbicunque fuerint duo,vel tres cõgregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum? Sane oſtendunt ſe non intelligere, quod tam inepte, importune,& aliene opponunt. Iuſſerat enim Dominus eum,qui eccleſiam non audiret,id eſt, qui denunciationem factam de ſuo ſcelere non curaret, ita vt quamuis publice tandem in facie eccleſiæ,& coram omnibus admonitus,nollet tamen ſatisfacere offenſo, & cũ eo conſentire,ac conuenire,hunc (inquam) tanquam pacis hoſtem ex eccleſia pacis magiſtra,& conciliatrice iuſſerat eiicere pacifice,& ſine ſcandalo, congregatis ſcilicet eccleſia, & ſpiritu eius, qui præeſſet, cum virtute Domini noſtri IESV CHRISTI, ratum enim id fore apud Deum, quamlibet pauci eſſent, ex quibus conſtaret eccleſia, non enim numero cenſendam eſſe eccleſiam, ſed connexione capitis quamuis cum paucis membris.Id enim ſignificat quod ſubiunxit, Vbicunque ſunt duo,vel tres congregati in nomine meo.Quæ ſententia,quam nihil ad id, quod iſti volunt,pertineat,quis non videt?Deinde ſi non ſit eccleſiæ connexio cum ſuo capite miniſteriali, quemadmodum erit cum capite energiam tribuente ad augmẽtum corporis ſecũdum menſuram vniuſcuiuſque partis,quod caput CHRISTVS eſt,cum ſcriptum ſit.

„Qui vos ſpernit,me ſpernit? Quare qui miniſtrum,pō tificem tollit,idem CHRISTVM Dominum tollit.Se quitur iam vt reſpondeamus, ad canonem Calcedonē ſis concilii, quod tanquam auctoritate præſtaret,vide tur ſedi apoſtolicæ,id eſt,pontifici priuilegia tribuiſ ſe,imo cum ea æquare ſedem Conſtantinopolitanam.
„Ita enim ait, & nos definimus,ac decernimus de priui
„legiis ſanctiſſimæ ecclefiæ Conſtantinopolitanæ no-
„uæ Romæ.Etenim ſedi ſenioris Romæ merito patres,
„quia imperium teneret,priuilegia tribuerunt. Eodem
„igitur propoſito centū quinquaginta religioſiſſimi epi
„ſcopi Imperatore Theodoſio Conſtantinopoli con-
„gregati æqualia priuilegia Sanctiſſimæ ſedi Conſtanti
„nopolitanæ nouæ Romæ aſſignarunt,recte iudicantes
„eam vrbem,quæ imperio,& ſenatu fuiſſet honorata,
„eiſdemque priuilegiis frueretur, quibus antiqua Ro-
„ma,in rebus eccleſiaſticis ęque quoque atque illam ma
„gnificari ſecundo poſt Romam loco. Hactenus canon.
Sed repetam altius rem,vt huius canonis ratio, & au-ctoritas magis intelligatur. Cum ſecundus locus au-ctoritate primum Anacleti,quantum quidem literis proditum eſt, deinde Niceni concilii decretus,aſſigna tuſque eſſet Alexandriæ, Imperatores & Patriarchæ Conſtantinopolitani ſæpe illam e loco ſuo pellere, & deturbare omni conatu, & fraude tentarunt. finge-bant itaque decretum eſſe in Conſtantinopolitano cō cilio,vt ſecundum locum ipſa eccleſia Conſtantinopo litana teneret,proferebantque eiuſdem concilii cano-nem tertium a ſe fabricatum, & domi compoſitum, quem & ſi ſatis coarguit falſitatis ipſe ille canon ſecun dus concilii Conſtantinopolitani,quo eſt ſancitum,vt ſicuti in Niceno concilio conſtitutum, decretumque eſſet,ita honor dignitaſque ſeruaretur Antiochiæ.Ser uari autem non poterat, niſi Antiochia tertium lo-cum teneret,qui ei poſt Romam, & Alexandriam aſſi

ni ſanctiſſimi pontificis ad Michaelem Patriarcham Cōſtantinopolitanum,& Leonem Acridanum archiepiſcopum Vulgariæ,recitabo totum de re hac locum,
» ſed ecce iam inquit, non debet ingrata apparere fi-
» lia, quia præ cæteris eam honorare dignata eſt mater
» ſua,nam cum nullo diuino vel humano priuilegio ho-
» norabilior,ſeu clarior aliis eccleſiis Coſtantinopolita-
» na exiſtat eccleſia,& Antiochena, atque Alexandrina
» ob reuerentiam principis apoſtolorum inter alias re-
» tentent dignitatis iura,tamen pia mater,Romana ſcili
» cet eccleſia nolens dilectam filiam dote honorificen-
» tię ex toto carere,per beatos prædeceſſores noſtros in
» aliquot Synodis curauit decernere, vt ſalua principa-
» lium,& apoſtolicarū ſedium dignitate Cōſtantinopo
» litanus antiſtes honoraretur,ſicut regiæ ciuitatis epi-
» ſcopus, quāuis Iuſtinianus religioſus Auguſtus legi-
» bus humanis voluiſſet aſtruere,vt poſt papā Romanū
» ſedeat Conſtantinopolitanæ præſul eccleſiæ.& certe
» hoc nulla alia excellentia meritorum eſt aſſecuta, niſi
» quod Romana eccleſia pro amore venerabilis Conſtan
» tini ſe ipſam,quantum in eo fuit,honorantis, & exal-
» tantis, ciuitatem ipſius hoc priuilegio honoris ſola
» humana beneuolentia inſigniuit iuxta prophetæ di-
» ctum ad Heli, glorificantem me glorificabo, qui au-
» tem contemnunt me,erunt ignobiles, aut ſi quod ali-
» ud retinet,aut putat ſe habere priuilegium,vos rebel-
» les lumini,atque veritati,& ſigniferi vmbræ atque va
» nitatis proferte in mediū. hactenus Leo.Idem poſtea confirmauit octaua Synodus Cōſtatinopolitana Can. 21.Deinde ſynodus Lateranenſis Innocentii tertii,poſtremo Florentina Synodus ſub Eugenio.Ergo ſuppoſitum eſſe hunc canonem,de quo loqui cœpimus, præter quam quod ſatis conſtat ex iis,quæ diximus.Teſtatur hoc etiam Anaſtaſius bibliothecæ Vaticanæ magiſter,& cuſtos,qui Adriani ſecundi temporibus vixit.

„ ſed ab ipſo Domino ſaluatore noſtro primatum obti-
„ nuit,& eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas eccle-
„ ſias,ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, &cęt.Ergo neque Calcedonenſis Synodus,neque Cõſtantinopolitana, neque Nicena, neque vlla omnino alia pontifici, ſedique Romanæ priuilegia dedit, ſed CHRISTVS.Neq. ex canone,vt iſti dicere ſolent, ſed ex diuina lege originem ducit Summi pontificatus ſupra omnes epiſcopos,& eccleſias epiſcoporum, atque adeo ſupra vnam catholicam eccleſiam ſupra eum fundatam auctoritas,vt ſatis me docuiſſe puto,& poſſem pluribus verbis,præſertim ſi quę ab aliis dicta ſunt, repetere vellem. Sed pergamus ad reliqua iſtorum argumenta,reſpondeamuſque ad illud de Capuenſi concilio,quod citant ex epiſtola pontificis, ſiue Damaſi, vt eſt in quibuſdam exemplaribus,ſiue alterius, pro quo falſo ſcriptum eſt Ambroſii nomen. Miror equidem quemadmodum ad rem hoc de Capuenſi concilio pertinere exiſtimauerint,niſi hoc quoque volunt iſti, vt non ſolum Synodi vniuerſalis auctoritas ſupra pontificem ſit,ſed etiam ſingularum Synodorum, quod nemo hactenus ne aduerſariorum quidem dicere auſus eſt.Imo nõ ſolum ſingularum Synodorum, ſed etiam duorum hominum,aut trium,quos forte Synodus elegerit ad decernendum aliquid, vt in cauſa Bonoſi epiſcopi,& accuſatorum eius, ad quam diiudicandã delegit Synodus Capuana Theophilum,Anyſium, & epiſcopum Theſſalonicenſem. De quibus ipſe pontifex ſcripſit, vicem eos Synodi recepiſſe,quos ad examinandum Synodus elegiſſet,quare non conuenire,vt pontifex de eo iudicaret, non quidem quia maiorem ille auctoritatem Synodo tributam vellet,id eſt,iis,quos Synodus iudices delegerat,ſed quia nollet deſtruere, quod bene erat ædificatum, neque mutare,quod recte decretum.Idcirco ait.Vos enim totius,vt ſcripſimus,

Synodi vice decernitis, nos quaſi ex Synodi auctorita
te iudicare non conuenit. Non dixit, ex Synodi aucto
ritate, ſed quaſi ex Synodi anctoritate iudicare non
conuenit. Non itaque pontifex plus auctoritatis Syno
do, quam ſibi his verbis tribuit, vt aduerſarii falſo pu-
tarunt. Sequitur præterea reſpondere ad illud ex epiſto
la Auguſtini ad Glorium, Eleuſium, & Fœlicē Dona-
tiſtas. Damnauerant 70. epiſcopi Africani Donatiſtæ
Cæcilianum epiſcopum, & ordinatores eius abſentes,
atque indicta cauſa, qui cū ſemper iudicium tranſma
rinum, id eſt Romanæ ſedis declinaſſent, Romæ tan-
dem cauſam agi voluerunt duplici conſilio, vel potius
fraude, vt Auguſtinus ait, ſcilicet, vt vel ſic falſa crimi
natione vincerent, vel ſi id non poſſent, malos ſe iudi-
ces habuiſſe iactarent, quæ vox (inquit) omnium ma-
lorum litigatorum eſt, cum victi ſunt. Deinde ſequi-
» tur, quaſi non eis ad hoc dici poſſet, & quidem iuſtiſſi
» me, Ecce putemus illos epiſcopos, qui Romæ iudica-
» runt, non bonos iudices fuiſſe (numerat autem in illis
» Melchiadem) reſtabat adhuc plenarium eccleſiæ vni-
uerſalis iudicium. Quaſi concedere videatur Auguſti
nus a pontifice ad concilium vniuerſale appellationē
tanquam maiore auctoritate præditum, Scilicet con-
cedit appellationem a pontifice cum paucis epiſcopis
iudicii ſociis ad eūdem pontificem maiore iudicii ma
turitate, qualis eſt in plenario concilio, quod quidem
» Auguſt. declarauit. Subiunxit enim vbi etiam, id eſt, in
» quo concilio plenario, cum ipſis iudicibus cauſa poſſet
agitari, cum Melchiade (inquam) & epiſcopis iudicii
» eius ſociis. Deinde ſequitur, vt ſi male iudicaſſe conui
» cti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur, ipſo ſcilicet
Melchiade approbante, & aſſentiente, imo præſente,
cuius auctoritate eſſet illud concilium congregatum.
Dixerat enim proxime, Vbi cum ipſis iudicibus cauſa
poſſet agitari. Nemo eſt, qui iam non videat, hoc Au-

guſtinum voluiſſe, nullamque vim adhiberi huic explationi. Id vero, quod aduerſarii volunt, ne ſomniaſſe quidem illum. Iam quod Auguſtinus non ſemel ait, accepiſſe Petrum claues in perſona eccleſiæ, quaſi velle videatur, penes eccleſiā eſſe auctoritatem, ac poteſtatem clauiū, non autē penes perſonam Petri, quod quidem falſum eſſe docet euangelium clariſſime, cum ait, Tu es Petrus, &c. & tibi dabo claues &c. Hoc (inquā) Auguſtini dictum, ſic accipiendū eſſe dico, vt ſit ſimile atque id, quod tradit Beatus Cyprianus, eccleſiam eſſe in epiſcopo, & epiſcopum in eccleſia, ita vt hac ratione, quam poteſtatem accipit epiſcopus, eandem accipiat eccleſia, quatenus ſcilicet eccleſia eſt quodammodo in epiſcopo. Etenim ſi fingamus, non eſſe eccleſiam, ne accipiet quidem epiſcopus eius claues ad claudendum, aut aperiendum in ea. Quare cum claues accipit, nomine eccleſiæ accipit id eſt, vt eccleſia accipiat vſum ipſarum clauium, dum ſcilicet in ea aperitur, & clauditur regnum cœlorum. Sic itaque interpretor acceпiſſe Petrum in perſona eccleſiæ claues, non autem eccleſiam accepiſſe poteſtatem ſupra Petrum. Quam ſententiam miror, quemadmodum iſti ex his Auguſtini verbis vel ſomniare quidem potuerint. qui ergo dixit Petrū in perſona eccleſię claues accepiſſe, idem dicere potuit, & quidem verius, eccleſiam accepiſſe claues in perſona Petri, imo Optatus Afer Miliuitanus epiſcopus ſingulari doctrina, & ſanctitate, ad quem idem Aug. ſcripſit de origine animæ, libro primo aduerſus Parmenianum Donatiſtam ſolum Petrum ait claues accepiſſe, ſolum ſcilicet ſpeciali poteſtate, ita enim intelligendum eſt. Opponunt prętereа fieri non poſſe, imo neque intelligi, vt pontifex, qui errare poteſt, ſupra eccleſiam ſit, quæ non poteſt, imo quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, & qui eſſe poteſt omnibus criminibus obſtrictus, & omni vitiorum la-

be pollutus, idem tamen iudicari non poſſit, neque puniri ab eccleſia neque rugam, neque maculam habente. Sed ſi per ſe hæc non poſſunt intelligere, quæ velut monſtra mirantur, tametſi quæſtio hæc eorum quæſtionem non ſoluat, tamen ego rurſus quæram ab eis, quemadmodum ipſi intelligere poſſunt, eſſe eccleſiam ſuper hanc petram fundatam, ſi qui IESVM non ſoluit, qui depoſitum fidei, & eccleſiaſticorum dogmatum cuſtodit, qui fundamentum aliud non ponit, præterquam quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTVS IESVS, qui non euangelizat aliud, quam quod Apoſtolus euangelizauit, denique qui, ſicut idem apoſtolus ait, fide ſtat, & petra exiſtit fidei firmitate, is (inquam) quia ſcandaloſe viuat, vt iſti loquuntur, idcirco iudicari, damnari, & pontificatu eiici poteſt ipſius eccleſiæ iudicio? Quemadmodum non potius, ſi ita ſit, ſupra arenã fundata fuerit eccleſia, ſi ſtatim, vt venerint flumina ſchiſmatum, aut flauerint venti hæreſeon, & in eum iudicio, & damnatione ſua irruerint, ipſe deturbetur propter ſcandala inuitus, ita vt petra quidem maneat, quia fide ſtat (hæc enim eripi ab inuito non poſſunt) petra inquã maneat, ſed non baſis, ac fundamentum eccleſiæ, caput, ſed non corporis, atque ita rurſus aut eccleſia ſit diuiſa, neque iam vnus grex, & vnus paſtor, aut ſit vna ſine origine vnitatis; quę profecto veriora monſtra ſunt, & horribiliora, quam illa ſuperiora, quæ iſtis tãquam ſomniantibus apparebãt, quæque mirantur, & prædicant ſe non poſſe intelligere. Verum dicam ego, quemadmodum mirari deſinãt, & intelligere poſſint, nempe ſi cogitauerint myſterium hoc magnum eſſe in eccleſia catholica, myſterium (inquam) ac proinde non apparens, quare opus
» eſſe fide ad intelligendũ illud, ſicut ſcriptum eſt, Niſi
» crediderítis, non intelligetis. fide enim ea, quæ non apparent, oſtenduntur, ſicut Apoſtolus docuit, vt paſſio

in impaſſibili, mors in immortali, vita in mortuo, & mors in vita, defatigatio in omnipotenti, & alia huiuſ modi myſteria in CHRISTO. In eccleſia vero catho lica ſimiliter myſterium eſt, errare non poſſe, tamen fundamentum eius eum eſſe, qui poſſit, item caſtiſſimam eſſe, tamen petram, ac firmamentum eius poſſe pollutum eſſe. Perinde atque diceretur, firmitas in infirmitate, innocentia in crimine, integritas in corrupto. Myſteria fidei hæc ſunt, quæ abſque fide intelligi non poſſunt, Neque vero hoc dico, quod fides myſteriorum ratione careat. Neque enim eſt fides noſtra ἄλογος, id eſt, ratione carens, vt hæretici calumniantur, imo rationibus, & piis doctrinis munienda eſt, ne per inanem fallaciam eripiatur, & vt poſſimus eos, qui contradicunt, arguere, præſertim cum non credunt ſcripturis. Sed hoc dico, non eſſe faciendum, quod mul ti impie, & ſuperbe faciunt, vt tantum ſibi in ſcripturis credendum putent, quantum ratione ſua conſequi poſſunt, non eſſe (inquam) in carne, & ſanguine nitendum, id eſt, in rationibus humanis, in proprio inge nio, in elementis mūdi, & inani philoſophia, ac in traditione hominum, quæ quidem vt non reuelarunt Pe tro CHRISTVM eſſe filium Dei viui, quod erat maxi mum in CHRISTO myſterium, ita neque nobis reue larunt, ruere poſſe fundamentum, ędificium vero non poſſe, poſſe caput, imo ſingula membra ægrotare, & in terire, corpus vero non poſſe interire, fictili baſi impo ſitam eſſe columnam marmoream cum baſe aurea, id eſt, eccleſiam columnam, & firmamentum veritatis puræ inſtar auri (ſic enim Paulus interpretatus eſſe vi detur myſterium illud in Canticis de ſponſi tibiis inſtar columnarum ex marmore cum aureis baſibus) denique robur inuictum eccleſiæ catholicæ, glorioſæ, coagmentatum eſſe cum humana pontificis fragilitate, quod eſt magnum in eccleſia, & pontifice ſacramen

tum,quod quidem (vt dixi) non rationes humanę no bis reuelarunt, ſed IESV CHRISTI Euangelium. Sed age,videamus quale ſit,quod iſti aiunt, intelligere ſe non poſſe,eccleſiam,quæ errare non poteſt,ædifica tam eſſe ſuper eum,qui poteſt.Videamus (inquã) quale hoc ſit,& vtrum aliqua ratione, & via fieri poſſit, vt ſicut eccleſia catholica errare non poteſt, ita etiam pontifex. Certe pontifex ſi mature, & canonice,hoc eſt,cum cõcilio eccleſiæ aliquid graue,ac neceſſarium ad Chriſtiane viuendum decernat, errabit nunquam. imo dicet veriſſime,Viſum eſt ſpiritui ſancto,& nobis ſicuti promiſit Dominus apoſtolis,non erraturos, & inter eos principi Apoſtolorum Petro,ac per eos ſucceſſoribus eorum,quorum princeps eſt pontifex,Para cletus (inquit) ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo,quod quidem cõſubſtantialitatem ſignificat,ita vt vbi ſpiritus ſit,& filius Dei ſit, qui Deus eſt,& ſpiritus (hoc enim ſignificat illud, in nomine meo) ille ergo vos docebit omnia. Ne vero exiſtimaretur alia eſſe doctrina,quam ſpiritus ſanctus nunc do cet eccleſiam, ab ea, quam CHRISTVS tunc docuit apoſtolos,ideo ſequitur,Et ſuggeret, ſiue commemo rabit vobis omnia,quæcunq. dixi vobis.Nõ itaq. nos põtificem ab eccleſia ſeparamus, neq. eccleſiã a pontifi ce,cũ ſit potius(ſicut beatus Cyprianus ait)põtifex in eccleſia,& eccleſia in põtifice. Vnde Magnus Baſilius ſcribens ad Occidẽtales, id eſt ad primũ epiſcopũ,pon tificẽ inquã cum eccleſia, ideſt cum reliquis epiſcopis occidentalibus per Sabinum diaconum, certe inquit dignum eſt excellẽtiſſima illa beatitudine,(ſignificat autẽ quod dictũ eſt Petro,beatus es Simon,&c.)chari ſſima veſtræ religioni conceſſum falſum quidem a vero diſcernendi, fidem vero patrum intrepide, & integre prędicandi. Ergo qui dicit,eccleſiam catholicam er rare non poſſe,illud quoque dicit, pontificem errare

non poſſe,ſcilicet eccleſiaſtice decernentem aliquid ne ceſſarium multis,aut expediens,& ædificans,denique quod ſit dignum Petri cathedra.Sicuti principes ſacer dotum & phariſęi ſedentes ſuper cathedram Moiſis er rare non poterant in iis,quę docebant.Alioqui non di xiſſet Dominus,Super cathedram Moiſi ſederũt principes,& phariſæi,quæcunque dixerint vobis facite. Hoc eſt,quæcunque iudicauerint iuſte,quæque digna erunt cathedra Moiſis,tenete.Hoc enim eſt ſedere ſu per cathedram Moiſis.Quę autem non eſſent digna ca thedra Moiſis ,cuiuſmodi erant doctrinæ hominum, & traditiones , quas tradebant ad ſoluenda mandata Dei,de quo eos ſupra accuſauerat Dominus, hæc (inquam) non ſedentes ſuper cathedram Moiſis , qui ſibi iuſſu Dei 70. Seniores, quos ipſe nouerat magiſtros, ac duces eſſe,ad ſuſtinẽdum onus delegerat, ſed ſuper auaritiam,arrogantiam,& hypocriſim ſuam ſedentes iudicabant.Similiter dicatur in pontifice, tenẽda eſſe, quæcũque dicat ſedens ſuper cathedram apoſtolicam, id eſt,quæcunque fuerint digna cathedra apoſtolica. Qualia ſunt,quæcunque cum collegio ſeniorum ſacer dotum,ac magiſtrorum cõcilio,mature,canonice , & eccleſiaſtice alios docet,vnctione ſcilicet eum docente,ita vt quamuis theologiam põtifex neſciat, cum fide ſtat, & eccleſiaſtico concilio canonicam tribuit au ctoritatem,ex merito pontificali, & ſpiritus chariſma te prouenit,vt ad multorum,quibus pontifex præeſt, vtilitatem in medio eccleſiæ catholicæ prophetetur, hoc eſt,obſcura aperiantur , & ardua recte diiudicentur. Vt enim ænigmata ſomniorũ ſine prophetiæ ſpiri tu explicari non poſſunt,vt Ioſeph,& Daniel fecerũt, Sic neque quæ obſcura,& tecta ſunt in ſcripturis ſanctis,vt præclare Magnus Baſilius in Eſaiæ Commenta riis ſcripſit,Magna enim eſt vt idem ait horum inter ſe affinitas.Huius vero rei exemplum , quãuis tenue,

& velut in vmbra, cernere licet in Caipha, qui collecto (ſicut ſcriptum eſt in Euangelio) pontificum, & phariſęorum concilio, & conſultantibus, quid agendũ eſſet de CHRISTO, vnus ex ipſis (inquit) Caiphas, cũ
„ eſſet pontifex anni illius, dixit eis, Vos neſcitis quic-
„ quam, neque cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus mo
„ riatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc
„ autem a ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet pontifex
„ anni illius, prophetauit, quod IESVS moriturus erat,
„ & non tantum pro gente, ſed vt filios Dei, Hebræos ſcilicet, qui erant diſperſi, congregaret in vnum, quæ quidẽ in lege, & prophetis licet tecte, & obſcure continebantur, vt quidem ſi locus eſſet, poſſem copioſe oſtendere. Bene itaque Philippus cognomento preſbyter Hieronymi diſcipulus in Commentariis Iob, Caipham ait merito põtificali afflatum ſpiritu ſancto propheta ſſe, & ſi illud mihi non probatur (vt hoc obiter annotem) quod hic auctor in eo loco ait, non intellexiſſe Caipham, quæ diceret, cum prophetauit, Quod ad hęreſim Montani de prophetis amentibus proxime accedit. Quomodo enim ſpiritu prophetiæ, qui eſt ſpiritus ſapientiæ, præditus ſit, qui neſciat, quod prophetat? Item Baſilius in procœmio Commentariorum Eſaiæ de eodem Caipha inquit, Quamuis in eo non eſſet puritas animi, & ſplendor mẽtis Deum videntis, qui eſſe ſolet in ſanctis prophetis, tamen prophetaſſe œconomice, fuiſſeque eius prophetiã οὐ πρὸσ τὴν ἀξίαν, ἀλλὰ πρὸσ τὸν καιρὸν, id eſt non pro ratione, & merito perſonæ, ſed pro ratione temporis ad vtilitatem eorum, qui ei tunc parebant. Ita enim interpretatus eſt, quod euangeliſta dixit. Cum eſſet pontifex anni illius prophetauit, &cæt. Quemadmodum ergo non ſimiliter tribuamus, imo magis pontifici noſtro ſuper cathedram apoſtolicam ſedenti cum cõcilio epiſcoporum, ac doctorum ad vtilitatem eorũ, quibus præeſt, ſicut

ſicut ait Apoſtolus, Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, Tribuamus (inquam) prophetare, non dico futura prædicere, quod iam non eſt hoc tempore neceſſe, ſed obſcura explanare, controuerſa diffinire & verum a falſo diſcernere, denique ſi quid difficile, & ambiguũ fuerit, diiudicare mature, canonice, ordinate (ſicut Apoſtolus ait) duo, aut tres prophetę dicant, cæteri diiudicent, quod in eccleſia fieri pręcipit, cũ de chariſmatibus ordine, & ſine æmulatione ad ædificationem in ea vtendis agit. Ergo pontifex non quidem pro ratione, & merito perſonæ, ſed pro merito pontificali ad vtilitatem eorum, quibus præeſt, non poteſt errare, idque cum canonice, & eccleſiaſtice iudicat. Tunc enim prophetat. Secus autem facere nõ eſt prophetare, ſed Deum tentare, atque ita nunquam eum inuenire. Non enim inuenitur ab iis, qui tentant eum, vt in Salomonis ſapientia ſcriptum eſt, Pontifex (inquam) cum eccleſia errare non poteſt, ſicut neque eccleſia cum pontifice propter meritum pontificale ipſius iudicis œcumenici. Non enim eccleſia hoc chariſma accepit, vt ſedeat ſuper cathedram, & iudicii veritatem iudicet, niſi aſſumpta a iudice primo ad maturam conquiſitionem. Eccleſia itaque catholica errare non poteſt in iudiciis, quia vniuerſalis, & tota eſſe non poteſt, ſi partem ſui, & quidem principem partem, pontificem (inquam) tollat. Tollit autem, cum ei actum proprium non relinquit, vt oculos tollit, qui officium videndi non relinquit. Sumus enim omnes (vt Apoſtolus ait) corpus CHRISTI, & membra ex parte, id eſt alius aliud membrum, ſuum quodque illorum actum habens. Vnde ſtatim ſubiunxit, Quoſdam poſuit Deus in eccleſia, primum apoſtolos; ſecundo prophetas, &cæt. Quomodo autem relinquit actum ſuum pontifici, & regi eccleſiæ, ac paſtori ſummo; qui eccleſiam catholicam ei commiſſam, id eſt, oues ſupra

aut cucurriſſem. Idcirco aſſumpto Barnaba, & Tito adſcēdit ab Antiochia, vbi diu prædicarat, Hieroſolymam, vbi erat Petrus cum cæteris apoſtolis. Tanta vis eſt cōquiſitionis eccleſiaſticæ ad ſanciēdam veritatem. Eſt præterea huius conquiſitionis eccleſiaſticæ
» exemplum, & forma in Deut. Si enim (inquit) ambi-
» guum, & difficile iudicium eſſe videatur inter ſangui-
» nem, & non ſanguinem, lepram, & non lepram, cau-
» ſam, & non cauſam, adſcēdes ad principes Sacerdotum
» Leuitici generis, & ad iudicē, qui fuerit illo tempore,
» quæreſque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem. Scilicet, tanquam errare nō poſſent. Ex quo loco, ſi Euangelium conferamus, intelligi poteſt, quid ſit ſuper cathedram Moiſis ſedere, nempe iudicium exercere, ſiue iudicio præeſſe. Quod quidem declarat ipſum nomen, ἀρχιερέων, quos nos dicere ſolemus principes ſacerdotum, ſiue principes. Perinde atque diceretur. Si ſuper cathedram Moiſis ſederint principes, & phariſæi, id eſt, ſi iudicium fecerint, quodcunque dixerint, facite. Quod etiam ex Deut. ſumptum eſt, vt ſtatim videbimus, Sed cur quodcunque dixerint, nempe quia iudicii veritatem iudicabunt. Quod quidem euenit, quoties docent iuxta legem Dei, & non iuxta traditiones, & opiniones hominum. Ideo enim ſubiungit
» in Deut. facies quodcunque dixerint, & docuerint iu-
» xta legem Dei. Hæc enim erat doctrina, & hoc iudicium dignum cathedra Moiſis. Similiter dicatur in cathedra Petri. Quia vero accidere poterat, vt huiuſmodi iudices vitiis abundarent, quæ tamen imitanda non eſſent, neque ipſa rurſus auctoritatem, & pondus doctrinæ, ac iudiciis eorum detrahere deberent, Idcirco ſubiungit, Neque declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Quod quidem non præcipit iudicibus, quos iam dixerat iudicaturos iudicii veritatem, ſed ei, qui adiret iudices, præcipit, vt faciat, quæcunque dixe

rint iudices,non tamen eorum vitia imitetur, ſi contingat vitioſos eſſe. Hoc enim eſt,neque declinare ad dexteram,neque ad ſiniſtram, id eſt, fugere nimium, & parum vitiorum extrema, quorum ſunt mediæ virtutes,vnde mediocritates dicuntur.Hoc idem Dominus abſque vllo tropo,propriiſque verbis præcepit in eodem euangelii de iudicibus loco, qui ſumptus eſt to-
» tus ex Deut.Quæcunque (inquit) dixerint vobis fa-
» cite,quæ autem faciunt,nolite facere. Significare vero hoc loco Deut.dextram,& ſiniſtram vitia,etiam intelligi poteſt ex Prouerb. Hortans enim Salomon ad
» virtutes,& dehortans a vitiis. Vias(inquit)tuas diri-
» ge,ne declines ad dexteram,neque ad ſiniſtram. Auer-
» te autem pedem tuum a via mala. Denique vt hunc locum finiā,Salomon de rege loquens,ei tribuit τοῖς προσλήπτοις (ſic enim verterunt 70.) quos nos dicere poſſimus aſſumptos,ſcilicet ad conſilia,iudicia, & gubernacula,quos comparat cum nube, ſiue pluuia veſpertina,propter vtilitatem,quam afferunt tum regi, tum populo inſtar pluuiæ veſpertinæ, quam terra ſuper ſe venientem bibens (vt Apoſtolus ait) herbam oportunam illis, a quibus colitur, producit, & benedictionem accipit a Deo. Sic enim huiuſmodi pluuiæ præſidio, & vſu, iudicium a rege prouenit, & iuſtitia, velut pabulum conueniens ad paſcendum populum. Quales autē debeant eſſe huiuſmodi πρόσληπτοι, ſiue aſſumpti,
» magis adhuc declarat Salomon, ſubiungens, Viri ſa-
» pientes meliores auro, & prudentes meliores argen-
» to, Perinde atque diceret, Pręſtat habere apud ſe huiuſmodi ſapientes, ac prudentes, quam abundare auro, & argento. Huiuſmodi ergo aſſumptis, id eſt, collegio patrum, & concilio ſeniorum opus eſſe dico regi eccleſiæ, hoc eſt, pontifici ad paſcendum ſine errore iudicii, atque doctrinæ eccleſiam catholicam. Vt (inquam) in his errare non poſſit, contingatque, quod promiſit Do

minus in euangelio, Ille vos docebit omnia. Quod quidem tametſi in ſingulos apoſtolos contulit ex priuilegio apoſtolicæ gratiæ, tamen collegio eorum, id eſt, apoſtolis cæteris cum Petro eorum principe, qui eccleſiam vniuerſalem repręſentabant, imprimis promiſit, quod quotidie pręſtat, & implet in concilio ſucceſſorum cum pontifice, quod eccleſiam item catholicam repręſentat. Ex quo intelligimus, quãto iudicio, ſtudio, & teſtimonio aſſumi debeant a põtifice ſapientes πρόσληπτοι. Quales ſunt cardinales, qui ſint inſtar pluuię ſerotinę, vtiles tum pontifici, tum eccleſię, vt ipſi horum pręſidio freti fructus bonorũ operum percipiamus ex rectis iudiciis doctrina, gubernatione, & honeſta vita pontificis, non autem qui ſint inſtar grandinis noxii, neque inſtar nebulæ cæci, errantes, & in errorem mittentes, neque inſtar venti mobiles. quorum officium, & munus elegantiſſime deſcripſit Beatus Bernardus Lib. 4. de conſideratione ad Eugenium.
» Scilicet mitti ad dandam pacem regibus, legem barba
» ris, quietem monaſteriis, eccleſiis ordinem, clericis di-
» ſciplinam, Deo populum acceptabilem, ſectatorem bo
» norum operum. Item, vt ſi pontifex vellet aliquatenus
» deuiare, non ſinerent, frænarent præcipitem, dormitã
» tem ſuſcitarent, quorum reuerentia, & libertas extol-
» lentem ſe reprimeret, excedẽtem corrigeret, quorum
» conſtantia, & fortitudo nutantem firmaret, erigeret
» diffidentem, quorum fides, & ſanctitas ad quæque
» ſancta, ad quæque honeſta, ad quæque pudica, ad quæ
» que amabilia, & bonæ famę prouocaret, &cęt. Quanto præſtantius, & excellentius fuerit, atque vtilius eum, cui cunctus orbis commiſſus eſt, huiuſmodi ſapientibus abundare, quam auro, & argento? Multitudo enim ſapientum (vt Salomon ait) ſalus orbis terrarum. Quia enim in multitudine ſapientum ſapientia
» regis ſita eſt, idcirco ſtatim ſubiungit. Et rex ſapiens

fitetur in Actione, cum ait, communicantes, & memoriam venerantes, & deinde ſequuntur nomina ſanctorum. Credimus præterea (vt ad rem propius accedam) eccleſiam eſſe catholicam, & apoſtolicam, id eſt, totam, integram, ac perfectam, & per vniuerſum
„ orbem diffuſam, ſicut ſcriptum eſt, Eritis mihi teſtes a
„ Hieruſalem in tota Iudæa, & Samaria vſque ad vlti-
„ mum terræ. Et in lib. Pſalmorum. In omnem terram
„ exiuit ſonus eorum. Et Dominus in Euangelio Lucæ.
„ Quoniã ſic (inquit) ſcriptũ eſt, & ſic oportebat CHRI-
„ STVM pati, & reſurgere a mortuis tertia die, & prædi
„ cari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem pec
„ catorum in omnes gẽtes. Et apud Matthęum, Euntes
„ (inquit) docete omnes gentes. Plena eſt ſcriptura ſancta huiuſmodi teſtimoniis. Credimus etiam apoſtolicam, id eſt ædificatam cum ſuper apoſtolorum fundamentum, ſicut Apoſtolus ait, ſcilicet propter prædicationem, & doctrinam eorum, tum ſuper fundamentum Petri principis apoſtolorum, propter poteſtatem, & principatum pontificalem, qui eſt firmamentum eccleſiaſticæ ædificationis, & regiminis, Ergo qui eccleſiam catholicam credit, & cõfitetur, idem pontificem confitetur, & credit. Eſt enim vniuerſale quoddam totum. Tota autem quemadmodum erit, ſi partem detrahas, & quidem principem, id eſt caput? Detrahit autẽ (vt ſupra dixi) quiſquis ei membro proprium actum non relinquit. Iam illud Zozimi papæ contra ſtatuta patrum ne huius quidẽ ſedis valet auctoritas. Et illud Gregorii de 4. conciliis, quæ vniuerſali (inquit) conſenſu ſtatuta ſunt, Se, non illa deſtruit, quiſquis præſumit abſoluere, quos ligant, aut ligare, quos abſoluunt, Alięque ſimiles ſententiæ non declarant auctoritatem eccleſiæ ſupra pontificem, ſed potius vim habent ſimilem illius Pauli ſententiæ, Si (inquit) quæ deſtruxi, iterum ædifico, præuaricatorem me conſtituo. Decreue-

rant apoſtoli,ne gentes legem ſeruarent,quæ erat quę dam ædificii vitæ veteris demolitio, ædificandaſque eſſe gentes iacto fundamento non legis, ſed CHRISTI, & euangelii eius.Si ergo (inquit) quæ deſtruxi veteris legis,iterum ædifico,& ædificium deſcriptū, ac deſignatum,& iam cœptum nouæ legis rurſus deſtruo,profecto legem nō ſeruo. Similiter in pontifice dicere licet. Si canones, ac ſanctiones ad ædificationē eccleſiæ vtiles,non ſeruat,quas quidem & ipſe approbauit,& ſe ſeruaturum promiſit, deſtruit profecto quod ædificatum eſt.Quod quidem quia vitioſe facit (non enim accepit a Domino poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem, vt de ſe apoſtolus dixit, quod etiam conuenit pontifici)idcirco non poſſe dicitur.Quare valeat ſententia illa audax, & temeraria,aſſentationis,& libidinis plena,Papam omnia poſſe.Teneamus modeſtius,ac verius nos,poſſe quidem omnia quæ recte illi videantur, quæ autem non recte, non poſſe.Vnde in Synodis ſanctis,cum quid eius poteſtati integrum ſeruatur,dici ſolet,quod epiſcopus Romanus probauerit recte habere,& quodcunque eius prudentiſſimo conſilio recte videbitur.Aliaque huiuſmodi.Etenim ſi poſſet iuſta, ſanctaque decreta pro arbitrio tollere,facile videretur, vti leuitate,& quę cogitat(vt Apoſtolus ait)ſecundum carnem cogitare,eſſeque in eo eſt,& nō.Quod quidem non accidat, ſi œconomice,& neceſſitate, ac ratione poſtulante aliquando remittat,ſiue relaxet, vel ſoluat lege,exemplo Petri,cum œconomice decretum Hieroſolymis factum, & a ſe comprobatum non ſeruabat, neque tamen in eo peccabat.Quare boni pontificis erit,videre mature,vtrū cum diſpenſat,ędificet, an deſtruat. Vtrum ſit aliqua neceſſitas & vtilitas eccleſię,an non ſit. Si enim ſit,canonem eccleſiaſticum tranſire liceat, vt grauiſſime,& ſatis copioſe Ioannes pont.in literis Romanæ

Synodi

Synodi maturitate ad Baſilium, Leonem, & Alexandrum Imperatores pro Photio patriarcha Conſtantinopolitano abſoluendo, & reſtituendo ſcriptis ſemper licuiſſe multis exemplis, & decretis, tum conciliorum Niceni, & Carthagi. tum veterum pontificũ Gel. Leonis magni, fęlicis, Innocen. & Grego. docuit. Hic vero poſtremo loco vrgent iſti, Si fateamur, teneri pontificem ſeruare decreta, & canones, ergo ſubiectum eſſe eis. Quod ſi ſubiectum fateamur, ergo minorem. Hunc ſyllogiſmum dixit Cuſanus dictatum eſſe a ſpiritu ſancto, quo victus, eccleſię auctoritatem ſupra pontificem inſipientiſſime defendit, qui non eſt veritus ſomnium ſuum, ſuęque ignorãtię intemperiem ſpiritui ſancto, qui eſt ſpiritus ſapientię, tribuere. Docet. B. Baſilius (ne ſine auctore loquar) in regulis breuioribus, omnino neceſſe eſſe, eſſe ſubiectum hominem, quicunque ille ſit, aut præceptis Dei, aut hominis propter pręcepta Dei, id eſt, quoties pręcepta hominis in pręcepta Dei incidunt, aut ad illa adiuuant, hominis (inquam) cuiuſcũque, ſicut præcepit Apoſtolus, Subiecti eſtote inuicem in timore Dei. Et Dominus in euangelio, Si quis (inquit) vult in vobis magnus eſſe, ſit omnium ſeruus, a ſuis ſcilicet voluntatibus alienatus, vt tanquam Dei voluntatem ſuſcipiat, quicquid boni conſilii, ſiue pręcepti dederit frater, quicunque ſit ille, ſicut Moiſes Ietro paruit, cum dixit ei, Non bonam rem facis. Sed audi verba mea, & conſilia mea, & erit Dominus tecum. Nihil enim refert, ſiue conſilium appelles propter modeſtiam, ſiue pręceptum propter vim, quia male faciat, qui non pareat. Vt ergo minorem eſſe eum, qui præcipit, non hoc lædere debet obedientiam eius, cui pręcipitur, ita neque eius pręſtantiam, & (vt loquuntur) ſuperioritatem. Hactenus Baſilii ſententia. Quare trita illa regula, Par in parem non habet imperium, non eſt in iis accipienda, quę ſic in diuina pręcepta inci

dunt, & ſic ad illa facienda adiuuant, vt non non bonam rem faciat, qui non pareat, quicunque ſit ille, qui illa ſuggerit, aut pręcipit, ſiue par, ſiue minor, ſicut Apoſt. pręcipit eſſe omnes mutuo inter nos alios aliis ſubiectos in timore Dei, ſcilicet quoties ad præcepta Dei ſeruanda expedit, ſic ſubiectos eſſe in iis (inquam) omnibus, quæcunq. (vt dixi) aut in illa præcepta Dei incidunt, aut ad illa adiuuant. Iam, credo, perſpicitur clariſſime, quam vim habeat Syllogiſmus ille ab ſpiritu ignorantiæ potius dictatus, Tenetur parere decretis eccleſiæ, ergo eſt ſubiectus illi. Et rurſus. Si ſubiectus, ergo minor eccleſia. Sed quid eccleſia minorem? Imo minorem olitore, ſimili arte, & ratione poſſunt concludere, ſi quando contingat, quod quidam ex poetis dixit, Sępe eſt olitor opportuna locutus, ſi (inquã) dicat is pontifici, cum valetudinis gratia in hortis ſuis deambulat, Audi verba mea, & fac hoc ſumme Dei Sacerdos, & Dominus erit tecum, profecto ſi hoc ex eorum numero eſſet, quę diximus, incidere in præcepta, aut ad ea adiuuare, parere deberet pontifex, ergo fuerit illi ſubiectus, & rurſus, ergo minor olitore. Hæc eſt dialectica Cuſſani. Nos vero & ſummum eſſe in terra pontificem confitemur, & canonibus conciliorum, ac regulis patrum eccleſiaſticis, pontificumque decretis, imo omnium conciliis, ac dictis ſalutaribus ſubiectum eſſe debere in timore Dei, & eos pontifices, qui canones, ac decreta non ſeruarint, ſimiles fore principibus illis, & phariſæis, quos Dominus in Euangelio accuſans dixit, alligare eos onera grauia, & importabilia, & imponere in humeros hominũ, digito autem ſuo nolle ea mouere, id eſt, faciebant, vt viderentur intolerabilia præcepta, dum ea ipſi ne incipiebant quidem facere. Id enim ſignificat, non mouere illa digito. Similiter pontifices, cum canones eccleſiaſticos non ſeruant nulla œconomiæ, & ſpiritualis vtilitatis ratione, quos

placet, & libet, nulla neceſſitate, lege ſoluentes, faciunt, vt reliquis videantur intolerabiles, & omnia faciant cum murmuratione contra Apoſt. præceptum. Quamobrem obte ſtandus eſt põtifex per illius magni paſtoris, & epiſcopi animarum noſtrarum ſacramenta, & admirabilia iudicia, vt cum ſolicitudine omnium eccleſiarum domui Dei præſit, filios eccleſiæ habeat ſubiectos in timore, Dei exemplum, & forma gregis factus, vt ſeruet in Domino canones eccleſiaſticos, & faciat eos ab omni eccleſia ſummo ſtudio ſeruari, audiatque verba hæc, & conſilia, vt Dominus ſit cum eo, fiatque (ſicut beatus Petrus ait) vt cum apparuerit princeps paſtorum, immarceſcibilem gloriæ coronam percipiat. Hæc ſunt, lectiſſime Cardinalis, patrone optime, Saluiate, quę de auctoritate pontificis ſacroſancta, & ſupra omnia concilia maxima, hoc tempore, cum de tanta, ac tali hominibus data poteſtate non pauci dubitabant, ſcribenda eſſe putaui ad ędificationem Dei in fide, & charitate per Chriſtum, cum quo patri vna cum ſancto Spiritu gloria & honor in ſęcula ſæculorum. Amen.

DE RESIDENTIA
PASTORVM IVRE
DIVINO SCRIPTO
SANCITA,
LIBER VNVS.

FLORENTIAE.

DE RESIDENTIA PASTORVM IVRE DIVINO SCRIPTO SANCITA,

LIBER VNVS.

VT NON fuerunt electi olim inter ſeptuaginta , ſed potius relicti in multitudine, ac numero vulgi Eldad , & Modab, tamen donati ſunt munere prophetiæ , aduerſus quos cum populus murmuraret, ſanctus Moiſes, vt murmurationẽ reprimeret, ac contineret. Quis(inquit) tribuat, vt omnis populus prophetet? Sic ego neq.fui inter Tridentinos magiſtros cum a nonnullis eorum de Reſidentia Epiſcoporum,quo iure ſancita eſſet,libris etiam de eo in publicum editis, ageretur,neq. ſi interfuiſſem , is eram, qui rogari poſſem,aut deberem ſententiam , Quis tamen prohibeat,tum cæteris aliis,tum mihi, quicũque ſim,& vbicunque agam,ne dicam ſententiam præſertim ex literis ſanctis per gratiam prophetiæ depromptam? Nemo itaque æmulus dicat. Domine mi Moiſes,prohibe eos,ne audiat, Quid æmularis pro me? Quis tribuat,vt omnis populus prophetet? & det eis Dominus ſpiritum ſuum? Eos vero,contra quos fortaſſe ſcribere videbor,vt æquo animo ferant,meminiſſe velim,quod eoſdem audio dicere ſolitos, cum contra aliquem ſcribunt , non ſe aduerſus auctores ſcribere, ſed aduerſus eorum falſas opiniones.Tanto autem æquius ferre debebunt, quanto maior eſt, & plus nocere poteſt eorum opinio præiudicata, ſi eam vſurpa-

re,eademque ad defendendum errorem abuti aliis con tigerit, item quanto plura,& ſæpius,iidem recte alias ſcripſerunt.Quis enim omnia,& ſemper bene? cũ non male cum eo agatur, qui pauca aliquando non male. Deinde, quis iſtorum non cogitat euenire ſibi poſſe, quod ſuis magiſtris euenerit?aut ſi cogitat, cur pœniteat retractare, aut doleat contra dicentes audire? Quam multa ſunt, quæ magis nos pudet Auguſtino tribuere,quam cũ puduit de ſe agnoſcere, ac cõfiteri? qui cum eſſet veritatis defendẽdæ ſitientiſſimus, neq. ignoraret,quod nõ multo poſt Leo Magnus pontifex ſanctiſs.dixit,tũc optime veritatem defendi, cum opinio falſa a ſuis auctoribus dãnaretur, librum retractationum,ſapientiæ,pietatis,modeſtiæ,doctrinæ, iudicii,& ſtudii,ac ſtudiorum progreſſus refertum compoſuit.Prçterea meminiſſe debent, vt præceptum Domini ſit, non eſſe communicandum, ſicut Apoſtolus ait, operibus infructuoſis tenebrarum,ita non eſſe cõmunicandum erroribus,& falſis doctrinis, magis autẽ redarguendum.Omnia namque quæ arguuntur,a lumine manifeſtantur.Vt .n. debemus omnes honeſtate vitę aliena vitia,tanquam lumine tenebras coarguere, ac prodere, ſic luce veritatis errorũ tenebras patefacere,vt, ſicut ſcriptum eſt, ambulemus omnes in omni bonitate,iuſtitia,& veritate,neq. ponamus offendiculum fratri,vel ſcandalum,quale eſt,quod quidã dicũt, epiſcopos non fieri a Deo,ſed a pontifice, & quod iidẽ falſa ratione inde concludunt, reſidentiam paſtorum non eſſe iuris diuini.Quis enim de puſillis iſtis,qui in Dominum credunt, cũ audierit,epiſcopos non fieri a Deo,nõ minore honore habendos eſſe putabit, quam cum eos,recte credebat a Deo fieri? Aut quis paſtor animarum,cum audierit iniqua paſtoris abſentia,non ſtatim legem Dei violari,ſed hominis,nõ iam facilius negliget adeſſe?Citius enim in mentem veniet,ſi pec-

cauerit vir in virum, placari ei poteſt Dominus. Si autem in Dominũ peccauerit, quis orabit pro eo? Quam illud, qui vos ſpernit, me ſpernit, quanto citius, & libentius, quod laxare videtur, quam quod aſtringit, arripimus, & tenemus. Recitemus ergo primum, quæ iſti ad hæc duo defendenda tanto alioqui errore, & ſcandalo plena falſo opponunt pluribus aliis erroribus implicata, vt velut in tabella propoſita ſit tota ſuſcepti operis ad redarguendum materia. Quemadmodum (inquiunt) epiſcopus iure diuino reſidere teneatur, cum nullus à Deo immediate fiat epiſcopus, ſed a põtifice? Ipſius enim eſt diuidere diœceſes, & particularia ouilia, & imponere curam. A quo autem epiſcopalis poteſtas traditur, inde naſcitur reſidendi lex, vt in pontifice, cui ſoli immediate a Deo epiſcopalis poteſtas applicatur, & in quo nuda eſt electio per homines, non collatio poteſtatis papalis. Epiſcopi vero vt ab homine eliguntur, ita ab eo poteſtatem, & iuriſdictionem accipiunt. Soli enim Petro dictum eſt, Paſce oues meas. Et illud, tibi dabo claues regni cœlorum. Cæteris vero epiſcopis applicatur, & ſemper applicata fuit immediate a pontifice, exceptis apoſtolis, quos CHRISTVS ſolus, Petrum præueniens epiſcopos fecit, cum dixit, ſicut miſit me pater & ego mitto vos. Accipite ſpiritum ſanctum. Et rurſus. Quomodo (aiunt) iure diuino ſancita eſt reſidentia, ſi neque in ſcripturis ſanctis expreſſa eſt, neque ex eis concluſa neceſſario? Deinde Timotheus Pauli diſcipulus, idemque epiſcopus Epheſi an non abfuit diu, Romã profectus non ſemel, & inde Hieruſalem Apoſtoli iuſſu? Illa enim parabola euangelica boni paſtoris nunquam diſcedentis ab ouibus, ſed præeuntis, & eas nominatim vocantis, ad IESVM magnum paſtorem, & epiſcopum animarum noſtrarum pertinet, noſtris vero tantum eſt admonitio, ſicuti ſancti Prophetæ, & Apoſtoli, paſtores

monent,vt curent gregem , & agnoſcant vultum pecoris ſui. Quod quidem Salomon dixit non præcipiens , ſed commemorans . Quale illud etiam eſt vel monitum, vel præceptum, non quidem Dei,ſed Petri,Paſcite,qui in vobis eſt , gregem . & quod vetat Paulus,mulieres in eccleſia prophetare,non velato capite. & illud,vnius vxoris virum eſſe epiſcopum. Quale illud item eſt,non quidem diuinum præceptum,ſed apoſtolicum ſtatutum,Nemo militans Deo , implicat ſe negotiis ſæcularibus . Et huiuſmodi alia. Præterea quod dicitur in ordinatione epiſcopi,Vade,& prędica populo tibi commiſſo,cum non ſit vox Dei , ſed eccleſiæ,an non ſatis demonſtrat,non teneri epiſcopum iure diuino reſidere,ſed eccleſiaſtico? Quæ quidem vox eccleſiæ,non ſic(inquiunt)anguſte accipienda eſt, vt teneatur epiſcopus huiuſmodi iure eccleſiæ per ſeipſum prædicare,ita vt non poſſit id per alios pręſtare, vt apoſtoli pręſtare non poterant,qui quidem ipſi prędicare tenebantur,quia ſcilicet apoſtolorum prędicatio pro infidelibus erat ad conuertendas gentes,& fundandam fidem,Epiſcopi vero prędicatio pro iam fidelibus,vt in fide maneant. Vnde dicitur, Vade ad prædicandum populo Dei,& non dixit gẽtibus. Iam ſanctus Valerius Hipponenſis epiſcopus Auguſtinum ſubſtituit ſuo loco, quo nomine commendatus eſt. Quod ipſum pleriq. alii ſancti laudabiliter fecerunt, & concilium generale ſub Innocentio pontifice decretum fecit,quo epiſcopis iuſſit,vt idoneis viris committerent viſitationes,prędicationes,confeſſiones , & alia, quęcunque pertinent ad ſalutem animarum. Ad hęc , nõne poteſt pontifex remouere hinc epiſcopum,& transferre alio , quod quotidie fieri videmus , aut etiam epiſcopatu priuare? At hoc non poſſet,ſi coniugium ſpirituale epiſcopi,& eccleſię huius , aut illius a Deo eſſet immediate factum,vt quidem eſt pontificis,& eccleſię

coniugium. Deinde quę iuris diuini ſunt, certa ſunt, & non mutabilia, Tale vero non eſt paſcere, quoties ſigillatim conſideratur, ſicuti neque ſanctificare diem Dominicum, neque ieiunare quadrageſimam, quę omnia, & ſimilia iuris (inquiunt) eccleſiaſtici ſunt. Neq. enim quia aliquid generatim diuini iuris eſt, continuo erit ſingulariter, & ſigillatim. Hæ ſunt iſtorum oppoſitiones, quas dicere licet, ſicut Apoſtolus ait, oppoſitiones falſi nominis ſcientię, a ſcientia ſanctarum ſcripturarum, & earum virtute alienę, vt paulo poſt intelligetur. Quibus ego nunc eodem ordine veritatem rurſus opponam, vt veritatis nobis reuelatę, creditę, ac traditę depoſitum fideliter cuſtodiamus, non attendentes fabulis, & opinionibus hominum. Ergo vt propoſitum aggrediamur, quia iſti libenter concedunt, a quo fiant epiſcopi, ab eo ius reſidendi proficiſci, quod libenter ab eis accipimus, doceamus a Deo fieri proprie, ac principaliter & immediate quod iidem negant. Aiunt enim pontificem immediate fieri a Deo, ſcilicet tanquam ab auctore, & Domino, epiſcopos vero immediate a pontifice, in illo quidem nudam eſſe electionem per homines ſine collatione poteſtatis papalis, hos vero vt eligi ab homine, ita ab eo poteſtatem, ac iuriſdictionem accipere. Quæ omnia abſurda ſunt, & ſecum diſcrepantia. Quid enim monſtri eſt, nuda illa pontificis electio per homines ſine collatione poteſtatis papalis? Etenim ſi eligitur canonice, ad aliquam poteſtatem ſpiritualem eligatur, neceſſe eſt, imo ipſa electio, quam pontifex per homines conſequitur, quid aliud eſt, niſi gratia, ſiue chariſma ſummæ poteſtatis ſpiritualis? Cum per Moiſen applicati ſunt Aaron, & filii eius, vt (ſicut ſcriptum eſt) ſacerdotio fungerentur Domino, an non per eundem poteſtatem ſacerdotalem acceperunt a Domino? Pręterea electio ſiue in pontifice, ſiue in epoſcopis cæteris, quid eſt, niſi ſeparatio quę-

dam,& applicatio ad gubernationem ſpiritualē?Huiuſmodi vero applicatio quid,niſi gratia, quam ſolus Dominus diuidit?Homo autem gratiæ diuidendæ miniſter eſt tantum, & diſpenſator, qui de poteſtate propria non promit,ſed quod alterius eſt, miniſtrat, neque quod miniſtratur,ac diſpenſatur fit ab eo,qui miniſter eſt tantum,& diſpenſator,ſed ab eo, qui auctor eſt, & cauſa prima atque immediata. Hinc Paulus Co-
„ rinthiis ſcribens, Quoſdam(inquit)poſuit in eccleſia,
„ primum apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio docto-
„ res,deinde virtutes,exinde gratias curationum,opitu
„ lationes,gubernationes,&cæt. Quid quæſo eſt,poſuiſſe quoſdam in eccleſia apoſtolos,niſi quoſdam ad apoſtolatum applicaſſe? Quid ſimiliter poſuiſſe in eccleſia gubernationes, niſi quoſdam item ad gubernationes applicaſſe,alios ad alias? Eſſe autem gubernationes ſpirituales inter chariſmata,idem Apoſtolus docuit, Subiunxit enim, æmulamini autem chariſmata meliora. Quid ergo eſt,quod iſti dicunt applicationem quidem pontificatus a Deo fieri immediate, appplicationē vero epiſcopatus immediate ab homine? Ferri quidē poterat ſimplicitas ſermonis, & huius verbi immediate adiaphoria, niſi de dogmate ageretur, ſicuti Leontius Cyprius ſcribens aduerſus Acephalos,quando inquit, ſimpliciter & libere vtimur ſermone, ac nominibus, nihil prohibet ἀδιαφορεῖν, id eſt,indifferēter eis vti,ſolere enim ſcripturam,& patres accōmodare nomina,quibus non conueniant eorum diffinitiones. vt Paulus partes hominis appellat homines interiorem, & exteriorem,quibus non conuenit diffinitio hominis,& patres vnamquāquam naturam appellabant hypoſtaſim, ita vt homo diceretur compoſitus ex duabus hypoſtaſibus quibus tamen non conueniret diffinitio hypoſtaſeos,at quando inquit,dogma tractatur,& de eo quęritur,tunc prætermiſſis homonymis, cogimur proprias,

ſignifica

ſignificationes ex ipſis diffinitionibus ſumere, vt rerũ ἀκρίβεια id eſt perfecta & limata ratio nominũ indifferentia non lædatur, ſic nunc quia docent iſti, & tan-
- quam dogma tradunt, epiſcopos a pontifice fieri im-
- mediate, a deo autem mediate, ac proinde ius totum
- reſidendi a pontifice naſci, quod omnino volunt concludere, idcirco non eſt hic vtenda homonyme, neque indifferenter hæc vox immediate, ſed vno modo, & proprie. proprie autem immediatum eſt, quod non habet cauſam priorẽ, vt philoſophi tradunt, quare hac ratione immediate fiunt a deo epiſcopi. fiunt quoque primum a deo, tum hac ratione, quia immediate fiunt ab eo, ſunt autem immediata prima, tum quia cum primum multipliciter dicatur, vt iidẽ quoque philoſophi tradunt, primum ſecundum potentiam dicitur, quod valentius eſt, vt cauſa, qua ſecundum voluntatem mouente, alterum mouetur, & qua rurſus non mouente, nõ mouetur, qua item ratione primum a Deo fiunt epiſcopi, fiunt igitur immediate & primum ab eo. Sed age oſtendamus adhuc planius a Deo fieri epiſcopos, & quomodo. Quod vt melius intelligatur, repetam quod magnus Athanaſius tradit ſcribens aduerſus hæreticos illos, qui aiebant, datum eſſe ſecundum gra-
" tiam ſpiritui ſancto ſanctificare, ex quo (inquit) ſequi-
" tur, vt officio ſacerdotis, atque miniſtri ſpiritus ſan-
" ctus fungatur. Neque enim poteſt Dominus pariter, ac
" miniſter eſſe. Quod ſi miniſter ſit, fruſtra iam baptiza-
" mur in nomine miniſtri. Etenim miniſter, ac ſacerdos
" non ſanctificat aquam, ſed miniſterium, quod deeſt, ſe
" cundum gratiam acceptam implet. Quod ſi idem face-
" ret ſpiritus, quod facit miniſter, ac ſacerdos, datumque
" eſſet ſpiritui ſancto ſanctificare, ſicuti datum eſt mini-
" ſtro, ad quid Pater ſanctificaret? Rex enim imperans
" aliquid miniſtro, ſcilicet valẽti, nõ iam ipſe illud facit,
" ſed relinquit miniſtro, cui iuſſit faciendum. Hactenus

ille,Ex quo loco intelligi poteſt,quod ait Apoſtolus,
„ Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis? Gratias ago
„ Deo,quod neminem veſtrum baptizaui,ne quis dicat,
id eſt,ne quis habeat occaſionem dicendi, quod in no-
mine meo baptizati eſtis,id eſt,virtute mea, tanquam
ego eſſem auctor, & Dominus gratię huius,ac non po
tius miniſter, ac diſpēſator huius myſterii, miniſtrans
ſcilicet aquam, & verba, ex quibus ſacramentum ba-
„ ptiſmi conſtat.Et rurſus in eadem epiſtola, cum enim
„ quis dicat,ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo,
„ nonne carnalēs eſtis? Quid igitur eſt Appollo? Quid
„ vero Paulus? Nonne miniſtri eius,cui credidiſtis? Ita
„ que neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid.
Nihil(inquam)eſt miniſter,præterquam miniſter mi-
niſtrans (ſicut ait Petrus) tanquam ex virtute, quam
Deus ſuppeditat. Quod perinde mihi eſſe videtur, ac
ſi diceret,qui miniſter eſt,ſemper meminiſſe debet,mi
niſtrum ſe eſſe, tantum miniſterio ſuo virtutem Dei
adminiſtrantem,ita vt quicquid perficiatur ſpirituali-
ter,per virtutem Dei perficiatur, cui ipſe miniſter ſo-
lum ſubſeruit,& miniſtrat.Ergo vt ſacerdos non dici-
tur poteſtate ſua propria baptizare, quia miniſter tan-
tum eſt,miniſterium acceptum ſecundum gratiam da-
tam implens,ſed Deus ipſe,qui non per gratiam, tan-
quam miniſter, ſed per ſubſtantiæ, ac naturæ ſuæ vim
& energiam,tanquam Dominus, & auctor baptizat,
& regenerat,ſic pontifex,quia etiam miniſter eſt, &
ſecundum gratiam acceptam miniſterium vniuerſalis
paſtoris implet,non dicitur poteſtate ſua propria, &
principali ſiue prima,& immediata,ſed accepta a Deo
facere epiſcopos,id eſt,neque eligere,neque conſecra-
re,neque benedicere,neque plus agit,quantum ad effi-
cientiam gratiæ, & doni ſpiritualis, cum epiſcopum
creat,quam cum baptizat, vtrobique enim ſolum ſub-
ſeruit virtuti diuinæ miniſterio ſuo, quo illam admini

ſtrat,atque diſpenſat,vt iam ſi ideo epiſcopum pontifex mutare, aut etiam priuare poteſt,quia ipſe illum fecerit epiſcopum,cum tantundem agat ipſe, aut ſacerdos,cum baptizat,aut conſecrat,ſequitur poſſe ſimiliter baptiſmum,aut conſecrationem tollere. Idcirco Paulus preſbyteros,ac paſtores Epheſios ad ſtudium, ac diligentiam officii commendandam,neceſſariũ eſſe duxit,admonere illos,a quo eſſet illis cura attendendi gregis impoſita,ne ſi ſuſpicarentur ab homine impoſitam,& iniunctam,(vt quidam nunc ſentiunt) remiſ-
» ſius agerent. Attendite (inquit) gregi,in quo vos po-
» ſuit ſpiritus ſanctus epiſcopos regere eccleſiam Dei. Quod ſi miniſter ponit poteſtate ſua,immediata & prima paſtores, concludam, vt Athanaſius in baptiſmo concludit,ergo non poſuit ſpiritus ſanctus. Fruſtra.n. ponat Dominus,quod iam miniſtro iuſſerit ponere. Rex enim imperans aliquid miniſtro,nõ iam ipſe illud facit,ſed miniſtro,cui iuſſit,relinquit faciendũ. Deus ergo tanquam auctor, & Dominus eligit,benedicit, & conſecrat epiſcopũ in opus miniſterii,id eſt,a Deo, tanquam ab auctore, & Domino accipit epiſcopus poteſtatẽ,ſiue miniſterium,ſiue gratiam, ſiue chariſma, primum quidem gubernationis, quæ dicitur poteſtas iuriſdictionis, Deinde vero ſimiliter accipit ab eodem poteſtatem,ſiue miniſterium,ſiue gratiam,ſiue chariſma ordinãdi preſbyteros,& confirmãdi, quæ dicitur poteſtas ſacramẽtalis,vt vel ex ipſis formulis in pontificali digeſtis perſpici poteſt. Sed videamus quomodo hęc fiant,id eſt,quomodo Deus eligat, & quomodo conſecret epiſcopos,& cur ſic,id eſt,per miniſteriũ hominum. Lateret.n.hoc tum eum,qui eligitur,& conſecratur,tum eccleſiã,quæ electum,& cõſecratum recipit,niſi aliquod miniſterium hominũ corporale, id eſt ſub ſenſum cadens interueniret, ſicuti Hier.in Cõm. Eſaiæ,Ordinatio (inquit) non tantum precibus, ſed

„ manus impoſitione perficitur, ne ſicut in quibuſdam
„ riſimus, vocis tacita imprecatio clericos ordinet ne-
„ ſcientes. Ergo poteſtatem gubernationis, quæ ineſt in deſponſatione canonica epiſcopi, & eccleſiæ, fecit ipſe conſenſus eligentis, & electi, quem bulæ (vt vocant) expeditæ teſtantur. Sed quomodo hoc fieri poteſt, vt conſenſus hominis chariſma gubernationis, ſiue iuriſdictionis ſpiritualis, quod diuinũ eſt, efficiat? Dicam, quod euangelium de conceptu virginali, & Leo magnus de aqua regenerãte, ſuperuenit ſpiritus ſanctus, & virtus altiſſimi obumbrat, id eſt, non ex natura ſua hoc facit conſenſus, ſed virtute Dei ſuperueniente, ſicuti conſenſus viri, & mulieris, non ex natura ſua, ſed per virtutem Dei efficit matrimonium, id eſt coniunctionem legitimam, vt iam neuter cõiugum peccet in corpus ſuum, quamuis vnum corpus efficiatur cum altero propter communionem procreationis, quæ ex vtroque perficienda eſt, ſed potius ſit torus immaculatus, & honorabile coniugium. Non itaque cum epiſcopus eligitur in nomine, id eſt, in virtute miniſtri eligi-
„ tur, ſed Dei. Qui enim miniſtrat, tanquam ex virtu-
„ te, quam Deus dat, id eſt, virtuti Dei ſuperuenienti ſubſeruit tanquam miniſter. Similiter dicatur in conſecratione. Illa enim, quæ adhibetur in canonica, atque eccleſiaſtica conſecratione, tum res, tum verba, vt vnctio cum formula vngendi, baculi, annuli, libri euangeliorum cum certis verborum formulis traditio, mitræ item impoſitio, & chirothecarum inductio, Hæc (inquam) omnia, ſuperueniente ſpiritu ſancto, id eſt, non virtute propria, ſed virtute Dei myſteria fiunt conſecrationem perficientia, quorum myſteriorum miniſtri tantum ſunt ii, qui cõſecrant, quorum eſt princeps pontifex, a quo manat omnis auctoritas, non quidem principalis & immediata, ſed miniſterialis, canonicæ electionis, & conſecrationis. Ipſe enim tanquam caput

accepit a Deo ſecundum gratiam omne miniſterium, ac diſpenſationem omnis poteſtatis ſpiritualis, ita vt quicquid Dominus aliis tribuat, non niſi per pontificem tanquam ſummum miniſtrum ſuum tribuat, accipiantque de eius poteſtate cæteri partem, non quidem ab eo, tanquam primo auctore, & datore, ſed a Deo per eum, qui quidem (ſi ita loqui libet) dicatur mediate facere epiſcopos, tanquam miniſter, ac ſic quidem, vt pontifex facit epiſcopos, ſimiliter electores faciunt pontificem, tanquam miniſtri inquam, electionis, & gratiæ pontificalis, quæ a Deo immediate & primum tribuitur. Hoc vero intereſt, quod pontifex, qui epiſcopos facit, epiſcopus eſt ipſe & quidem ſuperior, imo ſummus, electores vero, qui pontificem eligunt, etſi pontificali actu vtantur, tamen non ſunt ſic pontifices nedum ſuperiores pontifice. Verum hoc non tollit, quin omnes miniſtri ſint. Deus autem auctor, ac dator poteſtatis epiſcopalis, & pontificalis, nihil enim refert, vtrum det aliis Deus per miniſtrum de eo, quod prius miniſtro dederit ad vtendum, & habendum, an det aliquid per miniſtrum, quod non omnino dederit ei. Neque refert, vtrum miniſter diſpenſet aliis de eo, quod accepit ſibi, vt quidem pontifex diſpenſat de poteſtate ſpirituali, an diſpenſet, quod non omnino accepit ſibi, vt electores pontificis. Sic Moiſes 70. viros elegit iuſſu Dei, vt ſuſtinerent ſecũ onus populi. ne autẽ exiſtimaretur daturus eis poteſtatẽ aliter quam vt miniſter, dei vero eſſe intelligeretur, diuidere miniſtrationes, vt Paulus loquitur, & ponere gubernationes, ſequitur, & auferam de ſpiritu tuo, id eſt da tua poteſtate, & tradam eis, vt ſuſtentent tecum onus populi. Nõ inquit, ſpiritum tuum auferam, ſed de tuo, vt ſignificaret, ſicut Theodoretus ait, tum dediſſe illi, quantum gratiæ ſatis eſſet ad gubernãdum, ſi quidem nõ niſi de ſpiritu eius illis. 70. daret, tum gratiã Moiſis

non eſſe exhauſtam, aut imminutam, quod eſſet cum illis.70.communicata. Præterea neque eſt dictum. Tradet Moiſes de ſpiritu ſuo, ſed Dominus inquit, Auferã ipſe de ſpiritu tuo, vt doceret (ſicut ante dixi) neminem præter Deum ſpiritum ſanctũ, eiuſq. chariſmata dare. Similiter dicatur in epiſcopis, ac preſbyteris, reliquiſque poteſtatibus, ſpiritualibus ſcilicet de chariſmate pontificatus, id eſt, de poteſtate vniuerſali pontificis datum eſſe illis, quod quidem non exhaurit, neque minuit eam, licet de ea cæteri accipiant, non quidem immediate & principaliter a pontifice, ſed a Deo per pontificem. Cum vero fit pontifex, non ſic aufert Dominus de ſpiritu eligentium, id eſt, de chariſmate eorũ, Siquidẽ chariſma, ſeu poteſtatem ſummi pontificatus minime habeant illi, ſed tantum gratiam eligendi, & applicandi miniſterio ſuo, quod a Deo ſimiliter per pontificem acceperunt, miniſterium inquam applicandi ad eam poteſtatem, & gubernationem, qua ipſi carent. Recte ergo, qui dixerũt Papam immediate fieri a Deo, cum fiat per miniſterium eligentium, quod ipſi eligentes rurſus a Deo acceperunt per miniſteriũ pontificis, qui eos ad hoc elegit. Miniſter vero (vt dixi) ſiue miniſtret, ac diſpenſet de eo, quod ipſe ſibi accepit a Deo, ſiue etiam miniſtret aliquid, quod non ſic accepit, nõ eſt aliud, quam miniſter ex virtute, quam Deus dat, Miniſtrans, neque plus agit miniſtrando cum habet quod miniſtrat, quam cum non habet, ſicut qui miniſtrat gratiam, alienus ipſe a gratia. Idem vero Dominus eſt dator chariſmatis, & effector muneris, quicunque ſit miniſter legitimus. Male itaque, qui dixit, iuriſdictionem põtificalem in hoc, aut illo, immediate eſſe ab homine. Melius vero, qui dixit, poteſtatem ſpiritualem iuriſdictionalem (ita enim vocant) ex iniunctione hominis eſſe, ſi tamen ſic accipiamus, ex iniunctione hominis, non quidem immediata, & prima, ſed miniſte

riali. quare qui aiunt Papã immediate fieri a Deo, vel neceſſe eſt, tollant miniſterium medium, quod intercedit, quodque nudam electionem appellant, ſi ita vt volunt, verbum immediate accipiant, vel ſi ſic, ideſt proprie, & vt debent, accipiant immediate fieri a Deo, ſcilicet tãquam ab auctore, & Domino, ita vt inter Deũ, & eum qui fit pontifex, nemo alius intercedat poteſtatis pontificalis auctor, & dator, profecto cum addunt ſtatim, velut comparantes, epiſcopos vero non fieri immediate a Deo, ſed a põtifice, eumque eſſe collatorem poteſtatis epiſcopalis, non iam miniſtrum faciunt pontificem, ſed proprie datorem epiſcopatus, id eſt, huius gubernationis ſpiritualis, quæ chariſma eſt, & quam Deus ponit in eccleſia, non intelligentes, cum dicitur
» epiſcopo, Accipe euangelium, & vade, prædica populo
» tibi commiſſo, hoc quod auditur, dici quidem a miniſtro, & diſpẽſatore myſteriorũ, idem vero immediate, & primum interius, ac ſpiritualirer a Domino dici, qui tum aliis myſteriis conſecrationis, tum huic, quod conſtat ex libri euangeliorum datione, & hac verborum formula, virtutem diuinam dat, quæ quidem in hoc myſterio poteſtatem ſpiritualem eundi, & prædicandi operatur, & quidem adiuncta vi præcepti diuini. Cum enim miniſter pronuntiat. Vade, Dominus eſt, qui tanquam auctor, & Dominus ire præcipit. Quo autem ire præcipit, ſcilicet ad diœceſem commiſſam, ibi haud dubio manere præcipit. Ex quo iam perſpicitur præceptum de reſidentia non eccleſiaſticum, vt iſti dicunt, ſed diuinum eſſe, vt poſtea magis perſpicietur, preceptumque Dei intus loquentis violare, quicunque non eunt, cum ire poſſunt. Sed pergamus magis adhuc oſtendere, a Deo fieri epiſcopos. Poteſtas ſpiritualis, qualis eſt omnis poteſtas eccleſiaſtica, vt antiſtitis, aut præpoſiti ordinis, a Deo, & legibus diuinis originem habet, vt tradit Magnus Baſilius in Conſtitutionibus

monaſticis, ſcilicet a lege illa, qua iuſſit Dominus Petro paſcere oues, per quem ad reliquos omnis poteſtas & auctoritas paſcendi manet a Deo, tanquam a principe, & Domino paſtorum; & ab illa, vt ego interpretor, qua eidem iuſſit, vt conuerſus firmaret fratres, per quem omnis poteſtas, & auctoritas ſpiritualis firmandi, & regendi deriuatur. Denique ab illa lege, qua conſtitutum eſt a CHRISTO, vt Petrus eſſet fundamentum eccleſiæ catholicæ, & qua conſtitutum, vt haberet claues regni cœlorum, per quem proficiſcitur a Deo omnis ſpiritualis poteſtas, & auctoritas ædificationis eccleſiaſticæ, omniſque auctoritas, & poteſtas claudēdi, & aperiendi in eccleſia regnum cœlorum. Per Petrum enim dedit, quicquid poteſtatis aliis in eccleſia non negauit. Ergo cum poteſtas omnis eccleſiaſticæ iuriſdictionis ſpiritualis ſit, ea autem a Deo, & legibus diuinis originem habeat, Sequitur iuriſdictonem huius epiſcopi, aut illius, cum ſpiritualis poteſtas ſit, non ab homine, ſed a Deo eſſe. Neque enim voluntas hominis, neque miniſterium eius, ſed, vt Leo magnus
„ ait in ſermone de aſſumptione ſua, dignatio cœleſtis
„ gratiæ gignit antiſtitem. Et Ambroſius in paſtorali
„ ſuo ſcribens aduerſus eos, qui pretio ordinant. Quis
„ (inquit) dat, frater, gratiam epiſcopalem, Deus, an
„ homo? Reſpondes, ſine dubio, Deus. Sed tamen per ho-
„ minē dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur
„ gratiam. Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, &
„ Deus benedicit potenti dextera. Epiſcopus initiat or-
„ dinem, & Deus tribuit dignitatem. O iuſtitia, o æqui-
„ tas, ſi homini pecunia datur, qui nihil in ordine am-
„ plius operatur, niſi ſolum ſeruitium, quod ei creditur.
„ Cur Deo totum negatur, qui ipſum ordinem tibi lar-
„ gitur? Quid clarius? Ergo quod eſt in electione, & conſecratione epiſcopi σωματικὸν & ὑπουργικὸν id eſt, corporale, ac miniſteriale, Hoc dicit Ambro. & nos cum

eo,

eo, immediate eſſe ab homine, quod vero ſpirituale, quale eſt epiſcopatus, qui eſt chariſma in opus miniſterii, ſiue gratia miniſtrationis, vt Apoſtolus loquitur, hoc non immediate ab homine, ſed a Deo per hominis miniſteriũ, ita vt electio epiſcoporũ, diuiſio ouilium, circumſcriptio cuiuſque diœceſeos, iniunctio curæ paſtoralis, vox illa, Vade, & prædica populo tibi commiſſo, hæc, inquam σωματικῶς καὶ ὑπουργικῶς, id eſt, corporaliter, & miniſterialiter, &, vt cerni poſſunt, ab homine ſunt immediate, Spiritualiter vero, καὶ ὡς κυρίως ἐνεργούμενα, id eſt, vt proprie, ac principaliter fiunt, non immediate quidem & primum ab homine, ſed a Deo per hominem. Deus enim eſt, qui diuidit chariſmata ſpiritus, qui committit curam animarum, denique qui poteſtatem paſtoralem tribuit, quam legibus diuinis, & euangelicis ſanxit. Sed videamus, quẽadmodum ſanxerit, & quomodo a legibus diuinis poteſtas ſpiritualis gubernationis originem habeat. Scribit Baſilius in eodem capite, cum dixit CHRITVS Pe-
» tro, Paſce oues meas, Petrum conſtituiſſe paſtorem ec-
» cleſiæ, & conſequenter dediſſe omnibus paſtoribus, &
» magiſtris poteſtatem ſpiritualem, Quod perinde mihi eſſe videtur, ac ſi diceret, dixiſſe quidem CHRISTVM ſoli Petro, paſce oues meas, eumque ſolum paſtorem eccleſiæ catholicæ his verbis per virtutem diuinã conſtituiſſe. Cæterum tranſiſſe vim huiuſmodi poteſtatis paſcendi in cęteros omnes paſtores, rectores, atque miniſtros eccleſiarum, ſimiliter atque dixit ſanctus Leo ſermone 3. de die anniuerſario aſſumptionis ſuæ, cum
» dixit Petro, tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ-
» cunque ligaueris ſuper terram, &c. Tranſiuit (inquit)
» in alios apoſtolos vis poteſtatis huius, & ad omnes ec-
» cleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit.
» Sed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus in-
» timatur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur,

„ qui cunctis eccleſiæ rectoribus Petri forma proponi-
„ tur. Hæc ille. Et Ambro. in paſtorali, Idcirco (inquit)
„ nos, quibus in verbis diuinis credita eſt diſpēſatio, &
„ qui gregem CHRISTI alendum ſuſcepimus, & quę ſe
„ quuntur. Et paulo poſt. Væ iam mihi eſt, ſi claues illas
„ regni cœlorum, quas in beato Petro Apoſtolo cuncti
„ ſuſcepimus ſacerdotes, minime reſeruauero. Idem pau
„ lo infra, Repetitum eſt a DOMINO tertio, Paſce oues
„ meas. Quas oues, & quem gregem non ſolum tūc bea-
„ tus ſuſcepit Petrus, ſed nobiſcum eas ſuſcepit, & cum
„ illo nos ſuſcepimus omnes. Vnde regēdæ ſacerdotibus
„ contraduntur, & merito rectoribus ſuis ſubdi dicun-
„ tur. Idem ſenſit Auguſt. in lib. de Paſtoribus, ſcilicet
cum DOMINUS dixit Petro, paſce oues meas, per Petrū, & in Petro cunctis paſtoribus dixiſſe. loquens enim
„ de parabola boni paſtoris, Non ideo (inquit) modo ta
„ centur paſtores, & dicitur paſtor, quia non inuenit DO
„ minus, cui commendaret oues ſuas, tunc autem ideo
„ commendauit, quia Petrum inuenit, imo vero & in
„ ipſo Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apo
„ ſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas. Omnes paſtores
„ in vno ſunt, & vnum ſunt. Trāſiſſe ergo diuinam vim „
horum verborum, Paſce oues meas, ad cæteros alios ſpirituales rectores, teſtantur etiam eccleſiaſticæ formulæ, & ritus conſtituendi rectores ſpirituales, vt epiſcopos, Abbates, alioſque huiuſmodi. Epiſcopo enim dicitur, Accipe euangelium, & vade, prædica populo tibi commiſſo. Quod perinde eſt, atque diceretur illi, Vade, paſce oues tibi creditas. Abbati dicitur, Accipe plenam, & liberam poteſtatem regendi hoc monaſterium. Nihil autem aliud eſt paſcere, quam regere. Clarius autem dicitur Abbatiſſæ, Accipe regulam, ad cuſtodiendum, & regendum gregem tibi commiſſum. Perinde atque diceretur illi, Paſce oues tibi commiſſas ſecundum hanc regulam. Non enim mulieri

ſimpliciter, & omnino committi poteſt cura animarum tanquam paſtori, vt cum alii, tum Chryſoſto. tradit libro de Sacerdotio. 2. Idcirco non dicitur illi, vt Abbati, accipe poteſtatem paſcendi, ſiue regendi, ſed accipe regulam, &c. Per hanc itaque legem diuinam, & euangelicam de paſcendis ouibus conſtituit CHRISTVS eccleſiæ catholicæ paſtorem vniuerſalem Petrum, & per eandem legem dedit de poteſtate iſta vniuerſali, & ſpirituali Petri poteſtatem ſingularem, eandemque ſpiritualem iis omnibus, quicunque fiunt paſtores, ſiue rectores in interioribus, id eſt, animarum, mediatoreſque Dei, & hominum. Non autem per hãc legem, neque per aliam huiuſmodi in euangelio ſcriptam, aut a CHRISTO, vel apoſtolis prædicatã, ſed per legem humanam dat poteſtatem ſæcularẽ iis, qui fiunt paſtores, ſiue rectores in exterioribus, cleri ſcilicet ac plebis mediatores, id eſt, vt ſint eccleſiæ contra populũ defenſores, quales ſunt poteſtates ſęculares, ſicut eſt in coronatione regis, de cuius poteſtate generali, ac regali cætera omnis poteſtas ſæcularis ipſius regni deriuatur, ſicuti de pontificali omnis ſpiritualis poteſtas regni eccleſiaſtici. Ita enim precatur Metropolitanus,
„ cum regem coronat, ſicuti nos in interioribus paſto-
„ res, rectoreſque animarum intelligimur, ita & tu con-
„ tra omnes aduerſitates eccleſiæ CHRISTI defenſor
„ exiſtas. Et illud in eadem coronatione, Quatenus me-
„ diator Dei, & hominum te mediatorem cleri, & plebis
„ in hoc regni ſolio confirmet, &cæt. ſic ergo intelligendum puto, Baſilio interprete, quod ſupra dixi ſcriptum eſſe ab eodem, poteſtatem ſpiritualem a Deo legibus diuinis conſtitui, ſæcularem vero legibus humanis, id eſt, a Deo per leges humanas, ſiue mediantibus legibus humanis. Quod vero idem ait, id, quod nonnullis dubitationem aliquam efferre poſſet, conſtituere CHRISTVM poſt ſe Petrum eccleſiæ paſtorem, cum dicit.

Petre, amas me. Paſce oues meas, omnibuſque deinceps paſtoribus, & magiſtris æqualem tribuere poteſtatem, cuius rei (inquit) ſignum eſt, quod omnes ſimiliter, atque ille, ligent, & ſoluant, Loquebatur autem de obedientia a monachis præſtanda rectoribus ſuis, ſiue prępoſitis. Hoc (inquam) ſic exiſtimo accipiendum eſſe, vt intelligamus, hac vna lege de ouibus paſcendis, qua ſolus Petrus conſtitutus eſt ſummus paſtor eccleſiæ catholicæ, ad omnes paſtores, ſiue rectores eccleſiarum æqualiter pertinente, æqualem paſcendi poteſtatem omnibus illis tribui, ſeruata tamen graduum diſtinctione, ita vt non ſit magis paſtor, qui maior eſt, & excellentior, quam qui minor, & vilior, cum vna, eademque ſit paſtoris, ac rectoris ſpiritualis ratio, quicunque ille ſit, quatenus paſtor, rectorque eſt, ſcilicet perſonam CHRISTI gerere, eſſe mediatorem inter Deum, & homines, & operari Deo ſalutem ſubditorum. Nihil enim aliud eſt, vt idem Baſilius paulo ſupra dixerat, paſtorem, ſiue rectorem eſſe, quam hæc tria facere, ad quæ facienda omnes æqualiter poſiti, conſtitutique ſunt ab ſpiritu ſancto, quæ vno verbo Apoſtolus de ſpiritualibus præpoſitis loquens, complexus eſſe videtur. Ipſi (inquit) peruigilant pro animabus veſtris, ſcilicet operantes ſalutem veſtram, & exercentes officium mediatorum inter Deum, & homines, denique perſonam CHRISTI veri mediatoris Dei, & hominum gerentes, qui de cœlo deſcendit, vt hæc vere in nobis perficeret, & operaretur. Verum hæc æqualitas, & hæc vna eademque ratio omnium paſtorum ſpiritualium, quatenus paſtores ſunt, non tollit gradus paſtorum, atque rectorum, quin alius ſit preſbyter, alius epiſcopus (Nam eũdem dicere vtrumque, hęreſis Aerii eſt) item alius ſit omnium ouium princeps paſtor, & rector vniuerſalis, alius pauciorum, alius in hoc loco paſcat, alius in illo, alius in cuncto orbe, vt ponti

ſex.Hæc enim accidunt paſtori.Sicuti eadem eſt ratio, & æqualitas omnium hominum, quatenus homines ſunt,eſto non idem ordo,& gradus hominum ſit.Hæc itaque eſt veriſſima Baſilii ſentētia, ſcilicet his verbis. Petre, amas me, Paſce oues meas, conſtitutum eſſe Petrum,omnium ouium,id eſt, catholicæ eccleſiæ paſtorem,eiſdemque verbis tribui cæteris omnibus poſt Petrum paſtoribus, ac rectoribus ſpiritualibus æqualem poteſtatem paſcendi, ita vt eadem ratio ſit paſtorum omnium quatenus paſtores ſunt, nempe vnius, eiuſdemque CHRISTI perſonam gerere, operari vni, eidemque ſalutem ſubditorum, eſſeque omnes mediatores inter Deum, & homines. Non me pœnitet,quæ optima ſunt,& commodiſſima ſæpe repetere. Huius vero æqualitatis ſignum eſſe ait Baſilius, quod omnes ſimiliter ligent,atque ſoluant.Vna enim, eadēque eſt omnibus ligandi,atque ſoluendi formula, quæ poteſtas canonice conuenit præpoſitis, atque rectoribus animarum.Libenter hunc locum Baſilii tam multis verbis tractaui,quod ſciam non paucos, præſertim Græcos ita hunc locum,& ſimiles interpretari, vt audeant,non intelligentes de quibus loquantur, neque de quibus affirment,audeant(inquam)cum pontificatu cæterum omnem epiſcopatum æquare,qui,ſi ita interpretantur in pontifice, & reliquis epiſcopis, quod dixit Baſilius,dari illis verbis, Paſce oues meas,æqualem poteſtatem reliquis poſt Petrum paſtoribus, dicāt ſimiliter epiſcopos, & preſbyteros paſtores, æquales eſſe,atque,pares.Quod,quis eſt,qui dicat, niſi Aerianus aliquis? teneamus ergo quod ſatis me arbitror hactenus demonſtraſſe,ſcilicet a Deo fieri ſingulos epiſcopos,a quo fuerit inſtitutus epiſcopatus, vna Dei voce,vnaq.lege de paſcēdis ouibus ad omnes rectores, & magiſtros eccleſiarum per Petrum tranſeunte,quē ipſe Dominus abſque vllo hominum miniſterio, ne-

que ab hominibus, neque per hominem epiſcopum primum, cæterorum epiſcoporum, ac paſtorum omnium principẽ,& gubernatorem fecit, voce illa, atque lege de paſcendis ouibus ei ſingulariter ſiue ſpecialiter dicta, per quem cæteros paſtores, & rectores animarum facit, tanquam per virtutis diuinę adminiſtrum, & inſtrumentum. Per ſe enim pontifex, id eſt, ſuo nomine, & virtute nullam gratiam, neque chariſma miniſtrare poteſt, ſed ex virtute, quam Deus dat, ſicut B. Petrus ait. Quare ſi reſidere tenentur epiſcopi, vt quidem tenentur, quod nemo ne iſtorum quidem negat, ſequitur eius præcepto teneri, id eſt, Dei, qui epiſcopos faciat, eaque voce, & lege diuina, qua facti ſunt paſtores. Dei enim vox eſt, & præceptum, quod tanquam CHRISTI miniſter ipſe conſecrator epiſcopi pronunciat, cum ait. Vade, & prædica populo tibi commiſſo. Quæ quidem verba, vim illorũ CHRISTI verborum, Paſce oues meas, explicant. Vade (inquam) ſcilicet ad diœceſem tuam regendam. Quam Dei vocem, Deique per miniſtrum loquentis pręceptum violant quidem, quicunque non eunt, cum ire poſſunt. De poteſtate vero mundi, ſiue ſæculari, quia non eſt ſcripta lex in euangelio, per quam illa tradatur, neque rurſus fuerit pręceptũ ſpeciale de eiuſmodi poteſtate, quod ſtatim violet, qui ibi nõ reſideat, vbi illam ipſam poteſtatem gerat, violarit tamen, obedientiæ fidei, iuſtitiæ, ac charitaits leges, quibus ſe obligauit, cum ſuſcepta cura regiminis exterioris factus eſt particeps miniſterii paſtoralis ad vindictam male factorum, laudem vero bonorum. præclare itaque Ildelbertus epiſcopus Cenomanenſis vir ſingulari doctrina, & ſanctitate ſcribens ad comitem quendam parantẽ proficiſci ad templũ ſancti Iacobi Compoſtellani, cũ vellet eum
„ a propoſito & ſententia deducere, fortaſſe, inquit, di-
„ ces votum voui domino, tranſgreſſionis arguar, ſi irri

» tum facio votum, agnoſce o princeps, quia tu quidem
» te alligaſti voto, ſed Deus officio, tu viç, ſed Deus obe
» dientiæ, appende ergo ſi tantus ſit fructus itineris, vt
» ſupplere poſſit intermiſſæ diſpendium obedientiæ, &
» paulo poſt, ſi autem bonum adminiſtrationis longe ma
» ius eſt, & elegantius, quod inficiari nemo audebit, ſe-
» de in palatio, diſpone de ſuffragiis afflictorum, & vt
» omnes tibi viuant, omnibus viue, viue Reip. noctes
» illi pręſta & dies, &c. Hæc vero quanto magis in paſto
res ſpirituales cõueniant, nemo tam tardus eſt, nemo
tam corrupto iudicio, qui non videat clariſſime, & libenter
confiteatur. quibus cum in interioribus vigilãdum
ſit pro animabus eorum, quibus præſunt, minus
multo licebit abeſſe, quam illis, ne abſentibus & ſtrepitus,
ac moleſtias præſentes fugientibus facile ſomnus
obrepat, multa velut dormientes ignorent, multaque
eis tanquam ſomniantibus appareant. Quando ergo
locum haberet illud, Vade, & prædica? quæ, vt dixi,
vim illorum CHRISTI verborum continent, Paſce
oues meas, ſi abſolui poteſt, qui præeſt, ne vnquam vadat?
Aut quomodo hoc Dominus præcipit, ſi ne vnquam
impleatur, pontifex concedere poteſt? Verum
afferamus alium ſcripturæ ſanctæ locum, non quidem
ex quo ratione, & ſyllogiſmo concludi poſſit, reſidentiam
eſſe iure diuino ſancitã, cuiuſmodi loca ſatis mul
ta ab aliis recitata ſunt, & in eorum libris copioſe &
diligenter tractata, ſed in quo expreſſa ſit huiuſmodi
reſidentia, quod quidem importune a quibuſdam requiri
ſcio. Ergo Salomon loquens de cura, & ſtudio
ouium rationalium, Cognoſce (inquit) animas gregis
tui γνωςῶσ id eſt euidenter, &, vt ſcriptura loqui ſolet,
facie ad faciem, ſiue coram, & in præſentia. Hoc enim
ſignificare γνωςῶσ vt eſt apud 70. vel ex eo loco Exodi
didicimus, in quo Moiſes deſiderans videre Deum, nõ
per ſpeculum in ænigmate, ſed ſicuti eſt, vt Ioãnes ait,

„ ſiue facie ad faciem , vt Paulus, Oſtende te (inquit)
„ mihi γνωϛῶσ vt videam te. Id enim deſideraſſe & petiſ
ſe, vel ex eo conſtat, quod Dominus negauit hoc fieri
„ poſſe, quamdiu mortalis eſſet. Nõ videbit me (inquit)
„ homo, & viuet. Sic enim videre Deum vt fieri hic poſ
ſe, negauit, beatorũ eſt. Eſto poſtea gloriam, ſiue ſplen
dorem, & lumen ſuum eidem Moiſi viuenti, abſque
ænigmate, & figuris oſtenderit, ſicuti teſtatur idem
„ Moiſes in libro Numerorum, Palam (inquit) & non
„ per ænigmata, & figuras gloriam Dei vidit. Vidit autẽ
Exodi.33. cum faciem ſuam videre non cõceſſit Deus,
quod quidem erat videre Deum γνωϛῶσ gloriam vero,
& ſplendorem conceſſit, qualis fuit gloria, ſiue ſplen-
dor, qui in ſcriptura dici ſolet δόξα, quam viderunt di-
ſcipuli in monte Thabor, de quo nos alias egimus. Re
deamus ad locum Salomonis, in quo quidem Domi-
nus prouidens fore futuris temporibus, qui negarent
iure diuino ſancitam eſſe reſidentiam paſtorum ſpiri-
tualium, iuſſamque eſſe a Deo in ſcriptura ſancta, id-
circo cum alias in nouo teſtamento, tum clariſſime, &
vt ita dicam expreſſe per os Salomonis hoc ſanxit, neq.
cognoſcere poteſt paſtor gregem ſuum γνωϛῶσ, niſi
ſuis oculis cernat, ſuis autem oculis cernere nõ poteſt,
niſi pręſens ſit, vnde epiſcopi, vt beatus Cyrillus in Cõ
mentariis Zachariæ ſcripſit, ſic dicti ſunt, quia in cor-
pore Chriſti quod eſt eccleſia, locum teneant oculorũ,
& per eos Dominus inſpiciat credentes. Cum autem
pręceptum Salomonis audimus, proprie Dei præceptũ
audimus, etſi fortaſſe negabunt iſti, qui etiam dicere,
imo ſcribere auſi ſunt, legem Moiſis nõ eſſe proprie le
gem Dei, cum tamen, ſi alterutrum dicendum eſſet, po
tius dicendum eſſe videretur, non eſſe proprie legem
Moiſis, ſed Dei potius per Moiſen. Deus enim Moiſi le
gem per angelos inſpirauit, quam idem Moiſes populo
dedit non in ſuo, ſed in Dei nomine. Quemadmodum

ergo

ergo non eſt dicenda lex Dei proprie cum ab eo primũ profecta ſit? Sicuti quod Adam dixit, Propter hoc relinquet homo & quæ ſequuntur, Dominus ſe dixiſſe in euangelio teſtatur, quia ſcilicet ipſe illud primum, & immediate dixit. Verum hæc ſententia non non longe abeſt ab erroribus Ptolemęi hęretici, vt intelligi poteſt ex epiſtola eius ad Floram ſororẽ, quam Epiphanius Cyprius in Panario ſuo doctiſſime confutauit. Is enim connexionem ponebat in lege ex iis, quę Dei eſſent, & ex iis, quæ Moiſis. Quod vero dicunt iſti ideo legem Moiſis nõ eſſe proprie legem Dei, quia nõ veniat immediate a Deo, Decalogum vero veniſſe a voce Dei. Videamus quale hoc ſit. Teſtatur beatus Stephanus datam eſſe legem in diſpoſitione Angelorum, id eſt, per angelos adminiſtros, ſicuti ſcriptũ eſt, Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus ad miniſte rium miſſi? &cę. Cum autem legem dicit, Decalogum quoque intelligit, quem in primis, & grauius Iudęi violabant, quod idem Stephanus exprobrans illis, Ac-
» cepiſtis (inquit) legem in diſpoſitione Angelorum, &
» non cuſtodiſtis. Item Apoſtolus, Si (inquit) qui per an gelos dictus eſt Sermo, factus eſt firmus, & omnis præ uaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem, &c. Sermonem per angelos dictum appel lauit Apoſtolus quicquid olim Dominus locutus eſt populo ſuo miniſtrantibus angelis, quod comparat cũ euangelio ſalutis, quod idem Dominus locutus eſt no bis miniſtrante filio. Et in epiſtola ad Galatas de lege Moiſis, Lex (inquit) ordinata per angelos in manu me diatoris, donec veniret ſemen, cui promiſerat, &cæt. Perinde atque diceret, lex, quam Moiſes accepit a Deo per angelum miniſtrum dictantem, & informantem illam. Eſt enim illud in manu mediatoris, ſimile, atque illud Aggæi, factum eſt verbum Domini in manu Aggæi prophetę. Perinde atque diceret, prophetiam Do-

mini excepit Aggæus. Hoc ſignificat frequens illud in prophetis verbum ſumptionis, vt in Malachia, ſumptio verbi Domini. Illud vero ordinata per angelos ſimilitudinem habet cum eo, quod eſt in Zacharia, angelus, qui loquebatur in me. Siue ergo Decalogus ille populo Iſraelitico dictatus, ſiue lex Moiſis, a Deo veniunt per miniſterium (vt teſtatur ſcriptura) angelorum, qui locuti ſunt Decalogum in populo, & legem in Moiſe. Quorum ſermonem, & locutionem, quia iuſſu Dei factam, vocem Dei appellat ſcriptura, non quidem proprie. Cum enim vox ſit propter auditum, & auditus propter vocem, vbi non eſt aer, neque lingua, neque auditus, neque porus, qui ad ſenſum, qui in capite eſt, ſonum deferat, ibi non eſt proprie vox, ſed conſuetudo ſcripturæ ſanctæ vocē Dei vocare ſolet informationē diuinę voluntatis intus cientis, ac velut ſonātis, miniſterio angelorū a Deo fieri ſolitam. Atque ita vtrumque (vt dixi) nō ſolū Decalogus, ſed lex Moiſis venit a voce Dei, id eſt, a volūtate Dei manifeſtata per angelum, qui loquebatur ei in Sina. Quod enim Moiſi illam Deus inſpirauit, & per angelū ei loquentē informauit, declarauit ſanctus protomartyr Stephanus. Hic eſt (inquit) Moiſes, qui fuit cum angelo, qui ei loquebatur in mōte Sina, & cū omnibus patribus noſtris, qui accepit verba vitę dare nobis. Qui locus ſatis illū Pauli locū declarat, Lex ordinata per angelos in manu mediatoris, id eſt, lex, quā accepit Moiſes angelo ei loquēte. Quod. n. hic eſt in manu mediatoris, illic eſt, accepit, quod hic lex, illic verba vitæ (ſicut ſcriptū eſt. Qui fecerit ea, viuet in eis) quod hic ordinata per angelos, illic angelus, qui ei loquebatur in mōte Sina. Sicut etiā Decalogū angelus loquebatur populo. Quod. n. ſcriptum eſt in Exodo de ſolo Decalogo, locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos, & rurſus, poſt auditum cum incredibili horrore Decalogum, populus (inquit) lo-

quere tu nobis,& non loquatur nobis Dominus, &c. De angelo accipiendum eſt,ſicut ſolet ſcriptura, cum Deus per angelum,aut angelos loquitur, vel apparet, frequentiſſime appellare Deum,aut Dominũ,vt quando Iacob cum viro luctabatur,id eſt, cum angelo ſpecie virili,ſtatim appellat ſcriptura Deum,quoniam (inquit) contra Deum fuiſti fortis &c. Qui poſtea,cum Iacob nomen quæreret, quid inquit, quæris nomen meum,quod eſt mirabile? idem reſpondit angelus ille, qui apparuit Manoi & vxori,& neſciebat(inquit)Manoes, quod eſſet angelus Domini, dixitque ad eum, quod eſt tibi nomen? cui reſpondit,cur quæris nomen meum,quod eſt mirabile? & paulo poſt, ſtatimque intellexit Manoes,quod eſſet angelus Domini, & dixit ad vxorem ſuam,morte moriemur,quia vidimus Deũ, ſcilicet meminerat, etſi non ſatis intellexerat, quod dixerat Dominus Moiſi,nõ poteris videre faciẽ meam, non videbit me homo,& viuet. Item tres viros illos, qui Abraæ apparuerũt,ſcriptura appellat Dominum, quia ſcilicet iuſſu Domini aderant. Quos licet Hilarius in.7.de Trini.lib.perſonas diuinas fuiſſe dicat,tamen angelos fuiſſe ex Paulo didicimus,cum ait in epi. ad Hebræ.& hoſpitalitatem nolite obliuiſci,per hanc enim latuerunt quidam angelis hoſpitio receptis,intelligit autem de angelis Abraæ & Loth fratris. Populus itaque in Exodo Dominum appellat angelum, qui ei loquebatur Decalogum (ſicut etiam angelus Moiſi loquebatur legem) cum ait,loquere tu nobis,& non loquatur Dominus, ſic etiam appellat Moiſes loquens de Decalogo, cum ait, locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos,vnde Paulus,ſi,inquit, qui per angelos dictus eſt ſermo,& quæ ſequuntur. Valeant ergo nouitates verborum,vt eſt hæc,& quidem non parua, dicere,nõ eſſe proprie legem Dei,quæ ſit lex Moiſis, quia ſcilicet non veniat immediate a voce Dei,vt quidem

veniat Decalogus,quod quam ſit falſum,& ab ſcriptura ſancta alienum, ſatis me docuiſſe arbitror. Similis error erat,quem ſupra confutauimus, non fieri immediate a Deo epiſcopos,in vtrũque vero egit iſtos tranſuerſos huius vocis immediate abuſus,vſque adeo verum eſt quod Leontius Cyprius aduerſus Acephalos ſcripſit ſæpe μὴ κυριολεκτεῖν δόγματος ἐργάζεται διαφωνίαν dicam Latine,non proprie inquit vti verbis, dogmatis diſcrepantiam efficit, ſit ergo lex Moiſis proprie lex Dei,vt Decalogus,quia ab eo auctore primũ, & immediate profecta,ſunt.n.immediata, quæ prima, & quæ prima,immediata,ſicut philoſophi tradũt, vt ſupra diximus.Neceſſe habui huc tot verbis diggredi,quia verebar,ne quis audiens præceptũ Salomonis eſſe,vt paſtor reſideat,nõ proprie Dei præceptũ putaret,præſertim cũ legeret hoc,quod nos in iſtorũ libris legimus, legẽ Moiſis nõ eſſe proprie legẽ Dei,tanquã quæ nõ veniat a voce Dei, vt veniat Decalogus.Quare vt redeamus,vnde digreſſi ſumus,prçcepit Salomon,vel potius Deus per Salomonẽ,vt paſtores animarũ nõ quidẽ per literas ex vicariis ſuis de ouibus cognoſcerẽt,ſed vt videant ipſi eas,cognoſce (inquit) γνωσόσ,id eſt,notorie (vt ita dicã) ſiue cognoſcẽter animas tui gregis, ſiue ouilis,deinde ſequitur,quo magis ac magis curã,& ſtudiũ ouiũ cõmendaret, quia non ſatis eſt præſentes eſſe paſtores,niſi ad prçſentiã accedat ſtudiũ,& ſolicitudo, adhibe (inquit)cor tuis gregibus,quoniã nõ in ſæculũ
» viro robur,poteſtas,& virtus,neq. tradit ex generatio
» ne in generationẽ,perinde atq. præciperet præſentem
» eſſe,& accurate ac vigilanter attendere gregi animarũ
» creditarum,idque dum tempus habet, neq. enim cum ſit omnibus moriendum,ſemper futuram eſſe homini huius muneris paſtoralis poteſtatem,non enim in altero ſæculo licebit huiuſmodi curam,ac poteſtatem ſpiritualem gerere & adminiſtrare,euacuato iam (ſicut

ſcriptum eſt) omni principatu,& poteſtate, atque virtute. Præterea alia loca ſcripturæ ſanctæ non pauca, tum quia ab aliis recte obſeruata ſunt,& diligēter tractata, tum quia qui a nobis diſſentiūt, ſic illa omnia interpretanda eſſe falſo putant, vt quod de prǽſentia paſtorū neceſſaria ex illis locis concludi videatur, id per vicarios & ſubſtitutos ſatis poſſe præſtari affirment. At cognoſcere notorie,&(vt ita dicam) ſine vllo medio, ac facie ad faciē, quod declarat verbū γνῶσις ſecundum conſuetudinem ſcripturę, vt ſupra docui, hoc inquam, quemadmodum per alium præſtare poteſt, qui ipſe adeſſe poteſt? Qui enim non poteſt ad tempus, ſiue propter magnam vtilitatem eccleſiæ ſuæ, aut aliarum, aut propter præcipuam aliquam œconomiam ſpiritualem, aut aliquam aliam neceſſitatem, quæ vitari aliter non poſſit commode, is profecto non abeſſe, ſed adeſſe iudicandus eſt, abſens quidem corpore, præſens autem ſpiritu. Cæteri vero paſtores præceptum dei violant, quicunque per alienos gregi attendunt, & animas pecoris ſui non γνῶσις, & facie ad faciem ſuiſque oculis cernunt præſentes, ſed velut in ſpeculo, & ęnigmate, obſcure, abſentes, per auditum, & epiſtolas cognoſcunt. Si tamen vel ſic cognoſcunt, ac non potius vel hoc negligunt. Eſt præterea quodam canone apoſtolorum, quem inter alios in vetuſtiſſimo libro legi pœna etiam adiūcta, his verbis clariſſime ſancita paſtorum præſentia ποιμένες ὄντες καὶ οὐ τῇ ἰδίᾳ ποίμνῃ παραμένοντες ἀλλότριοι ἔστωσαν τῆς ἐν χριστῷ κοινωνίας nothi(inquit)& adulterini magis quam paſtores, qui in ſuo ouili non permanent, alieni ſint a communione in Chriſto. Eant nunc iſti, & negent iuris diuini eſſe reſidentiam. Que enim canonibus apoſtolorum ſancita ſunt ad ius diuinum aut ſcriptum aut non ſcriptum pertinere, quis, neget, niſi qui eccleſiaſticas traditiones, quæ ſolui non poſſunt, contemnat? Verum quanta ſit canonis huius au

ctoritas, magis intelligetur, cum agetur de alio iſtorum errore, qui aiunt, quæ in ſolo Paulo leguntur, non eſſe dei præcepta. Quia vero iactant iſti, neminem ante Caietanum de hoc diſſeruiſſe, aut pronunciaſſe, vtrum epiſcopi iure diuino reſidere tenerentur, legant epiſtolas non paucas Athanaſii Patriarchæ Conſtanti nopolitani in literis ſanctis valde eruditi, atque exercitati, quas ad Imperatorem ſui temporis ſcripſit rogans eum, vt epiſcopos omnes ex vrbe eiectos ad eccleſias ſuas ire cogeret, legant illam, quam idē ſcripſit ad omnes epiſcopos, hortans eos, vt in eccleſiis ſuis reſiderent. μηδ᾽ ἔξω ἐπὶ πολὺ τῆς λαχούσης ἀκτίσει τῶν θείων θεσμῶν διατρίβωμεν. ne, inquit, diu extra diœceſes contra diuina iura moremur, & in epiſtola ad epiſcopum Sardenſium, hortans ſimiliter, vt ad diœceſem rediret, θείων θεσμῶν μηδὲ κἂν πρὸς μικρὸν ἀνεπιτιμήτως ἑαυτὸν ἀφίστασθαι ἐῶντων τῶν ποιμνίων, diuina, inquit, iura, vel ſtatuta ne pauliſper quidē ſinunt impune quemquam paſtorem a grege abeſſe. Idem in epiſtola ad omnes epiſcopos, ſacerdotes, & præpoſitos monachorum, docens quemadmodum ſubditos, & quid docere debeant, ἀπαραιτήτου ἀνάγκης χωρίς, τῆς ποίμνης μακρὰν μὴ βραδύνωμεν λόγον ἐπέχειν εἰδότες ποιμένα τῇ ποίμνῃ πρὸς σῶμα ψυχῆς ne (inquit) abſque magna neceſſitate, quæ aliter vitari non poſſit, procul a diœceſe moremur, ſcientes paſtorem eſſe gregi, quod anima corpori. Idem Athanaſius, cuius tempore hoc etiam malum frequens, & familiare erat, cauſam cur, cum a principio decretum eſſet, vt bis ſingulis annis Synodi haberentur, deinde vt ſemel haberentur, decerneretur, fuiſſe ait, ne propter crebram abſentiam paſtorum oues a lupis facile inuaderentur, idem in epiſtola quam ſcripſit ad metropolitam Cretenſium, laudans eum, quod conſtituiſſet ad diœceſem ſuam proficiſci, epiſcopus (inquit) ſi vel biduum in diœceſe moretur ſua, experimēto cognitum eſſe, permulta peccata, & damna non cerni in populo,

perinde namque videri gregem eſſe abſque paſtore, vt cæcum duce carere. Quod ſi iudicio patrum, & ſynodorum, atque vſu rerum cognitum eſt abſentiam paſtorum, tam peſtiferam & incommodam ſemper fuiſſe & eſſe, ac futuram, quis non credat, tametſi non videat ipſe, a Deo prohibitam eſſe? neque de eo tacitum in ſcriptura ſancta, quamuis ipſe non facile cernat? mihi certe in mentem venit, dicere de iſtis, quod idem Athanaſius de eiſdem dixit, tendere eos velamen euangelio, ne aſpiciant eius ἀκρίβειαν. Nos autē per dei gratiā reuelata facie, ſicut ſcriptū eſt, veritatē ſpeculamur. Pene oblitus eram recitare teſtimoniū grauiſſimū Damaſi pontificis ex epiſtola, quam ſcripſit ad epiſcopos Africanos aduerſus chorepiſcopos, & eos paſtores, qui ſubſtitutis in locum ſuum chorepiſcopis, ipſi a ſuis eccleſiis aberant, quam quidē abſentiam contra Chriſti doctrinam eſſe cum dicat, neceſſe eſt intelligamus iure diuino ſancitam præſentiam, idque Damaſum ſanctiſſimum, & »ſapientiſſimum pōtificem ſentire, vt nobis (inquit) rela»tum eſt, quidam epiſcoporum propter ſuam quietem, »chorepiſcopis plebes ſuas committere non reformi»dant, & ipſi in ſua quiete torpent, & curam ſibi a deo »cōmiſſam negligunt, cum dominus dicat, bonus paſtor »animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, & vocat eas nomi»natim, & cognoſcit ſuas, & ſuæ cognoſcunt eum. Item »ſicut nouit me pater, & ego cognoſco patrem, & ani»mam meam pono pro ouibus meis, de mercenario au»tem quid dicat, bene noſtis, quia videt lupum venien»tem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſper»git oues, & reliqua. Pro talibus vero negligitur cura ec»cleſiæ, & eius ſtatus perturbatur, & ideo ſunt prohibi»ti intantum, vt ſi aliqui ex his reperti fuerint, a proprio »decidant gradu, illi namque epiſcopi qui talia ſibi præ»ſumunt, videntur mihi eſſe nutricibus ſimiles, quæ ſta»tim vt pariunt, infantes ſuos aliis nutricibus tradunt

» educandos,vt ſuam citius valeant explere libidinem,
» ſic & iſti infantes ſuos, id eſt, populos ſibi commiſſos
» aliis educandos tradunt, vt ſuas libidines expleant, id
» eſt,vt pro ſuo libito ſæcularibus curis inhient, & quod
» vnicuique viſum fuerit,liberius agat. Pro talibus enim
» animæ negligũtur,oues pereunt,morbi creſcunt,hære
» ſes,& ſchiſmata prodeunt,eccleſiæ deſtruuntur,ſacer-
» dotes vitiantur,& reliqua mala proueniunt, non tali-
» ter dominus docuit, neque apoſtoli inſtituerunt, ſed
» ipſi,qui curam ſuſcipiũt,ipſi peragant,& ipſi proprios
» manipulos domino repręſentent. nam ipſe ouem perdi
» tam diligenter quæſiuit,ipſe inuenit, ipſe propriis hu-
» meris reportauit, noſque idipſum facere perdocuit.ſi
» ipſe pro ouibus tantam curam habuit,ipſe docuit, ipſe
» curauit,ipſe ſanauit,ipſe propriis humeris reportauit,
» atque intantum dilexit,vt etiam animam,multas ſuſti-
» nens iniurias,multa opprobria, multaſque paſſiones,
» pro nobis traderet,Quid nos miſeri,& deſides dicturi
» ſumus,qui etiam pro ouibus nobis commiſſis curam
» impendere negligimus? & aliis eas educandas tradi-
» mus? corrigantur hæc fratres,neceſſe eſt &cæt. Hacte
nus ille. Quis hic cauillari poterit, quin confiteatur iu
dicaſſe Damaſum,& a deo fieri epiſcopos,& eorum re
ſidentiam diuini iuris eſſe? Sed pergamus ordine,vt cę
pimus falſas iſtorum rationes refellere, ne ſimplicibus
noceant, & incautos in errorem inducant, videamuſ-
que, quale ſit, quod afferunt de Timotheo epiſcopo
Epheſi, aliorumque ſanctorum epiſcoporum abſentia,
quãquidem tametſi diuturnam fuiſſe fingeremus, vt
iſti fingunt,tamen non ſequeretur ſtatim,nõ eſſe iuris
diuini aſſiduam reſidentiam, neque enim illorum ab
ſentia tam iudicanda erat abſentia, quam præſentia,
Nam vt Theſſalonicenſibus & per eos nobis omnibus
apoſtolus præcipit ſine intermiſſione orare, & Coloſ-
ſenſibus,orationi inſtare, immo Dominus in euange
lio,

lio, ſemper orare, & nunquam deficere, ſic præceptum eſt paſtoribus ſemper ac perpetuo reſidere. atque vt illud impleri poteſt, ſimiliter hoc poteſt, poteſt vero illud, ſi quicquid fiat, in laudem dei fiat, ſicut ait apoſtolus. Similiter ergo iudicandus eſt ſemper eſſe præſens in eccleſia, atque diœceſe ſua epiſcopus, quoties propter magnam vtilitatem eius, aut præcipuam aliquam œconomiam ſpiritualem ad tempus abeſſe neceſſe eſt, vt enim vniuerſa vita hominis religioſi, ac deum timentis, & eum in omnibus, & per omnia laudantis perpetua quædam Oratio eſt, ſic vtilis, atque neceſſaria paſtoris propter oues abſentia, præſentia quædam eſt. Quare Timotheum etſi demus ab Epheſo & Corintho Romam non ſemel ire iuſſum fuiſſe, & a Roma Hieruſalem, non tamen continuo neceſſe eſt, ſicut iſti aiunt, idcirco diu ab eccleſia ſua abfuiſſe, & ſi diu abfuiſſet, tamẽ exiſtimandum quoque eſſet, ob magnam eccleſiæ vtilitatem abfuiſſe, ſed bene habet, quod exẽplum abſentiæ diuturnæ in Timotheo Pauli diſcipulo habemus in ſcriptura ſancta clare perſcriptum. Legimus, enim Paulum, cũ Epheſo digreſſus, iterum in Macedoniam, eiuſque regiones iret, Timotheum, vt remaneret Epheſi, rogaſſe recuſantem principio onus, cuius recuſationis fortaſſe memor apoſtolus ſcripſit ad eum in priori epiſtola, qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderare, deinde Timotheum profectũ ex Macedonia Epheſum, iam factum Epiſcopum reſedi ſſe ibi toto eo tempore, quod Paulus conſumpſit in peragranda cuncta Macedonia exhortãs omnes multo ſermone, vt Lucas ait, & item toto eo tempore, quod cõſumpſit in Græcia, vbi moratus eſt tribus mẽſibus, cum autem vellet iam Paulus proficiſci ex Græcia in Syriam, & Iudæam non directe, ſed per Macedoniam propter inſidias Iudęorum, veniſſe Timotheum in Græciam paucorũ dierum nauigatione, vt Paulum

cum aliis fratribus, quos Lucas narrat, deduceret, atque comitaretur vſque ad Aſiam, vt idem Lucas meminit. Veniſſe autem tunc Corinthum Timotheum, perſpici poteſt ex epiſtola ad Romanos, quam tūc Paulus Corinthi ſcripſit, cum proficiſci vellet Hieruſalem, in ea enim ait. ſalutat vos Timotheus adiutor meus, rurſus ſcriptam fuiſſe hanc epiſtolam Corinthi, perſpici quoque poteſt ex eo, quod ait, ſalutat vos Gaius hoſpes meus, hunc vero Corinthium fuiſſe, conſtat ex priori epiſtola ad Corinth. c. 1. item Rom. 15. nunc (inquit) proficiſcar Hieruſalem miniſtrans ſanctis, probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere, de qua quidem collecta meminit in priori epiſto. ad Cor. 16. Cum ergo Paulus & comites Troadem, quæ eſt in Aſia, inde Miletum paucis diebus perueniſſent, a Mileto Paulus mittens Epheſum, vt Lucas narrat, vocauit preſbyteros eccleſiæ, qui cum veniſſent, habito ſermone, quo eis curam ſtudiumque muneris paſtoralis accuratiſſime commendauit, dimiſit eos, reuerſum vero fuiſſe cum preſbyteris iſtis ipſorum epiſcopum Timotheum, neque perrexiſſe Hieroſolymam cum Paulo, non puto eſſe dubitandum, primum, quia Lucas teſtatur Soſipatrum, Ariſtarchum, Secundum, Gaium, ac Timotheum comitatos fuiſſe Paulum vſque ad Aſiam, ex Aſia vero Aſianos Tytichum, & Trophimum, deinde quia nullius horum comitum amplius meminit Lucas in tota illa peregrinatione a Mileto vſque Hieruſalem, neque poſtea in reditu Romam, præterquam Trophimi Epheſii, qui cum Paulo peruenit Hieroſolymam, vt eſt in actis. c. 21. & Ariſtarchi, de quo Lucas deſcribens nauigationem Pauli in Italiam, cum Romam vinctus adducebatur, aſcendentes (inquit) nauem Adrumentinam, nauigaturi circa Aſiæ loca ſoluimus, exiſtente nobis cum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi, quaſi alii non ad-

eſſent,is autem Ariſtarchus cum prius comitatus eſſet apoſtolum vſque ad Aſiam,poſtea tamen ad eundem re uerſus eſt,veriſimilius itaque eſt Timotheum a Mileto rediiſſe Epheſum cum preſbyteris, ibique non paruo tempore reſediſſe, quouſque audiuit Paulum perdu-ctum eſſe Romam vinctum,tunc autem accurriſſe con tinuo Romam, vt eum viſeret, eidemque in vinculis miniſtraret,quod exemplum pietatis Timothei in do-ctorem,& magiſtrum eccleſiarum Paulum plurimum valebat ad ędificandum in charitate cum cæteros o-mnes,tum ipſos Epheſios,quorum erat epiſcopus Ti-motheus.Romæ vero fuit Timotheus paucis diebus, quantum ex epiſtola ad Philippenſes, quam apoſtolus eo tẽpore ſcripſit coniectare licet.Spero(inquit)in DO mino Ieſu Timotheũ me cito mittere ad vos,& Paulo poſt iterum,hunc igitur ſpero me mittere ad vos mox, vt videro,quæ circa me ſunt ex ipſa,ſcilicet,hora. Me-tuerat enim ſtatim vt perductus eſt Romam,ne ſecum peius ageretur, verum cum non ita eueniret,quin po-tius cum omni fiducia,& ſine prohibitione, vt Lucas narrat,docere illi liceret,videretque omnia ſibi quie-ta,& pacata,Veriſimile eſt ſtatim Timotheum remiſiſ ſe Epheſum,cui etiam illud iuſſit,vt tranſiret in Mace doniam Philippos gratia viſitandi fratres. Quibus bre ui viſitatis, reuerſus Epheſum diu fortaſſe ibi reſedit, quouſq. inſtante martyrio Pauli,ab eodem eſt iterum Romam accerſitus, vt perſpici poteſt ex epiſtola. 2. ad Timotheum,ego (inquit) iam delibor, & tẽpus meæ ,, reſolutionis inſtat,& paulo poſt feſtina ad me venire ,, cito,& rurſus paulo infra,feſtina ante hiemem veni-re,vt iam ſatis veriſimile ſit fuiſſe eam hiemem extre-mam,quam cõſecuta fuerit cædes Pauli proxima æſta te,ſcilicet. III. Calen. Iulii,pertuliſſe etiam epiſtolam Pauli ad Hebræos Hieroſolymam,iuſſumque eſſe cele riter redire ex eadem epiſtola cognouimus,vtrum ve-

ro rurſus Paulus eo comite Hebræos inuiſerit, vt propoſitum ſibi eſſe in ea epiſtola ſcribit, non eſt certum, neque neceſſe, & vt ita factum ſit, rurſus non eſt neceſſe, ideo diu abfuiſſe, potuit enim comitari & deducere Paulum Iudæam vſque, & ſtatim reuerti Epheſum. Hæc idcirco tam copioſe, & prolixe attuli, vt oſtenderem non conuinci ab iſtis exemplum abſentiæ diuturnæ in Timotheo, imo fortaſſe neque menſium multorum, ſi quis his omnibus notatis, & animaduerſis, attẽte ſecũ rationẽ ineat, deinde illius abſentiã præſentiã fuiſſe potius, cũ tanta pietate, & vtilitate, atq. ędificatione in charitate plena eſſet, cũ qua non video, quid habeat cõmune abſentia noſtrorũ omniũ epiſcoporũ, vt cũ illa cõparari debeat. Veniamus iã ad euangelicã
» illã parabolã de bono paſtore, cuius vocẽ oues audiũt,
» & ipſe oues proprias vocat nominatim, & educit eas,
» & cũ oues proprias emiſerit, ante eas vadit, & oues il-
» lũ ſequũtur, quia ſciunt vocẽ eius, &c. Hanc parabolã aiunt iſti pertinere ad Chriſtũ, quo nihil verius, ille.n. princeps paſtorũ Ieſus depingitur, atque exprimitur in ea, quod vero iidẽ addunt, noſtris paſtoribus admonitionem tantum eſſe in hac parabola, non intelligo quid hic appellent admonitionem, niſi fortaſſe hoc volunt, ſcilicet conſilium eſſe noſtris, vt tales ſint, ita vt ſi tales extiterint, benefaciant, imo optime, ſin autem non tales, non peccẽt in legem diuinam, quæ hoc non pręcipiat, tametſi peccent aliquãdo, quia faciant, quod non expediat, eſto, liceat, ſicut ſcriptũ eſt, omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, quod magnus Baſilius in iis ait eſſe tenendum, quę non ſunt in ſancta ſcriptura prohibita. Verum videamus vtrum huiuſmodi admonitio paſtorum ſit in hac parabola, & in reliqua ſcriptura ſancta, an magis præceptum. Sane cum præceptum ſit Dei, vt cui præcepit paſcere, is bonus paſtor ſit, Siquidem omnibus præcepit, vt perfecti ſint, dubi-

tari non poteſt, quin in præceptum incidant, quæ bonum paſtorem conſtituunt, qualia ſunt, quæ in hac parabola, & in cæteris locis ſcripturæ ſanctæ de paſtoribus continentur, hoc autem multos fallere ſolet alioqui doctos, quod literam ab ſpiritu non ſemper diſtingunt, quæ tamen diſtinguenda ſunt non ſolum in vetere Teſtamento, ſed aliquanto etiam in nouo, vt docet multis exemplis magnus Athanaſius Alexandrinus in libro de Communi energia, ſiue operatione Trinitatis, tametſi enim ad ſolum Chriſtum perfecte & abſolute pertineat hęc parabola de bono paſtore, qui eſt verus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus noſtræ ſalutis auctor, ipſe enim vere cognoſcit oues ſuas, & vere vocat eas nominatim, qui ſolus omnia nouit, antequam ſint, & vocat ea, quæ non ſunt, tanquã ea quæ ſunt, ipſe ſolus vere poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis, qui morte ſua alioqui morti non obnoxius, ſuos a morte liberauit æterna. Cæterum hæc, aliaque huiuſmodi, quæ vere, perfecte, & proprie in Chriſtum competunt, nõ faciunt, quin hæc eadẽ parabola ad alios quoq. bonos paſtores pertineat inchoate & imperfecte, quantum ſcilicet ferre poteſt infirmitas hominis, atque ita præceptum continere poſſit, vt quidem continet. ſicuti etiam in vetere Teſtamẽto, quod quidem frequentiſſimũ eſt, perfectus ſenſus non tollit imperfectũ, verbi gratia, quod ſecundũ ſenſum perfectũ accipiẽdum ſit de Chriſti reſurrectione, quod Dauid dixit, Nõ dabis ſanctum tuum videre corruptionẽ vt beatus Petrus nobis interpretatus eſt, hoc non tollit, quin idem ſecundum ſenſum imperfectum hyperbolice, verbis rem ipſam ſuperãtibus accipiendũ quoque ſit de populo Hebræo ex captiuitate ceu ex quodã ſepulchro, ac morte cum mirabili ſoſpitate, ac lætitia reuocato, & liberato, vt cum ex conſequentia ipſius Pſal. perſpici poteſt, tum ex ſimili figura, qua Ezech.

vſus eſt eandem liberationem prædicens, ecce ego, inquit aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris, & inducam vos in terram Irael. Similiter illud Zachariæ, Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinum, & pullum filium ſubiugalis, quod ſecundum ſenſum perfectum intelligẽdum ſit, vt euangeliſta interpretatus eſt de Chriſto, ita vt res ipſa nõ ſit minor verbis, ſed potius maior, non tollit, quin ſecundum ſenſum imperfectum, & extrinſecus apparentem verũ quoque ſit de Zorobabele rege ex ſemine Dauid, cuius humilis & abiectus reditus ſuperlate, & hyperbolice a propheta deſignatus eſt. Simile eſt illud Oſeę, ex Aegypto vocaui filiũ meum, quod primo & perfecte accipiendum eſt, vt euangeliſta interpretatus eſt, de puero Ieſu, deinde vero ſecundo loco ſecundum conſequentiam hiſtoriæ extrinſecus deſcriptæ, de populo Iſrael ex Aegypto reducto, quem ſæpe vocat ſcriptura filium, & filios, vt. 70. verterunt. ac niſi ita in his, aliiſque huiuſmodi locis infinitis dicere malimus, neceſſe eſt dicamus, repente mutari propoſitum in prophetiis, & reliqua ſcriptura ſancta ſine vlla conſequentiæ ratione, quod valde abſurdum nõnullis veterum viſum eſt, ex quibus, Theodorus Antiochenus, in Commentariis Prophetarum minorum
„ cum alias, tum copioſius in Zacharia, Lex (inquit)
„ vmbram quandam continebat eorum omnium quæ
„ ad Chriſtum pertinebant, multa igitur eorum, quæ
„ admirabiliter & præter omnium opinionem ſiue in vi
„ ris ad res aliquas gerendas electis facta ſunt, ſcriptura
„ narrat hyperbolice, verbis ipſis primo aſpectu, & vt in
„ promptu ſunt, veritate carentibus in ipſis illis rebus, in
„ quibus exponendis poſita ſunt, at tunc deprehendun-
„ tur eſſe vera cum comparantur cum ipſo Chriſto, ad
„ eumque referuntur, quicum in omnibus vmbram
„ legis ceſſare fecerit, veritatemque introduxerit, meri-

„ to etiam huiuſmodi veritatem demonſtrauit, hactenus ille, & plura quæ ſequuntur ad hanc rem pertinentia, quæ alias commodiore loco pertractabimus, ergo vt ad rem redeam. ad hunc modum ſecundum conſuetudinem veteris ſcripturæ, hæc parabola boni paſtoris perfecte competit in Chriſtum. tametſi nihil obſtat, quominus in alios paſtores competat imperfecte, vt facile perſpici poteſt ex ipſa euangelicæ parabolæ conſequentia, cum enim dixiſſet, paſtor bonus animam ſuam dat pro ouibus, ſtatim ſubiunxit, mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, quod quidem cum de malis paſtoribus dicatur, ſicut illud quod dixit ibidem, alienum non ſequuntur, quis dubitare poteſt, quin hos oppoſuerit bonis paſtoribus, de quibus dixiſſet illud, bonus paſtor &cæt. tametſi id vere, & perfecte non niſi Chriſto Domino noſtro conueniat. Quemadmodum quæſo, doceret Dominus, quales eſſent mali paſtores, quales vero boni, præteriret? Præterea pertinere quoque ad noſtros paſtores hanc parabolam, contineri que in ea præceptum, videtur mihi declaraſſe beatus Petrus prima ſua epiſt. quod enim Domi
„ nus dixit de bono paſtore, quod proprias oues vocet
„ nominatim, & educat eas, & cum proprias oues emiſe
„ rit, ante eas vadat, & oues illum ſequantur, quia ſciãt
„ vocem eius &cæt, Petrus hunc locum imitatus ſcripſit ad paſtores omnes, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, forma gregis facti, hoc enim eſt vadere ante oues, & oues illum ſequi, ſcilicet fieri exemplum, ac formam fidei, & operum ouibus, vt ſic credant, & viuant, quomodo doceat, & viuat eorum paſtor bonus. ex Apoſtolo etiam intelligi poteſt pertinere hanc parabolam non ſolum ad Chriſtum, ſed ad alios quoque paſtores bonos, hortans enim preſbyteros paſtores, ſiue parochos Epheſios ad boni paſtoris, qui in hac parabo.

la deſcriptus eſt, imitationem,& exemplum, videtur mihi ex ea parabola ſententias ſumpſiſſe,mutuatuſque eſſe,itaque quod eſt in parabola proprias oues vocare nominatim,& educere eas,& ante eas vadere, tanquã ea omnia vigilantiam,& pręſentiam ſpiritus,ſummam que attentionem in paſcẽdo grege verbo Dei,& exemplo vitæ deſignarent,ſic dixit Apoſtolus, attendite vobis,& vniuerſo gregi. & paulo poſt, hæc omnia vno verbo complexus,quamobrem(inquit)vigilate &cæt. quia vero paſtoribus eſt attendendum, & vigilandum gregi exemplo eius,qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis,ita vt ſicut idem apoſtolus dixit de ſe, nihil ſubterfugiant,quominus annuncient omne conſilium dei, neque faciant animas ſibi pretioſas, dummodo conſument miniſterium, quod acceperunt a domino » Ieſu,idcirco paſtores dixit eſſe poſitos ab ſpiritu ſan» cto,vt regerent eccleſiã dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo,perinde atque diceret,vt paſcerent oues, pro quibus dominus poſuit animam ſuam,hoc enim eſt poſuiſſe animam pro ouibus ſuis,quod eſt acquiſiuiſſe eccleſiam ſanguine ſuo,& hoc eſt ſcire,ſiue cognoſcere vocem paſtoris, audire ſcilicet, annunciari ab eo omne » conſilium dei,vt dixit Apoſtolus. Quod autẽſequitur, » alienum autem non ſequũtur,ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum,Paulus quoque in eodem ad Epheſios ſermone interpretatus eſſe videtur, exponens enim,cur bonis paſtoribus eſſet vigilandum quia(inquit) intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi graues in vos, non parcentes gregi, quod amplius ad huc declarans ſubiungit, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa: vt abducant diſcipulos poſt ſe,iam hic verbis etiam parabolæ vſus eſt Apoſtolus,intrabunt(inquit)ſcilicet non per oſtium, ſed aliunde, tanquam fures,& latrones,per oſtium intrant ad oues ii paſtores,qui doctrinam Chriſti ceu paſtum ſpiritualem

lem tradunt,& omne conſilium dei annunciant, qui autem hoc non faciunt,ſed potius peruerſa loquuntur, vt Paulus dixit,hi ſunt alieni,& vocem eorum non nouerunt,& ab eis fugiunt, aut certe fugere debent, & nullo modo ſequi, quamuis illi magnopere ſtudeant, vt alii ſequantur,quod apoſtolus dixit,in trabunt, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Oſtium itaque vocauit hic ſcriptura Chriſtum,& eius euãgeliũ, ſicuti etiã annotauit Photius in ſcholiis euãgelii Ioãnis.Ergo ſicut Petrus apud Lucam Dominũ rogauit,inquiens, ad nos dicis hãc parabolam,an ad omnes? Sic nos rogemus dominum dicentes,ad te dicis hanc parabolam, an ad omnes paſtores? profecto ſi ſcripturas ſcrutemur,& conferamus,intelligemus reſponderi nobis, parabolam dici ad omnes paſtores, etenim ſi non ad alium quam ad Chriſtum,hæc,parabola pertineat,vt iſti volunt,neque illud quidem,quod poſtea ſequitur in eadem parabola, ſcilicet,erit vnum ouile, & vnus paſtor, de alio,quam de Chriſto licebit accipere. At de eccleſia etiam catholica,& vno pontifice accipiunt cum alii veteres patres,tum Cyprianus in libro de ſimplicitate prælatorum,& in conciliis non paucis ſic accipitur.Sed videamus quale ſit, quod iſti fatentur, actus quidem illos vocandi oues nominatim, & eundi ante eas præſentiam paſtoris deſiderare,ſed quid hoc aiunt, vt intelligatur,præceptum factum epiſcopis adeo immediate, & ad probandum, quod illa munia per alium fieri nequeãt? profecto ne intelligere poſſent,in cauſa fuit, quod ſecundum literam extrinſecus apparentem de præſentia corporis omnino accipiẽdum eſſe putarunt. nos vero aliter obſeruauimus, & didicimus tum ex ſanctis ſcripturis,tum ex earum magnis interpretibus. Docet enim Athanaſius multis exemplis ,vt iterum dixi,in libro de communi operatione trinitatis illud apoſtoli literam occidere, ſpiritum autem viuificare,

non ſolum in vetere teſtamento verum eſſe,locumque habere,ſed interdum in nouo,vt illud(inquit Athan) qui dixerit verbum aduerſus filium hominis,remittetur ei,ſi ſecundum litteram intelligamus, & vt ille loquitur κατὰ ῥητὸν videbitur ſecum pugnare, qui alio in loco dixit,qui me negauerit coram hominibus, negabo ego eum &cæt.& ſi illud, omne peccatũ, & blaſphemia remittitur hominibus ſimiliter intelligatur, quẽadmodum cohærebit illud, qui dixerit fratri ſuo, fatue,reus erit gehennæ ignis,& illud,contumelioſi non poſſidebunt regnum, multa alia huiuſmodi exempla affert,quę prætereo,ne longior ſim,quibus vt dixi,docet,diſtinguendam eſſe interdum in nouo teſtamento litteram ab ſpiritu ad percipiendum ſenſum ſcripturæ. quod quidem qui nõ fecerunt,iidem,quæ ſunt alioqui euangelica præcepta, conſilia, ſiue admonitiones eſſe
,, dixerunt,vt illud,ſi quis te percuſſerit in dexteram ma
,, xillam tuam,præbe ei & alteram, quod quidem quomodo,& quatenus accipiendum eſt,ſic, & eatenus pręceptum eſt ad vitam communem Chriſtianorum pertinens,quodque ſeruare neceſſe eſt, non minus quam ſuperiora euangelii præcepta de non iraſcendo, de reconciliatione gratiæ facienda, de non concupiſcenda vxore aliena, de non ſoluendo coniugio &cæt. Non enim ſecundum ſenſum primo aſpectu, & extrinſecus apperentem,ſed ſecundum ſenſum latentem,id eſt, ſecundum ſpiritum, non ſecundum literam accipiendũ eſt,perinde atque diceretur,ſi quis te percuſſerit &cę. tantum abſit,vt vicem tuam vlciſcaris, vt alteram potius maxillam præbeas feriẽdam, denique præcipitur, quiduis potius perpeti,quam vlciſci,dantes locum irę, ſcriptum eſt enim mihi vindictam, & ego retribuam. pręceptum vero eſſe hoc, ſenſit quoque Epiphanius Cyprius. ſcribens aduerſus Ptolemæum hæreticum, quod ex eo tempore ait præceptum eſſe ſeruari, ex

quo iuſſit lex Dei, oculum pro oculo, eãdem enim vim eſſe vtriuſque mandati, & eodem vtrumque ſpectare. Simile eſt illud, qui vult tecũ in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, κατὰ διάνοιαν enim, id eſt, ſecundum ſpiritum præcipit omnia contemnere, & relinquere præ charitate ſeruanda, quod quidem ad vitam communem Chriſtianorum pertinere, non tantum ad perfectionem apoſtolicam, ſicuti nonnulli falſo dicunt, negabit nemo, qui recte quæ dico, conſideret, præſertim cum ſine charitate, neque cæteræ virtutes quicquam valeant. huiuſmodi ergo eſt, quod nunc præceptum eſſe dicimus epiſcopis, imo paſtoribus ſpritualibus, vocare oues proprias nominatim, & educere eas, & cum emiſerit, ire ante eas. Hæc enim ſunt propria bonorum paſtorum, quales vult, & præcipit eſſe paſtores omnes Dominus, perinde atque præciperet, nihil prætermittere, quod neſſariũ ſit ad cognoſcendum γνωςῶς id eſt, euidenter, & vt ita dicam notorie animas ſui gregis, vt Salomon cognoſcere præcepit, hoc enim credo ſignificat, vocare nominatim oues ſuas, & perinde atque præciperet, vt Petrus paſtoribus præcepit, formam, & exemplum gregis fieri in doctrina ſcilicet & vita, ad quod tametſi præſentia paſtoris per neceſſaria eſſe videatur, tamen cum huiuſmodi præſentia ad vtilitatem gregis dirigatur, cum magnopere intereſt eccleſiæ ad tẽpus breue, aut non ita multum abeſſe, non quidem dicendum eſt, ſolutum eſſe tunc epiſcopum, aut paſtorem lege diuina de præſentia eius in diœceſe, aut ouili ſuo, ſed potius non eſſe interpretandam, atque cenſendam abſentiam huiuſmodi, ſed præſentiam, neque enim accipiendum eſt ſecundum literam, ſed ſecundum ſpiritum hoc præceptum de reſidentia perpetua, ſicuti neque præceptum de ſemper orando. Sicut Timotheus Epheſi epiſcopus dum ad tempus breue abfuit a diœceſe ſua

paucis quidem menſibus,quantum ex ſcriptura conie-ctare licet, in Macedonia, Græcia, Iudæa & Italia, non eſt inquam interpretãdus abfuiſſe,cuius abſentiã tam vtilis erat & neceſſaria ad ædificationem ſuæ, & aliarum eccleſiarum,ſed præſens fuiſſe,neque violaſſe præceptum Dei de aſſidua,atque adeo perpetua paſto-ris reſidentia,ſed ſeruaſſe potius, vbicunque enim ab epiſcopo per abſentiam ſuam eccleſiæ ſuæ vtilitas agi-tur,ibi quodammodo eccleſia eius adeſt. Idem dico, cum neceſſe eſt ad aliarum eccleſiarum vtilitatem non ita diu abeſſe,ea enim abſentia vtilis quoque eſt eccle-ſiæ propriæ,dum ſic etiam forma gregis ſui factus epi-ſcopus,in charitate eũ ædificat, docens iuuandos eſſe omnes fratres in Chriſto,& omnes eccleſias in vnum vno ſpiritu copulari. Si vero abſentia ad tempus non ædificat eccleſiam, aut eccleſias, nam perpetua nulla pot eſt non eſſe eccleſiæ propriæ incommoda,& peſti-fera,tunc omnino abeſſe cenſendus eſt. Quæ quidem abſentia ſcelerata eſt,& perfidiæ plena, atq. charitatis inimica.Cum enim paſtor non iam ſuus ſit,vt Athanã ſius ad Dracontium monachum recuſantem epiſcopa-tum,ad quem fuerat electus, ſcripſit, ſed eccleſiæ ſuæ, cui electus,& præpoſitus eſt,non ſibi iam, neque com modis, rationibuſque ſuis,neque voluptati, atque gra tiæ hominum viuendum,ſeruiendumque eſt. nemo au tem qui non velit ſibi viuere, & ſua quærere, & non quæ Ieſu Chriſti, aut hominibus placere, perpetuo, vel diu aberit,neque enim licet,niſi quantum require-re videatur eccleſiæ,aut eccleſiarum ædificatio in cha-ritate, quod non poteſt eſſe longum, & diuturnum. Quamobrem quod ſtatim vt epiſcopi in collegium Cardinalium cooptantur, eorum epiſcopatus vacent, clariſſimum eſt,vt mihi quidem videtur, eccleſiæ Ro-manæ præiudicium,vt munus, parteſque eorum eſſe omni tempore præſto adeſſe pontifici tanquam conſi-

liarios, adiutoreſque eius in onere ſuſtinendo, ita non poſſe commiſſas eſſe eis alias eccleſias. neque poſſe eos ſolui lege reſidendi, quia diuina ſit, quare eligendos eſſe alios epiſcopos, qui eccleſiis illis, & populis præſint, ſintque ipſis populi commiſſi, interim vero commẽdari iſtis cardinalibus eccleſias huiuſmodi, dum proprius cuiuſque epiſcopus eligitur. verum itaque eſt, aut non teneri reſidere cardinales, ſi non amplius habeant diœceſes commiſſas ſibi tanquam epiſcopis earum, ſed ſi ita eſt, rurſus verum eſt, neque ipſos intrare ad ouilia, neque ſinere alios intrare, dum iſta ſua commendatione occupatos tenẽt epiſcopatus, tutoreſque potius eſſe eccleſiarum & populorum tanquam viduarum, vel pupillorum, quam paſtores, ſponſos, atque patres. aut ſi ſibi vt epiſcopis adhuc commiſſas habent diœceſes, & eccleſias, quod magis credo, ſiquidem nullam renunciationem fecerunt, illa enim commendatione hoc illis cauetur ſolum, quod ipſi etiam Cardinales confitentur, ne propter abſentiam Cardinalis vacet epiſcopatus, cum ad tempus canonibus præſcriptum, ac definitum non adfuerit in eccleſia, ſiue diœceſe ſua, ſi inquam commiſſas habent eccleſias tanquam earum epiſcopi, profecto reſidere tenentur, aut certe facere meo iudicio, quod in Lateranenſi concilio Innocentio tertio Pont. decretum eſt de dignitate, cui eſt annexa parochia, vt ſcilicet ſeruiat in maiore eccleſia, & in parochia vicarium ponat perpetuum, & canonice inſtitutum, quod nihil aliud eſt, quam conferre parochiam, perpetuitas enim & canonica inſtitutio non tam ſubſtituti, vt loquuntur, quam proprii parochi conditiones ſunt, idem arbitror Cardinales facere debere, ſeruire inquam ſemper in eccleſia catholica Romana, & renunciatione facta, atque aſſentiente populo ſubſtituere paſtores perpetuos, auctoritate pontificis cano-

nice electos,& inſtitutos, id eſt, proprios epiſcopos, non autem ponere iſtos, quos appellant ſuffraganeos, quibus ad actus quoſdam epiſcopales, vt ordinandi,& confirmandi tantum vtuntur, ſed proprios inquam, quos populi ſciant, miniſterium a Chriſto per pontifi cem ſuum accepiſſe, poſitoſque eſſe ab ſpiritu ſancto epiſcopos in ipſis eccleſiis, quas regunt, vt ſic populi magis ſint obedientes,& eorũ epiſcopus vigilantior, & attentior, tanquam rationem redditurus de ſuſcepta ſibi a Deo cura animarum. Ergo vt ad parabolam, euangelicam boni paſtoris redeam, ſatis me demonſtraſſe arbitror, in ea non admonitionem ſolum, vt iſti volunt, ſed præceptum noſtris paſtoribus contineri. id quod Auguſtinus etiã ſenſit in libro de Paſtoribus,
„ quæ ſunt (inquit) oues meæ, audiunt vocem meam,
„ & ſequuntur me, hic inuenio omnes paſtores bonos
„ in vno, nõ enim boni paſtores deſunt, ſed in vno ſunt,
„ multi ſunt qui diuiſi ſunt, hic vnus prædicatur, quia
„ vnitas commendatur. Neque enim ideo vere tacẽtur
„ paſtores,& dicitur paſtor, quia non inuenit Dominus
„ cui commendaret oues ſuas, tunc autem ideo commen
„ dauit, quia Petrum inuenit. Imo vero & in ipſo Petro vnitatem commendauit &c. An non ſignificat plane pertinere hanc parabolam ad omnes bonos paſtores? Commendarique in ea illis oues, ſicuti commendatæ ſunt Petro? Petro autem quomodo commendatę ſunt, niſi prꝗcepto paſcendi illas in charitate? amas me,
- inquit, paſce oues meas. Non diſſimile eſt, quod iidem
- aiunt, paſcite, qui in vobis eſt, gregem, hoc vel moni-
- tum, vel præceptum eſſe, non quidem Dei, ſed Petri
- apoſtoli, verum hoc quod Petrus præcepit, præceptũ Dei eſſe, vt vel ex iis, quæ ſupra dixi, perſpici poteſt, omnino debet concedere, qui concedat, præceptum Dei eſſe, quod eidem Petro dictum eſt, paſce oues meas. His enim verbis, vt vnum vniuerſæ eccleſię pa-

ſtorem cõſtituit,ita vis illorum verborum ad cæteros omnes manauit, quibus idem Dominus de hac Petri gratia, id eſt, de hac paſtorali poteſtate dedit. Sic docent ſentire,& loqui ſáncta ſcriptura vetus,& noua. Sic eccleſia ſancta Dei,& eius formulæ rituales,ſic ſancti doctores cum alii,tum Athanaſius,Baſilius, Ambroſius,Hieronymus,Damaſus,Auguſtinus,Leo magnus,ipſe enim Dominus eſt,qui,vt eſt in præfatione conſecrationis epiſcopi,conſtituit epiſcopum ſuper familiam ſuam,ipſe tribuit cathedram epiſcopalem, ipſe eſt,qui auctoritatem paſcendi dat,ipſe inquam eſt,qui præcipit paſcere,& attẽdere gregi.Quare cum ait Paulus præcipiens,attendite vobis,& vniuerſo gregi, profecto dicere potuiſſet, vt alias loqui ſolet,præcipio nõ ego,ſed Dominus, attendite gregi,ſiue paſcite. imo vt hoc ſignificaret,ſtatim ſubiunxit,in quo vos poſuit ſpiritus ſanctus epiſcopos regere eccleſiam Dei,perinde atque diceret,non hoc meum præceptum eſt, quod attendere,& paſcere præcipio,ſed eius, qui fecit vos epiſcopos,& paſtores,id eſt ſpiritus ſancti.Quare deſinant obſecro,imo obteſtor nouitates verborum, qui aiunt præcepta Pauli non eſſe præcepta Chriſti, deſinant ſcandalũ fratribus,pro quibus Chriſtus mortuus eſt,creare. Qui enim audit,non eſſe præceptum Dei, quod Petrus & Paulus paſtoribus præceperunt, paſcere ſcilicet, & attendere gregi, facilius miniſterii ſui opus negliget tametſi cum magno ſuo,& ouium ſuarum malo.Quod quidem vt perſuaderent,non eſſe ſcilicet hoc Dei præceptum,falſa inductione ſimilium vſi ſunt,idem in omnibus peccantes,id eſt,falſo ponentes præcepta Pauli non eſſe Chriſti præcepta,verum hoc dicunt,ne ſecum diſcreparẽt, aut ſui diſſimiles eſſent, qui prius dixerant,legem Moiſis non eſſe proprie legem Dei.Hæc ergo ſimiliter volunt non eſſe Dei præcepta,mulierem non orare,aut prophetare,niſi velato

capite,epiſcopum eſſe vnius vxoris virum,& Deo mi
litantem non implicare ſe negotiis ſæcularibus, & alia
(inquiunt)non pauca,quæ apud ſolum Paulum legun
tur,qualia fortaſſe dicerent,epiſcopum non neophy-
tum, nemini cito manus impoſueris,fidelem coniu-
gem ab infideli non diſcedere, ſi conſentiat habita-
re cum eo.Item mulierem non docere in eccleſia, in.
quæ quidem competat illud, dico ego,non Dominus.
quæ tamen qui dicit præcepta Dei non eſſe, fratribus
ponit offendiculum,Sunt enim præcepta Dei,non mi
nus quam ea,quæ leguntur in euangeliis,hoc intereſt,
quod illa prius præcepta ſunt a Domino, quando ſcili
cet Dominus docebat,& euangelizabat, hæc vero ab
eodem Domino per apoſtolum ſpirit Dei habentem,
quod ex ipſo Paulo intelligi poteſt. quia enim in euan
gelio erat lex de matrimonio non dirimendo, repetẽs
Apoſtolus magiſque explicans legem illã, iis(inquit)
qui matrimonio ſunt iuncti,præcipio non ego,ſed Do
minus,perinde atque diceret,non ego primus,ſed Do
minus ante in euangelio ſuo,quod prædicauit.quia ve
ro de coniugio duorum,quorum alter eſſet fidelis,al-
ter vero infidelis,nihil erat in euãgelio,ipſe de eo ſan-
ciens, nam cæteris (inquit) ego dico, non Domi-
nus,non in quam Dominus per ſe , ſed per me hoc
docuit,ſic enim Chryſoſtomus in libro de Virginita-
te capite decimotertio,interpretatus eſt perinde,atq.
diceret Paulus, vt Theodoritus, Chryſoſtomum ſe-
cutus,in Comment.epiſtolarum Pauli ait , non inue-
nio hanc legem in euangelio Chriſti, ſed eam nunc
ſtatuo,neq.me hoc docuit Dominus ἐγγράφως ſed ἀγρά-
φως,id eſt,nõ didici hoc ex ſcriptura,aut prædicatione
Domini,ſed ſine ſcripto, & voce,ſpiritu docẽte,quod
vero leges Pauli, Chriſti leges ſint, norunt, inquit
idẽ Theodoritus, qui in literis ſanctis eruditi ſunt,ip-
ſius enim eſt illud, an experimentum quæritis eius qui

in me loquitur Chriſtus?& illud,dico ego per gratiam Dei,quę data eſt mihi,& alias, Si quis propheta eſt,aut ſpiritualis,cognoſcat quę ſcribo,quoniã Domini mandata ſunt,item illud,exiſtimo autem,quod & ego ſpiritum Dei habeam. neque vero qui hoc dicit, idẽ, vt iſti fingunt,iura eccleſiaſtica,& ciuilia,iura diuina eſſe dicat,quia eius afflatu condita,& ſcripta ſint, qui dixit per me reges regnant,& legum conditores iuſta decernunt,cum nemo eiuſmodi legiſlatorum certus eſſet, dum iura ciuilia deſcriberet,quod ſpiritus ſanctus per eũ loqueretur,vt erat Paulus apoſtolus, neq. quiſquã eorum tunc dicere potuit,in ſe loqui Chriſtum. Non itaque ponenda eſt in ſanctis ſcripturis connexio ex præceptis Dei,& ex præceptis hominum ſeparatim, vt faciebat Ptolemęus hęreticus,ſed omnia pręcepta ſcripturę ſunt,& dici debent Dei pręcepta. ſcio aliquem ex veteribus idem ſenſiſſe,quod modo iſti, Originẽ dico. & alios eum ſecutos,quos, ne ſim longior,nõ commemoro.ſed quę male veteres docuerunt,aut corrigenda ſunt,aut certe non imitanda in iis pręſertim, quorum opera cum auctoribus damnata ſunt. hęc itaque ſunt Origenis ex Homilia Num.16.& per Moiſem quidem multa locutus eſt Deus, aliqua tamen & Moiſes propria auctoritate mandauit, quod Dominus in euangelio euidentiſſima ratione ſecernit, cum dicit de repudio mulieris interrogatus,quia ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis hęc Moiſes, ab initio autem non fuit ſic.& paulo poſt,vides ergo & hic Deum quidem non pręcepiſſe,neque voluiſſe fieri diuortium,Moiſem vero propter duritiã cordis Iudęorum ſcripſiſſe,dandum eſſe repudium. oſtendit hæc & Paulus in literis ſuis, cum dicit de quibuſdam, Dominus dicit, non ego, & de aliis,hęc autem ego dico,non Dominus, & iterum in aliis.pręceptum Domini non habeo, conſilium autem do.& iterum,quę loquor,non loquor ſecundum

» Deum, vnde ſimiliter etiam in cęteris prophetis aliqua
» quidem Dominus locutus eſt, & non prophetę, alia ve-
» ro prophetę, & non Dominus. hęc Origenes. Equidem vt hic in origine Ptolemęum agnoſco, ſic in iſtis. qui ſic ſentiunt, originem. hoc ergo fefellit eos, qui falſo putarunt non eſſe hęc, de quibus loquimur, & alia huiuſmodi pręcepta Dei, primum, quia non intelligebant, quid ſibi vellet, neque quorſum illud, dico ego, non Dominus, & illud, pręcipio nō ego, ſed Dominus, & rurſus, pręcepta mea tenetis, & ſimilia. Deinde, quia videbantur huiuſmodi pręcepta ſolui poſſe, & ſolere aliquando, vt in neophytis epiſcopis. & non vnius vxoris viris, & in cæteris ſimiliter, quod fieri non poſſe putabant, ſi diuina eſſent. verum cum ſpiritualia ſint pręcepta, ſpiritualiter ſunt examinanda, & ſic examinat, qui ſpritualis eſt, ac tunc quidem facile cognoſcit mandata Dei eſſe, non itaque iudicandum eſt ſecundū faciem, vtrum ſit hic vnius vxoris vir, ſed ſpiritualiter iudicandum, vtrum talis, ac tam rarę pudicitię, tantaque ſpes futuræ continentię, tantuſque fructus ex eo expectetur, tantaqué ſit eius viri neceſſitas in eccleſia ſancta Dei, vt merito haberi poſſit, & debeat vnius vxoris vir, quamuis ſemel, & iterum vxorem duxerit, aut ſemel viduam, aut non virginem, vt meretricem, vel violatam. propter pręiudicium enim futurę incontinentię prohibetur ſacerdotio, & epiſcopatu, qui non eſt vnius vxoris vir, vt ex Innocentii primi epiſt. 2. intelligi poteſt. Is enim ſanciens, ne clericus viduam du-
» cat, ne (inquit) hoc pręiudicio impeditus, non poſſit ad
» ſacerdotium peruenire. Idem in eadem epiſtola, vnius
» (inquit) vxoris virum dixit non permanentem in con-
» cupiſcentia generandi, ſed propter futuram continentiam, quare in his cum cauſa pręcepti non ineſt, neque vis pręcepti remanet. Similiter dicatur in pręcepto de arcendo neophyto ab epiſcopatu, quod quidem pręce-

ptum Dei eſt,licet in ſolo Paulo legatur,cum enim neophytus prohibeatur,ne ſicut Apoſtolus ait, in ſuperbiam elatus,in iudiciũ incidat diaboli,id eſt,ne damnetur,propter quod damnatus eſt diabolus, ne inquam, honorem datum in occaſionem ſuperbię vertat,ſicut diabolus ex honore dato occaſionẽ ſuperbię arripuit, cum inquam, propter ſuſpicionem futurę elationis neophytus prohibeatur,profecto in quo nimia modeſtia ſpectata fuerit,is haberi poteſt non neophytus, neque in eo,ſi epiſcopus,aut ſacerdos fiat,pręcepti violatio fuerit,ſed interpretatio potius, vt in iuramentorum,& votorum diſpenſatione,quę alioqui lege diuina ſancita ſunt. eſt ergo hoc Chriſti pręceptum a Paulo primo prædicatum & ſcriptum de neophyto arcendo,non ſecundum literam,ſed ſecundum ſpiritum diiudicandum,& cuſtodiendum, vt cuſtoditum, ſeruatumque eſt in epiſcopis neophytis ſanctiſſimis viris Thalaſſio Cęſarienſi, Nectario, Taraſio, Nicephoro eius ſucceſſore, Flauiano, Ambroſio, & primo omnium Cypriano,vt Pontius eius diaconus,idemque martyr in vita eius ſcribit. neque vero ſolum neophyti ſunt,qui dudum conuerſi ſunt, ſed etiam qui ex ordine laicorum repente in ordinem ſacerdotum, aut epiſcoporum aſcendunt,vt Nicolaus primus in Epiſt. ad Michaëlem Imperatorem interpretatus eſt, quod etiam Apoſtolus prohibuit primus, cum præcepit, nemini cito manus imponere,Vim itaque huius præcepti de neophytis arcendis & ſimilium, quæ pendet ex cauſa,explicauit Ambroſius epiſt.82. Is enim loquens de
„ ſua ordinatione lib.10.epiſt.quam reſiſtebam, inquit,
„ ne ordinarer,Poſtremo cum cogerer,tamen ordinatio
„ nem meam occidentales iudicio probarunt, orientales
„ vero exemplo,& tamen neophytus prohibetur ordina
„ ri,ne ſuperbia extollatur,ſi dilatio ordinationi defuit,
„ vis cogentis eſt. Si nõ deeſt humilitas competens ſacer

„ dotio, vbi cauſa non hæret, vitium non imputatur, ha-
„ ctenus ille. Iam vero in alio exemplo, quod addunt iſti, nemo militans Deo, implicat ſe negotiis vitæ, ſine ſæcularibus, dupliciter peccant, primum, quod hoc ſimiliter atque alia, de quibus ante diximus, non præceptum Dei, ſed Pauli eſſe aiunt, deinde, quod inter ea numerant, quæ in ſolo Paulo legũtur, qualia ſunt ſuperiora, cum tamen in euangelio Lucæ legamus, cauete ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, & cogitationibus ſæcularibus, ita .n. vertit, aut legit Leo magnus in ſerm. 8. de ieiunio decimi menſis, deinde ſubiungit, quod vtique præceptum ad nos ſpecialius pertinere cognoſcimus, ne quemquam curis ſæcularibus inueniat implicatum. idem quoque annotarunt Photius, & Oecumenius, ſcilicet eſſe hoc præceptum preſbyteris & epiſcopis, quæ vero ſint huiuſmodi negotia ſæcularia eccleſiaſticis præcepto Dei prohibita, vtrum mercatura, & negotiatio, vt Theod. & Chryſt. interpretantur, idque, vt exiſtimo, non ſolum propter diſtractionem animi, qua abundat omnis negotiatio, ſed propter ſegetem, atque materiam multam peccandi in ea, ſicut ſcriptum eſt in ſapientia Syrach, vix effugiet peccatum mercator, & alias in eadem ſapientia, inter emptionem & venditionem exercebitur peccatum, vtrum ergo negotia ſæcularia mercatura, & negotiatio ſint, an etiam tutelæ, & curationes teſtamentorũ, quæ Cypria. lib. 1. epiſt. 9. clericis interdicta eſſe dicit, an etiã cum vxore conſuetudinem habere & liberis operam dare, an alia quoque ſimilia, hæc inquam, & alia quæ ad huius præcepti interpretationem ſpiritualem pertinent, non eſt nunc tractãdi locus, neque tempus, illud ſatis eſt, quod ad propoſitum ſpectat, eſſe hoc præceptum Dei, & Pauli, immo non eſſe Pauli, vt Paulus loqui ſolet, ita vt Paulus primus, hoc præceperit, ſed Dominus prius, ita vt dicere potuerit apoſtolus, præcipio non ego, ſed Do

minus,nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæculari bus &cæt.Item quod præceptum eſt mulieribus de velando capite,præceptum quoque Dei eſt, per Apoſtolum ſpiritum Dei habentem primo traditum,ac prædicatum,quod quidem eodem ſpectat, quo muliebris coma,& præceptum de ea non tondenda ſcilicet ad recordationem ſubiectionis,vt Gang.Concil.declarauit, ſi
» qua(inquit)mulier,vt religioſa habeatur,comam ton-
» deat,quam Deus dedit ad recordationem ſubiectionis,
» ſit anathema,tanquam ſcilicet pręceptum ſubiectionis quodammodo violaret,quę Symbolum eius a natura datum,Deo ita inſtituente,tolleret. quod ſi tondeat ob aliam cauſam honeſtam, vt valetudinis, aut vt careat curæ & ſtudio capilli curādi,atque vt ſit Symbolum,ſiue ſignum,quo admoneatur,omnibus renunciaſſe voluptatibus, non violabitur tūnc hoc Dei præceptum. vbi enim cauſa non hæret, vitium non imputatur, vt Ambroſius dixit de approbatione ſuæ properatæ ordinationis,cui etiam cito contra præceptum apoſtoli manus impoſitæ fuiſſe videbantur. Similiter præcipit viris Apoſtolus,quod in eo tantum legitur, & per Apoſtolum Dominus,ne comam nutriant ſcilicet propter religionē,ſicut Meſſaliani hæretici faciebant, religio enim comæ non tendendæ Nazoreorum tantū erat in typo Chriſti venturi,ſi quidem comam ferebant in capite propter votum,donec veniret impletio eius,verū autem votum, ſiue optatum mūdi erat Chriſtus caput noſtrū, quare cum typus tranſierit,& venerit veritas, naturæ repugnat, & contentione, atque ſtudio legis agere videbitur, qui propter religionem Dei comam nutriat.ad hūc modum interpretatur Epiphanius ſcribens contra Meſſalianos.Ratio vero cur idem Apoſtolus viris præcipiat aperto capite orare in eccleſia, quo viri,& mulieres cōuenire ſolent, eſt recordatio, quod vir eſt caput mulieris, quod enim ſupra eſt,nudum &

patens eſt,ſicuti quod infra,ſiue ſubter,tectum eſt, vt mulieribus præcipit tecto eſſe capite ad recordationē ſubiectionis, vtraque enim recordatio plurimum ad cōcordiam valere videbatur, quam ſymbolis publicis commendari voluit,& præcepit. Tradit idem Epipha. in eodē loco canonem eſſe Apoſtolorum de nō tonden da barba,quem quidem canonem pręceptum diuinum idem auctor appellat, cauſam vero præcepti huius ſignificat fuiſſe, quia ſit barba tota virilis, & viros decens,quæ quidem cauſa ex iis, quæ ſequuntur in canone,colligi poteſt,ſtatim enim prohibet,meretricio more ornari,vt iam vbi nihil ſit molle, neque effœminatum,neque ſuſpicio,aut ſpecies mollitiei,ibi non ſit vitium tondere barbam,neque vlla præcepti huius exiſtat violatio.ne ſim longior,non perſequor cætera huiuſmodi præcepta,quæ iſti non præcepta Dei,ſed Apoſtolorum admonitiones,aut ſtatuta vt de paſcēdo grege a paſtoribus ſuo more appellabunt incidētes in Epiſtolam Ptolemæi,quam ſupra dixi.ſatis ſit annotaſſe hæc,quæ mandata Domini ſunt,& vim habent,quamdiu cauſa mandatorum exiſtit,vbi vero non exiſtit,neque vitium violationis exiſtit,quāuis non ſeruari videantur,quod quidem iſtos,vt exiſtimo imprimis fefellit,oportebat autem ſpiritualiter, omnia diiudicare,& ſingulorū cauſas inquirere.Præterea,vt ſuadeāt, non teneri epiſcopos lege diuina adeſſe in ſuis ouilibus,& populis,fingunt,non potuiſſe per alios prædicare Apoſtolos, quia eorum (inquiunt) prædicatio pro infidelibus erat ad conuertendum gentes,epiſcopos vero poſſe,quia eorum pręedicatio pro fidelibus ſit,epiſcopo enim dici,vade,& pręedica populo Dei, Equidē(vt alios taceam) Paulum legimus prædicaſſe quidem vbi non fuerat nominatus Chriſtus ab Hieruſalem,inquā, vſque ad Illyricum per circuitum, item prædicaſſe Romæ, vbi iam Chriſtus pręedicatus fuerat prius, quod

ipſe teſtatur,cum ait ad Romanos ſcribens,deſidero vi
dere vos,vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis
ad confirmandos vos,ſcilicet ſignificat verbum confir
mandi,prædicatum fuiſſe illis ante euangelium, ſic.n.
de eo in Actis ſcriptum eſt, profectus eſt perambulans
Galatiam regionem,& Phrygiam,confirmans omnes
diſcipulos,ſcilicet,quibus ante prædicauerat,fuerat in
quam prius prædicatum Romanis a beato Petro,vt ve
teres auctores tradunt,cũ alii,tum Leo magnus in ſer-
mone de Natali Petri,& Theodoritus in Commenta
riis epiſt.Pauli teſtantur.Non ergo Apoſtolorum præ
dicatio pro infidelibus tantum erat, vt iſti fingunt,ne
que verum eſt non potuiſſe eos aliquando per alios prę
dicare,cum ipſi non poſſent eſſe in pluribus locis. Sic
Paulum legimus miſiſſe Timotheum ad Philippenſes,
vt ſcilicet eos exhortaretur,& prædicatione ſua cõfir-
maret.Et ſi epiſcopus aliquis nunc ad infideles mittere
tur,vt eos per Dei gratiam conuerteret, eorumque pa
ſtor eſſet,non enim dicitur epiſcopo,vade, prædica po
pulo Dei,vt iſti dicunt ſed populo tibi cõmiſſo,an non
eſſet dicenda hæc prædicatio epiſcopi pro infidelibus?
imo vero hic non ſolum epiſcopus ſed Apoſtolus, id
eſt, miſſus, vocari poſſet, ſicut Paulus vocauit Epa-
phroditum Apoſtolum Philippenſium,hoc eſt, epiſco
pum,vt Theodor. interpretatur, vel quod verius pu-
to,Apoſtolum,id eſt,miſſum ad eos conſolandi & ex-
hortandi gratia.Hippolytus enim martyr in libro,quẽ
de 70 diſcipulis Domini ſcriptum reliquit,fuiſſe hunc
tradit e numero 70.epiſcopũ vero Andricii. Iamquod
afferunt Valerium epiſcopum Hipponenſem ſubſtituiſ
ſe Auguſtinum, idemque feciſſe alios ſanctos viros,
quod quidem non liceret (aiunt) ſi diuino iure ſanci
ta eſſet epiſcopi reſidentia,fatemur feciſſe hoc Valeriũ
ingraueſcente ætate,tametſi illud nõ recte factum ſit,
quod Valerio adhuc viuente,& epiſcopo,cum eo Au-

guſtinus ſederit epiſcopus contra octauum Nic. Con. Can. quod idem Auguſtinus per imprudentiam ſuam, & Valerii, factum eſſe confeſſus eſt, cum publice omnibus approbantibus Eradium ſibi poſt obitum ſuũ ſucceſſorem epiſcopum deſignauit. atq. vtinam hoc tempore epiſcopi, cum perpetuo reſidere nõ poſſunt, optimos ſucceſſores epiſcopos ſibi deſignarēt, aut deſignari poſtularent, qui, epiſcopo loci abſente, adeſſent ipſi ſemper, quiſq. in diœceſe ſibi deſignata. hoc Petrum feciſſe, auctor eſt Damaſus, & ſanctus Epiphanius, quia (inquit) Petrus & Paulus ſæpe ad alias regiones, & prouincias proficiſcebantur, neque poterat Roma eſſe abſque epiſcopo, idcirco cõſtitutos eſſe epiſcopos Romæ illis adhuc viuētibus, hos autem fuiſſe dicit Linum, & Cletũ, quales vero epiſcopos Romæ fuiſſe Petro ſuperſtite, intelligere debeamus, Damaſus, & Ioannes III. docuerunt, non quidem epiſcopos primos, ſed epiſcopos adiutores primi epiſcopi. primus enim non poteſt eſſe niſi vnus, neque vnius loci plures. Ad hoc credo miſſum eſſe ab Apoſtolo Artemam, aut Tyti-
» chũ ad Titũ, cum miſero ad te inquit Artemã, aut Ty-
» tichũ, feſtina venire ad me Nicopolim, ibi enim ſtatui
» hiemare, ſi non erat remanſurus hic, aut ille, quorſum itineris, & nauigationis periculo, ac labore fatigare eos voluiſſet, ſi tantum per eos accerſere Titum volebat, quod iam ſatis per literas ipſas faciebat? præſertim tales, ac tantos viros e numero 70. aut Hippolytus tradit, quorum alter, id eſt, Artemas, epiſcopus Lyſtræ fuit, Titychi vero duo fuerunt, alter Colophonię epiſcopus, alter Calcedonis. Similiter cum Timotheum accerſit, & feſtinare iubet, Titychum ſe ait iam miſiſſe Epheſum, quorſum vero niſi vt Epheſi remaneret? ne, ſcilicet ciuitas eſſet ſine epiſcopo. Hæc exempla faciunt, vt credam, non quidem vt nonnulli ſuſpicantur, eſſe inutiles, & otioſos epiſcopos ſine poteſtate

populi

populi commiſſi, quos vocant titulares, imo pernecesſarios, vt præſto ſint ad miniſtrandum eccleſiis, cum ad ædificationem ſpiritualem proprios earum epiſcopos abeſſe neceſſe erit, in quibus deligendis non minus diligentiæ adhiberi vellem, quam ſi ſtatim ad proprias eccleſias regendas mitterentur, ita vt quiſque eorum dignus ſit, cui dicatur, accipe euangelium, & vade, prædica populo tibi commiſſo, vel committendo, nihil enim referre exſtimo, non committi ſtatim populum, aut committi eum, cuius adeundi, & regendi non ſit poteſtas vlla propter barbaros, & infideles. Et ſi fortaſſe conueniret, huiuſmodi epiſcopos non prius fieri, quam propter abſentiam proprii epiſcopi ad tempus, neceſſe eſſet alium epiſcopum mittere, ne populus ſine epiſcopo maneret, ſic enim pauciores fierent, & fortaſſe meliores, & non viderentur ordinati omnino ἀπο λελυμένως, vt Græci dicunt, id eſt, ſine titulo eccleſiæ, quod prorſus in preſbyteris etiam, ne fiat, cautum eſt, ſi non fierent niſi propter neceſſitatem ſtatim adminiſtrandi eccleſias abſentibus propriis earum epiſcopis, ex his igitur eſſent, qui poſtquam proprii epiſcopi ad eccleſias ſuas reuerterentur, epiſcopi exiſterent ſine diœceſe, quales ſunt titulares, quorum tanta nunc multitudo, & tam inutilis eſt, qui dici poſſunt ordinati abſolute, quod Damaſus ait in epiſtol. de cho repiſcopis. omni auctoritate epiſcopali carere. Nihil .n. vt dixi, refert non habere diœceſem, aut eam aſſignari, cuius non poſſis eſſe compos. fuiſſe autem aliquando epiſcopos ſine propriis eccleſiis ad tempus, Artemam, & Titychum, illud me mouet, vt credam, quod non videatur veriſimile, relictis ſuis eccleſiis, ad alienas miſſos fuiſſe, imo eundem, nunc ad vnam nunc ad aliam, vt Titychum fortaſſe nunc Cretam, nunc Epheſum. neque puto tantos alioqui viros e numero 70. tanquam ſimplices vicarios miſſos eſſe ad adminiſtrationem ec-

cleſiarum aliquot fortaſſe menſibus ſine poteſtate con
ſtituendi preſbyteros,ſi videretur, & faciēdi quicquid
- ad epiſcopum pertineret. Contendunt adhuc iſti,non
- violari legem diuinam abſentia paſtorum, etiam perpe
- tua,quia per vicarios idoneos prouideri poſſit, iuſſiſ-
- ſe enim Synodum Lateranenſem committere idoneis
- viris prædicationes,confeſſiones, atque viſitationes.
Ipſi viderint quantum habeat ponderis hęc ratio,quaſi
epiſcopus cum præſens eſt, non etiam opus habeat
adiutoribus bonis, atque miniſtris, aut per ſe poſſit
omnes pœnitentes audire,& in omnibus eccleſiis con-
cionari. Grauius erat,& aptius,quod ex eodem conci-
lio Lat.proferre potuiſſent,quodque non paucis, ne-
„ que parum doctis difficile videtur. Sic enim decretum
„ eſt.c.32.qui parochialem habet eccleſiam non per Vica
„ rium,ſed per ſeipſum illi deſeruiat, niſi forte pręben-
„ dæ,vel dignitati parochialis eccleſia ſit annexa, in quo
„ caſu concedimus,vt is qui talem habet eccleſiam, vel
„ dignitatem, cum oporteat eam in maiori eccleſia de
„ ſeruire, in ipſa parochiali eccleſia idoneum & perpe-
„ tuum ſtudeat habere vicarium canonice inſtitutum,ſi
iure diuino ſancita eſt reſidentia, vt quidem eſt, ergo
Synodus Lat.decretum facit contra ius diuinum ,mi-
nime, imo ius tribuit huiuſmodi dignitatem haben-
ti,vt parochiam cōferre videatur, vt iam non tam ipſe
parochus ſit,quam patronus, ſiue collator parochiæ,
neque ille ſubſtitutus, tam dicendus vicarius, quam
proprius parochus,quod intelligi poteſt ex eo, quod
iubet Synodus perpetuum vicarium canonice inſtitu-
tum ponere,Perpetuitas autem & canonica inſtitutio
non ſunt conditiones vicarii ſubſtituti,ſed proprii reſi
dentis,ſicut ſupra dixi. Item eadem Synodus,poſtquam
decreuit ne cui liceret habere duo beneficia cum cura,
ſubiunxit,hoc idem in perſonatibus decernimus obſer.
uandum, addentes,vt in eadem eccleſia nullus plures.

dignitates habere præſumat, aut perſonatus, etiam ſi curam non habeant animarum, circa ſublimes tamen, & literatas perſonas, quæ maioribus ſunt beneficiis honorandæ, cum ratio poſtulauerit, per ſedem apoſtolicam poterit diſpenſari. Hoc quoque caput difficile non paucis videtur, quaſi aliquid contineat aduerſus ius diuinum, ſi iuris diuini ſit reſidentia, verum non ita eſt. Siquidem extrema huius capitis pars exceptionem tantum continet proximæ partis de pluribus dignitatibus, aut perſonatibus non habentibus curam. Præterea, eſto ſit iure diuino ſancita reſidentia, vt quidem eſt, non hoc prohibet, quin liceat aliquando ſi ea ſit perſonæ ſolicitudo, parochiarum vicinitas, non magna frequentia ouium, temporis neceſſitas, raritas bonorum paſtorum, non mediocris ſpes fructus, quin vnus regat duas eccleſias, fueritque ea optima diſpenſatio, & œconomia pontificis id concedere, neque concedere modo ſed interdum quærere, qui eas curas ſuſcipiat. Illud vero maius adhuc argumentum putant, quia poſſit pontifex remouere hinc epiſcopos & alio transferre, quod fieri non poſſet, aiunt, ſi coniugium eccleſiæ, & epiſcopi immediate fieret a Deo, ſicuti fiat eccleſiæ, & Pontificis, quod ſi non ſit immediate a Deo coniugium eccleſiæ & epiſcopi, non ergo ius diuinum eſſe, epiſcopum in eccleſia ſua reſidere, id eſt, ſponſum cum ſponſa ſua præſente viuere ac verſari. Diximus ſupra conſenſum pontificis eligentis, aut electionem confirmantis, & electi epiſcopi facere virtute diuina coniugium eccleſiæ, & epiſcopi, item conſenſum eligentium Cardinalium, & electi pontificis virtute quoque diuina facere pontificem, qui quia ſummus paſtor, & iudex ſit, id eſt, vt omnibus præſit, ideo a nemine amplius, quamdiu fide ſtat, iudicari poteſt, aut mutari, aut priuari, ſed potius ipſe cæteros omnes iudicare, & mutare epiſcopos, ac priuare poteſt. vt ergo non ideo non

poteſt pontifex ab homine mutari, quia fiat a Deo immediate, eſto a deo fiat per miniſterium hominum, alio qui lateret & nos, qui pontificem accipimus, & eum, qui datus eſt, vt pontifex ſit, ſed ideo non poteſt mutari ab homine, quia nemo habeat in eum poteſtatem, imo ad hoc ſit pontifex, vt omnibus pręſit, de omnibus iudicet, & de eo nemo, ſic non ideo poteſt epiſcopus a pontifice mutari, quia, vt iſti loquuntur, mediate fiat a Deo, id eſt, per miniſterium hominum, hoc enim euenit etiam in pontifice, etſi non eodem modo, vt ante dixi. alioqui epiſcopos quoque a Deo fieri immediate oſtendimus ſupra, quare non recte concluditur, ideo nõ eſſe iuris diuini reſidere in diœceſe epiſcopum, quia mediate fiat a deo, valeret enim hæc etiam ratio in pontifice, vt ſcilicet non teneretur iure diuino reſidere in diœceſe ſua, id eſt, inter Chriſtianos, quia mediate fiat a Deo, id eſt, per miniſterium hominum, at hoc non concedent iſti. Ad hæc, ſunt (inquiunt) caſus, in quibus licet dubitare, an teneantur epiſcopi reſidere, & quatenus, & ideo huiuſmodi, quæ variationem, & dubitationem ex emergentibus caſibus accipiunt, determinatio eſt ſapientum, vnde non poſſunt conſtanter dici iuris diuini, vt diei dominici religio, & ieiunium quadrageſimæ, & alia huiuſmodi, quæ ſi ita ſunt, ergo neque vota, neque iuramenta iure diuino iam ſancita erunt, quoniam in ea cadat varietas ætatis, perſonæ, materię, & aliarum qualitatum, Verum diei dominici quietem canone apoſtolorum ſancitam eſſe, ac proinde lege diuina, teſtatur ſanctus Anaſtaſius Sinaites, is qui ſextæ Synodo interfuit, qui canonem recitat, ieiunium vero quadrageſimæ inter præcepta diuina non vno in loco retulit Leo magnus, vt perſpici poteſt ex ſermonibus eius de ieiunio menſis decimi, & de quadrageſima. Imo ieiunia. 4. tẽporum, quadrageſimæ, Pentecoſtes, ſeptimi & decimi menſis a Deo inſtituta, & præcepta

eſſe affirmat, tametſi ante tempora Calixti nondum niſi.3.temporum ieiunium exerceretur, vt ex epiſtola eius ad Benedictum epiſcopum intelligi poteſt. idem aſſerit Ambro. de ieiunio quadrageſimæ in ſuis de ea ſermonibus. Item Baſilius in.2.homilia de ieiunio, & Anaſtaſius in eo libro quem inſcripſit ὁδηγὸν, & alii, quos prætereo. huius itaque ieiunii quadragendialis conſuetudinem habet eccleſia catholica apoſtolorum canone, cuius ſancti patres meminerunt, ac proinde iure diuino ſancitam, Deus enim (vt ait ſanctus Epiph. ſcribens contra Aerium traditiones eccleſiæ contemnentem) dupliciter docet ſcripto & non ſcripto, quod
,, quidem, inquit, Salomon ſignificauit, cum dixit, audi
,, fili ſermones patris tui, & iura ſiue ſanctiones matris
,, tuæ ne reiicias, id eſt, eccleſiæ, quæ in ſe habet conſtitu
,, tiones, quæ diſſolui nō poſſunt, hactenus ille. valeat ergo, cū cęteris hæc quoq; verborū nouitas, quæ nō parū ſcandali, & contemptus affert, non eſſe de iure diuino ieiunium quadrageſimæ, & obſeruationem diei domi nici, aliaque huiuſmodi, & ſi enim notanda ſunt, & diſtinguenda, quæ ſunt a Chriſto, & quæ ab apoſtolis tradita, quæ ſcripto, & quæ ſine ſcripto, tamen non ſunt ex his dicenda alia iuris diuini, alia non iuris diuini, idē enim Deus eſt, qui vtraq; ſanxit, & docuit, ſiue ſcripto, ſiue ſine ſcripto, ſiue per ſe, ſiue per apoſtolos, neque refert ad vim obligādi quomodo ſanxerit, aut docuerit, an per ſe primū, an per apoſtolos ſuos, neutra.n. ſolui poſſunt, cum autem ſolui videntur, diſpenſatio potius eſt, & œconomia, quam ſolutio, aut enim cauſa non ſubſiſtit, aut iam non eſt ita neceſſaria, aut variata eſt, & commutata. Vt in ieiunio.4.&.6.feriæ, quod canone apoſtolorum ſancitum eſt ad recordationem paſſionis Chriſti, ſicuti Dominus prædixerat diſcipulis, tunc ieiunaturos cum ab eis eſſet ablatus ſponſus, quod quidem cœptum eſt.4.feria, cum initum eſt con

ſilium de eo capiendo,& perfectum.6.cum crucifixus, quod quidem ieiunium magis erat neceſſariũ illis tẽporibus,quam nunc,cũ celebratiſſima eſt,& in omniũ memoriis infixa paſſio Chriſti.Quare nõ violant nunc ius diuinum,vt mihi videtur, qui.4.et.6.feria non ieiunant,niſi vbi ea cõſuetudo religio eſt,vt hodie in Græcia,cum non ita neceſſaria ſit cauſa, neque tamen hæc variatio facit,ne dici debeat iure diuino ſancitum fuiſſe huiuſmodi ieiunium. ſed inquirendum potius,vtrũ nunc eo iure teneamur, & cur non & vbi,Similiter ieiunium quadragendiale fortaſſe cœpit ab ἀκρεοφαγία tantum,id eſt,ab abſtinentia carnis,vt in quodam vetuſtiſſimo canone apoſtolorum reperi, deinde clericis eſt indictum a Theleſphoro, poſtea a Leone magno 2. 4.et.6.feria indictum omnibus, nunc vero cunctis hominibus & omnibus diebus,quæ varietas nõ tollit, quin ieiunium quadrageſimæ ſit diuini iuris,quod iſti negandum eſſe putarunt, quia ad pauca reſpicientes hæc,quæ diximus,non diſtinxerunt.Illud præterea nõ diſſimulabo,quod iidem aiunt, Petrum immediate a Chriſto accepiſſe poteſtatem ouium,reliquos vero epiſcopos a Petro,aut ſub Petro,quod,vt inquiunt,dictũ eſſe volunt propter Apoſtolos,qui immediate acceperunt a Chriſto,qui tãquam verus pontifex Petrũ præuenit,fecitque epiſcopos,cum dixit, ſicut miſit me pater,& ego mitto vos &c.Ego præuentionem iſtam,fateor me non legiſſe niſi in iſtorum, & aliorum recentium libris,veteres enim ſancti,cum alii,tum Leo magnus aliter docuerunt, is enim in ſermone de die anniuerſario aſſumptionis ſuæ loquens de Apoſtolis, quibus regendis Petrum præfuiſſe tradit,ſi quid (inquit) cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus, non niſi per Petrum dedit,quicquid aliis non negauit,ſcilicet,quantum ad ordinem epiſcopalem, ac paſtoralem miniſtrationem.Et Euſebius Cæſarienſis libro.7.hiſto

riæ ſuæ eccleſiaſticę, Iacobum ait, primum inter epiſco pos factum a Chriſto & ab apoſtolis epiſcopum Hiero ſolymitanum, & Anicetus in prima epiſt. tradit epiſco pos a clericis, quibus præeſſe debent, eligendos, ab omnibus autẽ eius prouincię cõſecrandos, ſi fieri poſſit, ſi nõ poſſit, a tribus ſaltem auctoritate Metropolitani, & reliquis conſentientibus, idque exemplo (inquit) Iacobi iuſti a Petro, Ioanne, & Iacobo conſecrati. Valeat ergo cum reliquis nouitatibus hæc nouitas præuentionis, teneamus, vt tandem finiam, relictis fabulis, epiſcopos omnes immediate a Deo per miniſteriũ põtificis, & fieri nunc, & ſemper antea factos, fieri inquã, vt ſicut ait Salomon, animas gregis ſui norint γνωσῶσ, id eſt, euidenter, & pro eis vigilent, tanquã rationem reddituri, præſentes, quiſque in ouili ſuo, vt eſt etiã apoſtolorũ canone ſancitũ, alioqui nõ paſtores futuri, ſed alieni, & adulterini, qui cũ perſonã Chriſti principis paſtorũ gerant, & quod ſoli petro tanquã formæ paſtorũ dictũ eſt a Chriſto, paſce oues meas, ad eos quoque tanquam formas gregis futuros per Petrum ad eodem domino dictum ſit, teneamus, debere eos iuxta parabolam euangelii, quæ ad omnes paſtores dicta eſt, ante oues ire, & proprias oues vocare nominatim, ex quo fiat, vt iure diuino tum vetere, tum noua ſcriptura ſancito, in ſuis ouilibus ſemper reſidere teneantur, quamdiu eorum paſtores ſunt. ita tamen, vt ſi propter neceſſitatem magnam, aut magnam eccleſię vtilitatem abeſſe ad breue tempus contingat, non iam abeſſe, ſed adeſſe cenſeantur, ſatis enim fuerit tantiſper dum redeunt, abſentes quidem corpore, præſentes vero ſpiritu eſſe. aduerſus vero paſtores eos, qui alius alia cauſa abeſſe malunt ab ouilibus ſuis id eſt paſci, magis quam paſcere, plena eſt ſcriptura ſancta præſertim prophetarum ſeueriſſimis iudiciis, & horribilibus minis, eſtque hic locus pernecеſſarius hoc tempore ad inculcandum, & retractandũ

frequentiſſime in libris, in eccleſiis, & in priuatis ſermonibus, & a multis, vel exemplo prophetarum, qui idem multi, & vnus eadem frequenter abſque vitio tautologiç ad vtilitatem repetere ſolent, ex quibus commemorabo viſionem illam Zachariæ de ſupplicio in periuros, & fures, id eſt in eos tum populares, tum ſacerdotes, qui poſt reditum Babylone, iuramentum de eiiciendis vxoribus alienigenis & reuocandis ſuis interpoſitum non ſeruarent, vt Eſdras ipſe, qui eos adiurauit, narrat, itē in eos, qui de ſacro Theſauro templi principibus ſacerdotum ab Eſdra credito aliquid auerterent. quæ quidem prophetica viſio in figura tunc cōtigit, vt nunc iſtis, qui eccleſiis prçſunt ſimiliter prophetatum putemus, ſi ſimiliter vixerint, id eſt ſi fidelitatem, præſentiam, & ſolicitudinem, quam ſponſis ſuis eccleſiis promiſerunt, non præſtiterint, & ſi decimarū, atque primitiarum mercedem in furtum, aut rapinam verterint, accipientes ſcilicet, & non operantes, accipientes inquam ſtipendium, & non militantes. ergo vi„ di, inquit, falcem volantem longitudinis cubitorū. 20. „ & latitudinis. 10. ſcilicet magnitudinē & celeritatem „ ſupplicii deſignat, & dixit ad me angelus, hæc maledi„ ctio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ, quia o„ mnis fur iudicabitur, & omnis periurus iudicabitur. Commemorabo præterea quod eſt apud alium prophetam in eos ſacerdotes, qui legem de partibus victimæ ſacerdoti aſſignatis magno ſtudio & diligentia ſeruabant, legem vero de inſpiciendis vitiis victimæ, vtrum cæca, clauda, ſcabioſa, vtrum aure, an cauda carens, an „ aliter vitioſa, negligebant, mittam inquit ſuper vos „ maledictionem, & maledicā benedictionibus veſtris, „ quare non ponitis in cor veſtrum? ecce ego ſeparabo vo„ bis armum, & diſperdam ventriculum ſuper facies ve„ ſtras, ventriculum ſolennitatum veſtrarum, & ſuſcipiam vos in idipſum, & paulo poſt, ego dedi vos contemptibiles,

temptibiles,& humiles in omnes gentes pro eo, quod non cuſtodiſtis vias meas.an non hæc omnia imo maiora mala,& ſupplitia propoſita ſint iis ſacerdotibus, atque paſtoribus animarum,qui parum curant videre? imo & ſi velint,quia abſentes ſunt,videre non poſſunt vtrum ii,quibus præſunt & quorum habent curam impoſitam,cæci ſint,id eſt non habentes lumen veritatis, vtrum claudi,id eſt non recte ambulantes & ad veritatem euangelii,vtrum ſcabioſi,id eſt,ſanam doctrinam non ſuſtinentes,ſed ſecundum deſideria ſua coacerbantes ſibi magiſtros,prurientes ipſi auribus, vtrum aure careant,id eſt auertant auditum a veritate, ad fabulas autem conuertantur,aut audiãt quidem verbum Dei, non tamen faciant illud,quod eſt, nõ habere aures audiendi, id eſt, non eſſe promptos ad obediendum auditis,vtrum habeant cicatrices, id eſt cauteriatam conſcientiam ſenſu peccatorum ſuorum amiſſo. Vtrum careant cauda,id eſt gubernatione recta non ſolum eccleſiaſtica,ſed ciuili,Cauda enim qua auium volatus, ceu nauis clauo dirigitur, ſymbolum eſt gubernationis quam inde Græci dicunt οὐραγίαν vtrum ſciſa lingua, id eſt,non offerentes laudes fructum labiorum cõfitentium nomini Dei,denique vtrum aliis vitiis affecti ſint,quæ prohibeant, ne offerant corpora ſua hoſtiam viuentem ſanctam, Deo placentem. tamen qui hæc non curant,iidem tamen vbicunque terrarum, & locorum ſint,decimas,& primitias diligentius & cautius fortaſſe curant,quam ſi præſentes eſſen . quibus per Malachiã Dominus inquit, mittam maledictionẽ ſuper vos,& maledicam benedictionibus veſtris,benedictiones appellat fructus ſacerdotii, & participationes altaris,maledictionẽ autem ſupplitium.deinde cauſam ſubiungit,quia inquit, nõ poſuiſtis in cor veſtrũ, id eſt,non conſideraſtis,prius honorandum eſſe Deũ, deinde fruẽdum honore & fructu ſacerdotii, prius in-

quam miniſtrandum altari & plantandam vineam, deinde de altari participandum, & de fructu vineæ edendum, ecce ego ſeparo vobis armum & diſperdam ventriculum ſuper facies veſtras, ſeparo inquam vobis ſacerdotibus ac paſtoribus decimas, & primitias, ipſe.n. Dominus conſtituit vt miniſtri altaris de altari viuerent. Deinde ſequitur, & diſpergam ſuper facies veſtras, ideſt cedent vobis tandem in incõmodum & cõtumelias, & ſuſcipiam vos in idipſum, id eſt, vt me inhonoraſtis, inhonorabo vos, quæſo quid habebũt iſti, quod reſpondeant pro ſe, & excuſent, cum in cõſpectu Dei arguentur, neglectis eccleſiis, quæſiſſe quæ ſua ſunt, non quę Ieſu Chriſti? id eſt nõ fuiſſe ſolicitos pro animabus gregis in fidem ſuam recepti, pro quo Chriſtus animam ſuã poſuit ſed pro lana & lacte eius? quis eos defendet, cum ante tribunal Chriſti conſcientia eos accuſauerit auaritię, vt olim Dominus apud Eſaiã accuſabat ſeniores & principes, qui inter ſe inquit Hieronymus, differebant, ſicut apud nos preſbyteri & epiſcopi, mi popule, inquit, exactores veſtri calamos colligunt, & qui exigunt, dominantur vobis, Dominus in iudicium veniet cum ſenioribus & principibus. vos.n. depaſti eſtis vineam meam, & rapina pauperis in domo veſtra. quare atteritis populũ meũ, & facies pauperũ pudore afficitis? quẽ locum imitatus Petrus, ſenioribus & preſbyteris pręcipit his verbis paſcite, inquit, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes, nõ coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, neq. turpis lucri cauſa, ſed prompte, neque dominantes in clero, &c. & quẽadmodum poterunt iſti crimen illorum exactorũ, effugere, ſi nimium diligentes fuerint, multũque in eo cauti & prouidi, vt populus decimas etiã ex minimis ſoluat, quæ autem ſunt grauiora iudicium, miſericordiã & fidem minime doceant, neque doctrina neque vitæ exẽplo forma gregis facti corã, vt debẽt, immemores

quid Dominus dixerit ſcribis,& phariſęis, qui ex ruta, anetho & cimino decimas exigebant, quos eoſdē puto eſſe qui apud Eſaiā exactores, Illi ſeniores,&principes, qui ſimiliter neq. calamis parcebant. hæc,inquit, oportuit facere & illa non omittere, perinde atq. diceret in primis plantandam eſſe vineā fide,& charitate, ſecūdo loco de fructu eius edendum, primum paſcendum eſſe gregem, deinde de lacte eius manducādum, dignus eſt enim, ſicut Dominus ait, operarius mercede ſua. ſi quidem nemo militat ſuis ſtipēdiis. præterea ſcriptum eſt in euangelio, ſi ergo offeres munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo,& tunc veniens offeres tuum, atq; hic quis non videt, quemadmodum non vnus, aut duo, ſed tota eccleſia habet nō aliquid, imo aliqua aduerſus paſtorem ſuum abſentem propter abſentiæ incommoda infinita? merito ergo iſtis dicit Dominus, quod illis, qui vitia victimarum nō curabant & vxores quoque ſuas eiiciebant, non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus & ſacrificium non ſuſcipiā de manibus veſtris. dici enim poteſt his ſacerdotibus ſimiliter atque illis olim, qui vxores ſuas relinquebāt, quæ miſeriam ſuam,& calamitatem lugebant, operiebatis, inquit, altare lachrymis, & fletu, ita vt non reſpiciam vltra ad ſacrificium, neque accipiam quid acceptabile de manu veſtra. Vbi ergo ſunt, qui iſtos, priuſquam eccleſiis ſuis, quibus vſq. ad lachrymas incommodarunt, ſatisfecerint abſoluunt, imo vero qui ſe, & illos ſcelere obligant? De eis vero, ad quos in primis pertinet huiuſmodi reſidentiam paſtorum curare, pontificem dico & reges, Deum omnes precemur aſſidue, vt ſicut de Ieſu filio Ioſedech ſacerdote magno, & rege Zorobabele prophetauit Zacharias, conſilium pacificum ſit inter ipſos cum ad alia bona perficienda, tum

ad hoc de pręſentia paſtorum in ſua cuiuſque diœceſe,
& parochia prouidendũ,quod ex ipſis & vniuerſo gre
gi Chriſti tam neceſſarium eſt, vt dubitem vtrum ſit
aliud in vita magis,imo certum habeam non eſſe. ſane
euenit hac noſtra ætate,quod Dominus per eundẽ pro
phetam de malis ſacerdotibus dixit,in paſtores iratus
eſt furor meus,non enim eſt alia ira Dei maior,quam,
vt eſt in ſapientia,cum corripitur homo a ſuperueniẽ-
te iniquitate. Supereſt ergo precari Deum, vt eueniat
nobis iam quod ſequitur in eodem prophetæ loco, &
viſitabo agnos meos.ipſe ergo viſitet gratia ſua & ſuo
ſpiritu veritatis doceat ſemper quæ vera & ſalutaria
ſunt, profana vero illa vaniloquia, & ſcandali plena,
quæ ſicut Apoſtolus ait, multum proficiunt ad impie-
tatem,& velut cancer ſerpunt, quæ ſatis hactenus cõ
futauimus, ſana doctrina & forma ſanorum verborũ,
quæ ex ſanctis didicimus,muniti & inſtructi vitemus
diligenter,non eſſe in euangelio pręceptum de reſiden
tia epiſcoporum, nulla Dei voce epiſcopos fieri, eſſe
quidem epiſcopatum inuentum a Chriſto,ſingulos ta
men epiſcopos a Petro creari, pontificem immedia-
te eſſe a Deo, epiſcopos autem immediate a pon-
tifice,parabolam boni paſtoris non eſſe dictam ad o-
mnes paſtores. Item illud verbum, paſce oues meas
ad neminem pertinere niſi ad Petrum, & ſucceſſores,
in pontifice nudam electionem eſſe per homines ſi-
ne collatione poteſtatis papalis, tum Apoſtolos fa-
ctos epiſcopos per præuentionem a Chriſto ſolum ſine
miniſterio petri principis apoſtolorum,pręterea præce
pta Pauli,quæ in eo ſolo leguntur, quæ iſti admonitio
nes & ſtatuta vocant,non eſſe præcepta Dei, ſimiliter
legem Moiſis non eſſe proprie legem Dei. ad hæc ca-
nones apoſtolicos de ieiunio quadragendiali, & quie-
te diei dominici,& alias huiuſmodi traditiones,& cõ-
ſuetudines eccleſiaſticas non eſſe iuris diuini ſaltem

non ſcripti, hæc inquam noua, & eccleſiaſticis viris inſolita, & inaudita, aliaque huiuſmodi ſummo ſtudio vitemus, eos vero qui ea aliquando tradiderunt, ac docuerunt, obſecremus cum omni reuerentia, & obteſtemur, vt meminerint, quod ſupra dixi ſcriptum a Leone magno ſanctiſſimo, id quod ſapientiſſimo cuique, & optimo conuenit, tunc optime veritatem defendi, cum opinio falſa à ſuis auctoribus damnatur, idem me omnium minimum facturum polliceor, ſi quid hic, aut vbicunque alias, & a quocunque erraſſe admonebor, imo habiturum me illi maximas gratias, ego enim omnes ab errore viæ ſuæ, ſicut me ipſum, liberatos vehementer cupio, vt lex charitatis præſcribit, quæ non æmulatur, non perperam agit, nō inflatur, congaudet veritati, quæ omnia ſuſtinet, & omnia ſperat in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo, & per quem Deus pater vna cum ſancto vtriuſque ſpiritu regnat in ſæcula ſæculorum.

Amen.

PER uiſcera Domini noſtri Ieſu Chriſti obteſtor epiſcopos omnes, & preſbyteros, quicunq. ſunt paſtores ouium, pro quibus bonus paſtor Chriſtus Ieſus animam ſuam poſuit, ut has Athanaſij Patriarchæ Conſtantinop. epiſcopi ſanctiſs. & ſapientiſs. epiſtolas quas e Græco in Latinum conuerti legant, & relegant attentiſſime, ex quibus intelligent, ſpero, non ſine magno fructu, quæ ſit muneris paſtoralis ratio, & lex.

ATHANASIVS PATRIARCHA CONſtantinopolitanus, Epiſcopo Cretæ volenti proficiſci ad epiſcopatum ſuum.

CHARISSIME mi frater, & cōminiſter, gratia tibi & pax a Deo. Conſilium iſtud tuū, ac voluntas, quæ ad aures meas perlata eſt, fortis, viriliſque animi, ac ſurſum tantum aſpicientis, verique paſtoris, vere, ac legitime certantis, & nomini, ac vocationi ſuæ reſpondentis viſa eſt, non autem mercenarii, & fugientis non ſolum ſi lupum videat, ſed ſi vulpem, vnde gregi Chriſti principis paſtorum damnum creet, & animæ ſuæ infinitos præparet cruciatus. Cur enim iſte non potius vitam priuatam viuere maluit, ſi cogitabat ſuccumbere, ſeque, non oues paſcere, pro quibus ſanguinem ſuum Chriſtus profudit? quemadmodum non venit huic in mentem eius, qui maledicto eum affecit, qui opus Domini facit negligenter? quamuis facere, nomine ſimulet, in cuius alioqui animo inſidet, quod de inſipiente ſcriptum eſt, qui dixit in corde ſuo, non eſſe Deum. neque enim Deum ponunt, qui hæc in conſpectu eius facere audent. ex quorum numero, & ordine faxit Deus, ne ſimus, aſcribatque nos inter fideles diſpenſatores, concedatque benigne, vt præſto ſimus principi paſtorum, ad perficiendum quæ oportet, ponamuſque animas pro ouibus eius, qui ſimul & demonſtrauit, &

edicto ſanxit, quod omnibus paſtoribus, ſi quando alias, hodie maxime conuenit, cum nõ ſolum lupi graues, impii, inquam & hæretici, in gregem Domini irruunt, ſed ex nobis ipſis, vt Apoſtolus ait, viri, & mulieres non verentur Chriſtianos a Chriſto diſtrahere, & auellere. quamobrem veris paſtoribus non eſt tutum non vigilare, & non circumquaque omnia luſtrare, oueſque errantes ſolum quærere, ac non magis ſoli citos eſſe pro iis, quæ non errant, perterritos horum temporum tenebris, quæ iuſto Dei permiſſu, ac iudicio nobis illatæ ſunt, quia ſcilicet non ita viuimus, vt eum decet, qui nos vocauit. ſed O animarum noſtrarũ detrimentum, O ingentes pœnas nobis ob noſtras libidines, & perturbatas voluntates, quæ hoc malum peperunt, infligẽdas, hoc inquam malum, vt gens ſancta per omnes campos, & montes vitio paſtorum abſentium diſperſa ac diſſipata eſſet. quare quo celerius iſtud tuum debitum tibi inſpiratum perſolueris, ſanctumq; propoſitum perfeceris, tanto cum maiore lucro perfeceris. debent hoc facere omnes boni paſtores, quicunque hoc nomine digni ſunt, ita vt qui ceſſarit, non ſit impune ceſſaturus, etenim ſi quiſque paſtor in diœceſe, quæ ſibi obtigit, vel biduum moretur, experiri liceat permulta peccata, & damna non eſſe futura in populo. perinde namque eſſe videtur gregem abeſſe a paſtore, vt cœcum duce carere. ſane augentur oues, & in tuto ſunt, cum præſunt veri paſtores, non autem qui ſolum ebibant lac, & lana tegantur, omnique ſtudio, & arte ſeipſos, non oues paſcant. quod malum Deus ab ouili noſtro auertat, multiplicetque in eo potius quicquid diuinũ eſt, Deoq. gratum. etenim ſi quod de te auditũ tãtum eſt a multis, de tuo ad diœceſem reditu, quod alioqui ab omni epiſcopo fieri debet, cõtinuo viſum eſt omnibus laudabile, nempe oues ablatas fortiter recuperare, non ablatas conſeruare viriliter, interdum

etiã alienas adiungere ad noſtras, tum errantes & amiſſas, quoad fieri poſſit, quęrere ac veſtigare, & inuentas in humerum magno conatu imponere, ad eccleſiaſque reducere in numerũ eorum, qui ab errore alieni ſunt, hæc inquam, quam grata Deo, & Deo deditis fuerint? idcirco quod voluiſti, quia honeſtiſſimum erat, laudauerunt cordati, & prudentes omnes, & in primis imperator ipſe, qui nõ ſolum approbauit, ſed magnifica verba fecit nactus hanc occaſionem eccleſiæ vtilem, imitatus eloquentiſſimum illum virum, cum quo, quoties pro eccleſia illi dicendum eſt ad vtilitatem multorum, nemo orationis ſuauitate, copia, & elegãtia certare poteſt. & vſque adeo, vt dixi, propoſitum, conſiliumque tuum, aptum & congruens viſum imperatori eſt, vt Synodicis literis, & edicto ſuo decreuerit, vt ex epiſcopatu Metropoli Mononbaſienſi ſubiecto ducenti aurei annis ſingulis tibi redderẽtur, quo etiam beneficio nos obligauit, vt non ſolum propter religionem imperatorem laudemus, & pro eo omnes eccleſiaſtici preces adhibeamus, ſed propter variam, multiplicemque beneficentiam, atque prouidentiam. hoc exemplo factum eſt, vt epiſcopus Sardenſis præ ſtudio, & cupiditate eundi celeriter ad requirendas oues ſuas, non excuſarit pericula, impedimenta itineris, ſenectutem, temporiſque incommoditatem, quas omnes difficultates vicit animus ipſius promptus. quem imperator cum laude dignum iudicaret, & ad debitum munus, atque ſalutare excitare vellet, prouidit, vt eſſet, vnde illi neceſſaria commode ſuppeterent. ſcilicet ſuo conſilio, & auctoritate perfecit, vt decreto Synodi, & edicto regis, Metymnẽſis metropolis ei adiiceretur, vt tibi hactenus adiecta fuit, idque duplici nomine, & cauſa, & vt Metropolita præſidio ſeptus eſſet ad regendum, & vt populus ipſe Metymnenſium commodius, faciliuſque regeretur, ac propter vicinitatem oues ſcabioſæ curari poſſent

ſent opportunius,tum bene valẽtes conſeruari,& exci tari ad honeſta opera.Vtrumque enim veſtrum maledicto afficit ſcriptura ſancta,ſi cum ſitis paſtores, non vſque ad ſanguinem in iis, quæ diximus, efficiendis perſiſtatis. donec vt confidimus, Deus nobis propitius,pacem,tranquilitatem,ac ſalutem cuiuſque paſtoris gregi reſtituat,quod vt faciat, placandus, flectenduſque nobis eſt,& noſtris recte factis,obedientia, & vita Chriſtiana implorandus.ita enim fiet,vt legem di uinam ſeruantes, quæ turpiter viuẽtes iuſte amiſimus, precibus beatæ Mariæ reſtituantur. Vale in Chriſto.

ATHANASIVS PATRIARCHA CONſtantinopolitanus epiſcopo Sardenſium.

NOSTI, quemadmodum ſapientia diſcipulos ſuos doceat, ne (inquit) reprehendas ſceleratos, ne te oderint, tanquam ſapientes tantum reprehendere oporteat,vt quicunque fratres amant,viciſſim amẽtur, opportune hinc principium ſumpſiſſe videbor, qui ad te virum ſapientem, & in literis ſanctis eruditum, ſcribam.Scio te non ignorare, quæ a ſanctis apoſtolis de conſtitutione rerum eccleſiaſticarum ſancita ſunt, ex quibus vnum eſt,vt quiſque paſtor intra ſuos fines inſiſtat propter pacem, & charitatem, quarum eſt Ieſus arctiſſimum vinculum,quod ſolui non poteſt.ſcis præterea,vt quales nos eſſemus, appareret, quibus notis verum paſtorem deſignantibus magnus ille pontifex Chriſtus munus paſtoris diffinierit, nempe mutua in illum charitate.Deinde nõ ignoras ornatum probi paſtoris,qui ſit animas gregis ſui euidenter cogniturus, de quo ſcriptum eſt bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis,& quod Gregorius cognomento theologus ediſſerit,non vnumquemuis diſcipulum ad euã-

gelium mitti, neque qui mittitur, quomodocunque mitti, ſed qui veritatis, virtutiſque ſtudio tantum intentus ſit, vacuus, & expeditus omni cura, omnique impedimento liber, ſine ære, ſine virga, vna tunica, nudis etiam pedibus, tanquam non poſſint aliter ſpecioſi eſſe pedes euangelizantium pacem, & cætera bona, intellexiſti etiam, quis ſit mercenarius, & qualis, de quo pudet me tum dicere, tum tacere, cum ſatis ipſe ſtatus temporum, & rerum eum oſtendat, atque coarguat. de quo ſi attente audiam prophetas, cum in mei ſimiles paſtores his verbis inuehũtur, paſtores paſcunt ſeipſos, non oues, & illud, o paſtores, qui perditis oues paſcuę, item pretio reſpondent ſacerdotes, ſacerdotes legem Domini occultarunt, & legem meam violarunt, & ſancta mea profanarunt, item illud, lanis ouium indui, & mactare, quod pingue eſt, lac bibere, hæc inquam attente audiens, quid faciam, ne metuam eos, qui me redarguunt, & clare ob oculos mihi ponunt, qualis ſim? quæ ſi fabulas putat, qui in ignem illum extremum nõ intuetur, mihi certe non fabulæ, ſed ita horribilia omnia eſſe videntur, vt horrore exedant, cõſumantque medullas. neque tamen curamus, facere pro viribus, ne propter aliquod ex his vitium, ac ſcelus, conſtricti vinculis arctiſſimis, pœnis ſempiternis afficiamur, ſed potius damus operam vanis contentionibus, iudiciiſque ad libidinem noſtram corruptis, aut ab eo, quod fieri oportuit, abducimur. quæ enim facere ſolent, qui ſtatum eccleſiæ perturbare moliuntur, hæc iſti quęſtus gratia faciunt, ſcilicet cum a principio cõſtitutũ eſſet, vt lis quoque anno Synodus haberetur, poſtea vero commodius videretur haberi ſemel, ne oues propter crebram abſentiam paſtorum facile a lupis inuadi poſſent, noſtra nunc ætas neſcio an aliquid prudentioris cõſilii prouidens, an corruptius iudicans, hoc quoque ſuſtulit, vnde grauia, & noua mala ſuſcitauit, & curam

paſtoralem in pecunias pauperum corradendas contu tulit, grege lupis relicto, magna vero diligentia, & vigilantia locum epiſcopi ornarunt, vt deſertis ſuis gregibus apud reginã Cõſtantinopolẽ accubarent, deniq. maluerũt breui voluptate cõtenti carni indulgere, quã cũ populo Dei laborare contẽptis legibus diuinis, quæ prohibent, ne paulis per quidẽ impune a grege abeſſe. ac niſi vt Apoſtolus ait, inimicus viderer verũ eloquẽs, poſſem aliquid vere dicere, quid quęſo, iuuat iſtos epiſcopos, & paſtores in vrbe morari, niſi (omittam alia) vt Patriarchas, alios moueant, alios eligant, ne ſi idem diu ſit Patriarcha, res omnes eccleſiaſticę cõpoſitę ſint: quod præclarũ facinus ex eo tẽpore facere iſti cõſueuerunt, ex quo Cõſtantinopole potiti ſumus. quod quidẽ cũ reliquis malis, nõ eſt ambiguũ, & incertũ, quin irã Dei nobis augeat. quãdoquidẽ toleraſſe Deũ mundi peccatum didicimus, eremi vero peccatũ nequaquam, ſimiliter veriſſimum eſt, neque paſtores, qui gregem negligunt, impunitos, inultoſque diſceſſuros, tametſi fortaſſe non ita videatur iis, qui ſponte velamen obtẽdunt, ne limatam euangelii veritatem aſpiciant, Sicuti cum Moiſes legitur populo Iſrael. quos quidem exiſtimabam ſublato iam velamine, reuelata facie videre, ſed o calamitatem, & miſeriam. vt tempore ipſo facile mala ſubeunt, quale eſt hoc monſtri, quod nũc ortum eſt, vt reperiantur epiſcopi, qui tantum dent cõſilium, ſuamque dicant ſententiam, non autem qui decreta, ſententiamque maiorum tum priuate, tum publice cõfirment, & ſanciant. ita vt iam in cauſis pauperum nobiſcum quidem ſentiant, qui pariter iudicant, non tamen in cauſis diuitum, atque nobilium, quamobrem non conuenit mihi cum his confeſſoribus iudicibus iudicare. ſi pax munere Dei, conſecuta fuerit, & concilium frequens cogi contigerit, corrigẽtur hæc omnia, quod ſi ſecus euenerit, quandoquidem neſcimus, quid

proximus dies ſit allaturus, iudex ille, qui falli non poteſt, eccleſiæ ſuæ conſulet. hoc te ſcire volui, ne moleſtum eſſet venire. Vale.

ATHANASIVS PATRIARCHA CONſtant. Epiſcopo Apameæ.

GRATIA & pax tibi a Deo omnipotente. exiſtimo te nō ignorare, quid Baſilius ille magnus ad Gregorium ſcripſerit de eo, vt excluderet mulierculam, quam domi habebat. & quēadmodum iuſſerit, vt niſi ſtatim excluderet, ceſſaret ab officio ſacerdotali redditurus Deo rationem ceſſationis, futuruſque cuncto populo anathema, ſi non ceſſaret, ſed potius abſque reuerentia ſacra myſteria Deo offerret. quibus verbis demonſtrauit, quantum damni, & iacturæ faceret, qui dignitatem adeptus, non exerceret miniſterium recte, & aſſidue. Sunt itaque facta ſanctorum patrum exempla nobis, vt quę nobis faciēda ſunt, cum iis comparemus, quæ gratia ſpiritus ſancti per eos aſpirauit. in quæ aſpiciendum eſt, vt in ſolem aſpicere ſolent, qui lumen deſiderant. quamobrem tibi hoc exemplar in ſculpimus, vt quando quidem eccleſiam tibi commendari voluiſti, gregem Chriſti ad paſcua viridia, & ſalubria omni ſtudio agas, & ducas, defendaſque eum a beſtiis nō quibuſcunque, ſed Arabicis, tum corporalibus, quæ cernūtur, tum ſpiritualibus, quæ non cernuntur. & vt debet verus epiſcopus reſideas ſancte ad ſanctam arā, de qua tibi participandum eſt, ſicuti Dominus pronunciauit, dignum eſſe operarium mercede ſua, quamobrem non eſt exiſtimandum, licere tibi Diu quauis de cauſa abeſſe. quin potius faciendum tibi eſt, vt celeriter ire poſſis ad eam eccleſiam, quæ tibi addita eſt, & commēdata, vt ei præſis, hoc autem facies, ſi prius reſtitui feceris, quæcunque ſiue te conſcio ſiue non conſcio ſur-

repta eſſe conſtiterit, vt benigne Deus ſua cuique noſtrum tribuere velit, quod erit ſuo tempore iocundiſſimum, quæ quidem ſublata ſunt ab iis, qui hanc labem epiſcopis aſpergere volunt, vt dum ipſi aliis inſidiantur, & iniurias inferunt, culpa in eos, qui mali paſtores ſunt, transferatur. alioqui quemadmodum ire licebit in aſpectum eorum, quorum damna & iniurias inhumane contempſeris? a quo tamen omni ſe iniuria liberandos eſſe ſperabant. aut quemadmodum cogemus eos, vt magiſtrum ferant, niſi quod Zachæus faciebat, hoc idem nos fecerimus? ille enim ſi quid aliquem defraudabat, reddebat quadruplum. & Dominus pios omnes iubet ab auaritia abſtinere, quod quidē qui non fecerit, & docuerit, quemadmodum non erit anathema populo? eſt enim peius non facere hoc, quam quod Gregorius ille, quem dixi, fecit, quanto facilius, & leuius id mali potes corrigere, alioqui vtrumque, imò quicunque non emendantur, a Chriſto principe paſtorum punientur. ergo poſtquam hoc perfeceris, veni ad nos, vt literis acceptis, a nobis abſoluaris, & confirmatus eas bona conſcientia ad munus paſtorale adminiſtrandum. quamdiu enim non vereberis hæc, quę facis, facere, nos quidem, te a diœceſe tua abſente, rei non erimus tuæ vacationis, eorumque malorum, quæ ex abſentia, & vacatione naſci neceſſe eſt, neque eorum bonorum interceptores, quæ ſi adeſſes, opere, & ſermone facere poteras, & debebas. Concedat tibi, cunctiſque fidelibus Deus, quod commodum eſt.

ATHANASIVS PATRIARCHA Epiſcopo Apameæ.

TERTIO iam ad te ſcribo mi frater, & comminiſter, quando quidem binis meis literis ſuperioribus, quas ad te miſi, non ſtetit verbū velut in ore duorum teſtium, ſicut ait ſcriptura ſancta. hortamur ergo

te, quia hoc ius poſtulat, vt quæ ſurrepta ſunt, iis, quibus ſurrepta eſſe cōſtat, reſtituantur, vt cum reſtituta fuerint, ipſe eccleſiam tibi commēdatam adire poſſis, eumque honorare, a quo cuncta ſunt ita iuſtis & mirificis modis diſpoſita, atq. diſtributa, vt vel grues ſuo tempore canant, neque ſint omni tempore, neq omni loco graculi. ego vero eum, cui grex Chriſti cōmiſſus eſt, ſi dignitatē muneris norit, iniquum eſſe arbitror, non vſque ad ſanguinem aſſidue ei ſtudere, & incumbere, niſi forte ignorat is, Deum eſſe, qui dixerit, Petre amas me, paſce oues meas. ſed hei mihi, non iam paſtores oues paſcunt, ſed ouibus tanquam pane paſcuntur. iam horribilia illa mala malorum paſtorum, quæ propheta Ezechiel deſcribit, ſumma licentia, irrepſerunt. quæ ſi talia, tamque grauia vobis videntur, age optime vir, cōtentus eſto tua diœceſe, permane in ea, fac ſis cum ouibus tuis, vſque ad ſanguinem illis affixus, quas quidem nunc in myrtetis, inter ficus, & roſas, atque in montibus diuina prouidentia cuſtodit. neque enim quod certiſſimum eſt, virga, & baculo tuo paſtorali fit, vt in paſcuis virentibus pacis, & bonorum cœleſtis Hieruſalem eæ ſint. ſcis enim, qui amplius ſex menſibus a diœceſe abfuerint, niſi eos grauis morbus teneat, canonibus, & legibus firmatum eſſe, vt ſacerdotium, & gregē amitterent. Verum nouum conſilium, & ſceleratum hic a noſtræ ætatis hominibus excogitatū eſt. ſcilicet mittitis aliquem, qui ſciat mulgere gregem, ipſi vero in vrbe Conſtantinopole expectatis propter præfecturas ciuiles, ſubſcriptiones, intempeſtiuas ordinationes, adde etiam bulas, & decreta, & tanquam impune ſit vobis futurum, ita procul a diœceſe vobis cōmiſſa receditis, & alia huiuſmodi, vt cuiquelibet, cōmittitis. oportebat potius, cūctis epiſcopis vndique in vnum congregatis, ſuam cuique diœceſem funiculo diſtributionis circumſcribi, atque

ita patriarchę partem ſuam a vobis aſſignari, aut vos a patriarcha priuari. & quid prodeſt, laboraſſe vos in deligendo ac conſtituendo patriarcha, ac poſtea inſultare, & efferri in eum? & vita ipſa, atque factis irridere? nulla, ne ad breue quidem tempus, canonum, & legũ ratione habita, quem ſi veſtris fortaſſe libidinibus reſiſtere videatis, continuo crimina fingitis, & eum cum infamia, atque dedecore eiicere cõtenditis. ad quid vero neceſſe eſt, ad ſuam quemque diœceſem ire, propriã dico, aut ſibi commendatam, niſi vt lupos inde arceatis? quod ſi fortaſſe huc vos incitat, & trahit tum ſtudium, atque deſiderium conſulendi multorum ſaluti, idque vobis propoſitum eſt, tum ſcientia tam multa, vt hinc poſſitis, etiam quæ extra fines veſtrarum diœceſeon poſita ſunt, gubernare, ad extinguẽdam ſitim hanc, huiuſque ſtudii ardorem veniat in mẽtem illius, cui plurima ſanctarum literarum ſcientia theologi cognomentum dedit, illiuſque paruæ ſaſimorum diœceſeos, ita vt vel propter reuerentiam illius excellentis viri, vel propter æqualitatem honoris, quo contenti eſſe debetis, quiſque veſtrum intra ſuos ſe fines contineat. quãobrem exiſtima frater, deberi a te hoc vſque ad ſanguinem, vt cum ouibus tuis ſis, & viuas, hoc idẽ cæteris epiſcopis ſtudium eſto, ipſis quidem, eorũque gregibus ſalutare. neque enim hoc præſertim tempore ſupplitia effugiet paſtor, qui cum grege non laborat, in quem profecto conueniat, quod Dominus ait, videt lupum venientem, & relinquit oues, & fugit, & lupus rapit eas, quæ qui non audit, ſententiæ huius auctorem contemnit. etenim niſi hoc fiat, quorſum iſte veſter conuentus? quid commodi affert? aut ſi quid boni hic agitis, dicite. Ego enim, niſi ſacerdotio labem aſpergeret oratio, multa demonſtrarem indecora, & ab eccleſiæ conſtitutione aliena, quæ ex iſto veſtro in hanc vrbem conuentu proficiſcuntur.

HANC epiſtolam uerti, ut intelligerent, qui mali paſtores ſunt tametſi præſentes in diœceſe, non licere ſibi præſentibus munere paſtorali, ſiue miniſterio epiſcopali fungi, id.n. ſummæ eſt irreuerentiæ & ſcandali plenum, ſed præſtare abſentes eſſe, at tunc reos quidem eſſe uacationis ſuæ, & abſentiæ. itaque non licet eſſe præſentes, ſi mali ſunt, & abſentes non erunt impune, quia ſcilicet ipſi in culpa ſunt, cur non liceat, præſentes eſſe, ut quidem eſſe debent, ita fit, ut præſtet eis mori, & ex hoc mundo exire, quam furijs conſcientiæ agitatos nuſquam abſque peccato officij ſui ſanctiſſimi conſiſtere.

ATHANASIVS PATRIARCHA CONſtant. epiſcopis ad diœceſes ſuas proficiſcentibus.

SI quid eſt aliud neceſſarium, idque omnibus, maxime eſt fratres, & compaſtores mei, neceſſariũ præſertim magiſtris eccleſiæ ſacram ſcripturam reuereri, metuere, & diligenti perſcrutatione examinare, atque ad perficienda, quæ in ea mandata ſunt, promptos, expeditoſque eſſe cunctos Chriſtianos, niſi prorſus inſaniant. Dominus enim eſt, qui hortatur perſcrutari ſcripturas, & ex eis tum præterita, tum pleraque in poſterum futura diſcere, & docere. vnde ſalutis ſuæ cupidis ſemper ſtudium fuit Moiſem, & prophetas audire, Verbum enim iudicat nos, vt is, qui mentiri non poteſt, docuit. quare omnis ſcriptura diuinitus inſpirata ſalutaris, & vtilis eſt ad examinandum, quod conueniens eſt, & honeſtum, & ad erudiendum, atque corrigendum, vtilis inquam, non ſolum iis, qui turpiter viuunt, ſed magis iis, qui ſobrie, & continenter, iis vero, qui paſtorali dignitate, & gradu qualicunque præditi, & ornati ſunt, eſt ipſa vita æterna, & lucerna pedibus eorum, viaque certiſſima ad faciendas Dei iuſtitias. Ex ea enim didicimus, per quem, & a quo facti, & ad quem tendamus, quibus quidem iniunctum eſt

eſt munus docendi,& non vtcunque, ſed ita paſcendi, vt eum, qui paſcere dedit, viciſſim amemus, ſcientes, quis eſt,qui venit, & iterum venturus eſt ad iudicandum viuos, & mortuos,& ſcientes quod paſtores,qui Dei præcepta, vel propter reuerentiam, vel metum, vel propter charitatem ex animo ſeruarint, ad dextrã poſiti incredibili ſplendore fulgebunt, qui vero non ſeruarint,ad ſiniſtram erunt ad omne genus cruciatuũ damnati,& quod eſt omnium intolerabiliſſimum, atque acerbiſſimum,procul a conſpectu Dei eiecti, & perpetuo conſcientiæ morſu exagitati.rurſus vero qui munere paſtorali recte defuncti fuerint coram angelis, & hominibus laudabuntur,vtpote probi,fideles, & prudentes, atque grati, quique ſal, & lumen fuerint hominibus,nihil, quod vtile, atque commodum eſſet, prætermittentes, qui non verbis ſolum,ſed factis & virtutes tradiderunt, & vitia expulerunt, cunctis præcipientes, vt declinarent a malo, & facerent bonum. ad quod quidem bonus Deus legem non ſcriptam naturæ inſculpſit gratis, deinde ſeruos mittere non deſtitit, qui nunciarent Dei voluntatem non ſolum inuitatis ad cœnam, & nuptias, ſed iis etiam,qui erant in viis, & ſepibus cum ornatu nuptiali, cæteros enim non ſic ornatos vincula, & tenebras manere. ergo quicunque paſtores appellamur, demus operam, vt in eorum numero reperiamur, quos Deus occulto ſuo iudicio, quod ipſi ſoli notum eſt, ad vocandum inuitatos miſerit. obſecro, & obteſtor, ne obliuiſcamur, neue iuſſa, mandataque eius, qui miſit, abiiciamus, ac negligamus, ſicuti ii, qui corda habent crapula,& ſolicitudinibus mundi grauata,& depreſſa. qui quidem vigilare,& orare iuſſi ſumus, tanquam non aliter futura tormenta vitare poſſimus, neque aliter coram Deo ſiſti innocentes, oſtenſuri vtrum minis datis ad menſam negotiati fuerimus,an

potius in fundo, atque ſudario occultauerimus. vt quidam præ nequitia, & ignauia feciſſe accuſati ſunt. horribiles profecto ſunt minæ nobis paſtoribus propoſitæ, niſi vigilauerimus, quibus mandatum, commiſſumque eſt, tradere conſeruis tum verbo, tum factis vera dogmata, & vitæ perfectæ normam, tum repoſcere rationem progreſſus ſpiritualis, vigilanter tuba canere, ne romphea animam alicuius corripiat alioqui ex manibus noſtris repetendam, denique inceſſanter explanare, quæ ſit Dei voluntas. & cum olim ad hoc opus multi miſſi fuerint, noſtrum eſt timere, ne in labores eorum ingreſſi, pœnas demus, ſi minus laboremus. quod vtinam ne nobis eueniat, quibus donata ſunt, non ſolum, quæ typis, & ſymbolis deſignata ſunt, quæque prophetæ atque iuſti expetierunt, ſed etiam gratiæ diſpenſatores facti ſumus. quare niſi aperto capite munera Dei, quæ neque oratione conſequi, neque mente comprehendere licet, perpetuo prædicauerimus, quicunque huiuſmodi dignitate paſtorali præditi ſumus, haud dubie in manus Dei incidemus, niſi inquam prædicauerimus, quemadmodum ex nihilo cuncta Deus effecerit, quam admirabilia exiſtant ex omni parte vniuerſitatis rerum in hominem beneficia, quæ nobis promiſſa, ſi mandata Dei perfecerimus, quæ rurſus minæ ſuppliciorum propoſitæ, ſi non perfecerimus. & niſi prædicauerimus, quod qui male vixerunt, irato Deo, ab hac vita recedent, debemus pœnas daturi ſempiternas. præterea repetere voces prophetarum, quas illi ad reuocandum a vitiis hominum genus adhibuerunt, item commemorare aduentum Domini, & bona inde profecta, tum mortem probroſam, ſepulturam, & reditum ad vitam, aſcenſum ad cœlos, miſſionem Spiritus ſancti, tributumque hominibus Spiritum ſanctum, Apoſtolos miſſos in vniuerſum mundum, vt ba-

ptizarent, ac docerent, quæcunque ipſe ſeruare præce perat, quibus ſe Christus promiſit ſemper adfuturum. Ad hæc, instare diem illius magnæ iræ & calamitatis propter multitudinem ſcelerum, quando draco ille ex improuiſo ad corrumpendos omnes aderit. Item Eliæ & Enoch reditum ad incumbendum ſaluti hominum aduerſus diabolum, quem Dominus præſentia aduen tus ſui destruet. Præterea dicemus de rapiendis obuiam Christo, quãdo cœli magno impetu tranſibunt, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. quæ quidem cum expectentur, quales quæſo, ac quam ſanctos nos eſſe oportet? debemus etiam commemorare iudicium extremum, ſubſellia appoſita, præſidentem iudicio antiquum dierum, libros apertos, fluuium ignis. deinde eos, qui ad dexteram erunt, commendatos bonis operibus proceſſuros in reſurrectionem vitæ, eos vero, qui ad ſiniſtram, proceſſuros in reſurrenem iudicii. hæc ſunt, quæ a nobis ſunt ſemper populis inculcanda, & honestæ vitæ exemplo commendanda, atque conſulenda, quæ quidem cum Deo, nos copulant. Hoc eſt illud euangelii, bonos, fideleſque diſpenſatores dare conſeruis ſuis in tempore menſuram tritici, confirmare inquam fratres, vt contemptis bonis terrenis, ſoli virtuti, & Deo adhæreant. In his vigilare, & hæc meditari debemus fratres, ſi magno miniſterio, cui præſidemus, ſatisfacere velimus, ac non potius illos imitari proſcriptos, profligatoſque diſpenſatores, qui dum, vt illis videtur, moram Dominus facit, edunt, & potant, quos, cum venerit, idem, vt minatus eſt, diuidet. quæ omnia non ſolum nos inclamare debemus, ſed etiam fidelibus hominibus commendare, qui poſſint & alios docere; ita vt nihil ſit faciendum, quod a ſancta ſcriptura alienum ſit. debemus præterea eos, qui peccauerint, pœnis, & locis ad eas ſoluendas deſcriptis ſecun

dum canones patrum afficere, diſtinguentes ſanctum a profano. impie enim agunt quidam, qui multos eorum violant, neque meminerunt quod ſcriptum eſt, impii tranſierunt fines, & illud, maledictus, qui terminos a patribus poſitos tranſgreditur, & quod eſt in euangelio, qui ſoluerit vnum ex mandatis, minimus vocabitur in regno cœlorum, qui autem fecerit, & docuerit, magnus. omni itaque ſtudio laborandum eſt, vt concupiſcentias carnis, quæ militant aduerſus animum, ſuperent omnes fideles. admonendique ſub inde, quemadmodum clamet Paulus vas electionis, neminem eorum, qui peccatis operam dant, poſſeſſu rum regnum cœlorum. qui cum nos hortetur, vt eum imitemur, ſicuti ipſe Chriſtum, beatos paſtores, qui eum ſecuti, imitatique fuerint. tametſi enim non ſint imitabiles illius excellentiſſimæ virtutes, qua ſumus ignauia, & inertia, illud inquam, viuere ex manibus, & euangelium ſine ſumptu ponere, nobis tamen ſatis eſt, ſi præbeamus nos operarios cibo dignos, ac non potius bona pauperum hianti ore deuoremus. hortandi præterea, vt arrectis quod aiunt auribus, & vigilantes clamorem illum mediæ noctis improuiſum, & ſubitum expectent, ne nihil cogitantes, & in ſcelere occupati, aut voluptati, vel ſomno indulgentes, aduentum illum illuſtriſſimum pulcherrimi ſponſi non ſentiant, vt enim admoneremur, vigilandum eſſe, horam noctis appellat Dominus illuminatiſſimum illud tempus. vtinam nunquam nati eſſent, quibus claudendum eſt, & fruſtra ſtandum, atque pulſandum, quibus tolerabilius, leuiuſque fuiſſet, igne cō ſumptos eſſe, quam audire illud, non noui vos. quamobrem Paulus, ne erretis, inquit, enumerans ſcilicet, quæ a regno Chriſti arcent, & excludunt, quæ omnia niſi vobis diſcipulis eius nos commemorauerimus, atque denunciauerimus, Vę nobis. caueamus ergo,

ne

ne debito, quod commune eſt omnium paſtorum, populos fraudemus, debito inquam fungendi pro Chriſto legatione, Deo per nos hortante, ne quis ſemel baptizatus committat, vt ad nuptias intrare prohibeatur. eos vero, qui alios decipiunt, tanquam falſos apoſtolos, & impoſtores adhibitis ſanctis ſcripturis redarguamus, ac prodamus, commemorato exemplo decem virginum, ſageneę miſſæ in mare, illius induti ſordide, aliiſque huiuſmodi, hæc nocte dieque debent ſinguli paſtores gregibus ſuis inculcare, quæ tam neceſſaria ſunt, quam eſt reſpirare animanti. neceſſarium inquã, omnia iudicia, & teſtimonia Dei denunciare, ita vt ab hoc officio neque eos ſuperbia, & elatio retrahat, neque altitudo diei, ideſt proſperitas, & opulentia, quin potius ſi tempus poſtulet pro legibus, & ſtatutis diuinis ſanguinem fundere, quoniam non poſſit aliter paſtor Chriſtum amare, qui magiſtrum finibus charitatis circumſcripſit, cum dixit Apoſtolus, quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? Deinde cauendum nobis eſt, ne vlli cito manus imponamus, non ante iuſtam ętatẽ, non ſine titulo, non extra fines diœceſeos. teſtimoniũ dicant non quiuis, ſed graues homines, qui educationem eius, & mores norint, anne ſit iracundus, an ſuperbus, an ebrius, an auarus, an pugnax, an dicax, an percuſſor, an petulans, an illiteratus. poſt ordinationẽ vero curandum eſt, vt ſacra reuerenter ac religioſe tractare, & adminiſtrare diſcat, myſteria prę ſertim eucharistiæ ac baptiſmi, ne quæ ſanctiſſima ſunt ab aliquo deliro, indecore, & temere adminiſtrare doceatur. Adhęc, prouidendum, ne cuiuis pateat aſcenſus in ſuggeſtum, neque docere liceat in eccleſia niſi ei, qui caſtitate etiam, & temperantia atque pietate præditus ſit. Item vt nihil eorum, quæ ad edendum idonea ſunt, offerantur in eccleſia præter oleum, ceram, & thus. nemini ſine probatione, aut pro munere euchariſtia de-

tur,niſi permiſſu,& conceſſu patris ſpiritualis. ne liceat impune non vacare in feſto reſurrectionis,neque ingredi in fines alterius. in cõiugiis caueatur pueritia, propinquitas ſanguinis,adoptio,& ſuſceptio in baptiſmate. videndum eſt etiam,vt coniugium non ſolum licitum ſit, & conceſſum, ſed decorum quoque,ne inquam puella ſeni nubat. neue ante benedictionem vna cubent. ieiunia quatuor temporum ne ſoluantur, neque ieiunia quartæ & ſextæ feriæ. eleemoſyna, temperantia, iuſtitia, & veritas ab omnibus fidelibus colantur. Soluere eccleſiis decimas, & primitias, celebrare memorias ſanctorum, meminiſſe propinquorum in precibus, abſtinere a fornicatione, ſanguine, & ſuffocato, a præſtigiis, incantationibus, obſeruationibus ſuperſtitioſis, ab omni ſpecie diuinationum, non comprendere cum hæretico, niſi ſit ſponſor. qui canones ſeruare non didicit, eum neque baptizari,neque monachum fieri liceat. Monachum,qui a monaſterio aufugerit, qui receperit, aut ordinarit, puniatur. denique repetenda ſunt, & commemoranda frequenter a magiſtris eccleſiæ, quæ fideles facere debent, & quæ tanquam peſtes abominari. commemorandus etiam ignis ille in conſumatione ſæculi expectandus, Tum execrabilis illa mundi lues, nefarii inquam Antichriſti aduentus, ne ſi ex improuiſo nihil præmeditatis adfuerit iniquus ille atque ſuperbus, qui extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, multi in errorem inducantur cum eodem in flammam ignis coniiciendi. Hoc precor, paſtorum opus ſit, hæc cura, & ſtudium, vt quæ patribus viſa ſunt, quæque illi accurate tenuerunt, illa ad temperandos, regendoſque fideles adhibeamus,& qui ea non ſeruarint, quæ ſeruare,non ſoluere iuſſi ſumus, hos maledictis grauiſſimis anathematum afficiamus. ante omnia vero baptizatos omnes hortari debemus, vt vſque ad ſanguinem

integerrime ſeruent, quecunque Chriſtus præcepit, affirmantes abſque operibus mortuam eſſe fidem, & quod non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum. & illud, qui non amat me, ſermones meos non ſeruat. Hæc, & alia huiuſmodi ex ſanctis ſcripturis niſi iis, qui ea ignorant, expoſuerimus, quemadmodum erimus fideles diſpenſatores? ne quæſo, oſcitanter, atque negligenter, ſed cum timore potius, atque tremore, ſine vlla cunctatione euangelia ſancta ediſſeramus, docentes cœlum, & terram tranſitura, verba autem eius nequaquam. Dicamus fruſtra fortaſſe dictum eſſe in ſcriptura, nemo erret, nemo inquam, neque eorum, qui antea fuerunt, neque eorum, qui poſtea erunt. eſt autem nobis primum, qui paſtores ſumus, nauandum virtuti, docendumque omnino, quod eſt in ſanctis ſcripturis, eos, qui Chriſtum, eiuſque ſermones reuerenter obſeruauerint, eos inquam ab eodem Chriſto confitendos, declarandos, & coronandos, ac gloria ſempiterna eſſe honorandos, qui eum corpore, & ſpiritu honorarunt, tunc inquam iam fideles, atque prudentes declaratos, ad nuptias, & immortales illas delitias admittendos, vt cum pulcherrimo illo ſponſo eccleſię Domino noſtro Ieſu Chriſto ſemper ſint, cui honor, & imperium in ſæcula amen.

EIVSDEM ATHANASII CONSTANtinopolitani Patriarchæ ad Imperatorem, vt iubeat Epiſcopis ire ad ſuas diœceſes.

SI vrbes in oriente vaſtari, & funditus interire ſcis, quod malum Deus auertat, cur non iubes, qui curam omnium a Deo ſuſcepiſti, vrbes deſeri, & ad nos

venire, & habitatores earum? imo potius in gratiam epiſcoporum hoc prohibes? Sin autem per gratiam Dei hoc tua prudentia, & iudicio aſſequeris, puniri nos a Deo, non vt pereamus, ſed vt conuertamur, cur non iubes paſtoribus illarum ciuitatum, vt quiſque eorum cum grege ſuo ſit, vt tum precibus Deo adhibendis, tum admonitionibus, & obiurgationibus ſuos a peccatis ſeruent, atque ita Deum placent, vt minas aliquando remittat, an ſi tu oues paſtori committeres, deinde illas quidem derelictas cerneres, illum vero quieti ſuæ, ſuiſque cupiditatibus indulgere, & ſeruire, dic, obſecro, relinqueres ne paſtorem impunitum? non patimur oues pecudes impune negligi, & patiamur paſtores animarum impune ſeipſos paſcere, non oues? quid quæſo apud Deum excuſabimus? vtinam ne illud nobis exprobretur, omnes quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. Quod enim preces, & vigilias præ ignauia non curant, & nos quia his vacamus, rident, plane oſtendit, nihil eos malle, neque aliud eſſe eis propoſitum, quam Patriarchas mouere, & munera accipere in iudicio, & cætera alia committere, quæ ipſe ſtatus temporum docuit. aut igitur iube ſingulis quibuſque ad diœceſes proficiſci ſuas, aut ſinant me ad vnum e ſuis gregibus ire, & me iureiurando obſtringam, nunquam ab eo diſceſſurum, ipſi vero vrbem Conſtantinopolim ſibi inter ſe diuidant. Quid enim infelicius eſſe poteſt, quam in cæteris ciuitatibus licere cuique paſtori ſuos, quantum poteſt, & ius eſt, regere atque gubernare, in ſola vero hac vrbe iudicem eſſe, quicunque velit? verum ſi mihi credis religioſiſſime Imperator, fac vt hos potius triſtitia afficias, quam Deum. etenim ſi quando alias, nunc maxime epiſcopos cum gregibus ſuis mori oporteret. quod ſi nolueris propter tuam erga eos reuerentiam, cogere, vt faciant, quod facere debent, ego ſuſcepta

cauſa,velint, nolint, ex vrbe pellam. reddamque audaciæ huius rationem Deo.

EIVSDEM ATHANASII AD eundem Imperatorem de eadem re.

SI verum eſt, quod dici ſolet, qui gregem paſtore priuat, vtrique periculum creare,profecto graue ſupplicium manet eum, qui paſtorem arcet ab ouili. debetque qui paſtor eſt, vſque ad ſanguinem pro grege Chriſti non relinquendo labores perferre,niſi cum opus fuerit in Synodo ſingulis annis ad agendum de rebus neceſſariis pauliſper abeſſe, quibus concluſis celeriter redeundum illi ſit, ſi credit ſe redditurũ rationem ſummo paſtori Chriſto,etſi dignus eſt nomine paſtoris, niſi forte etiã propter neceſſitatem ad vtilitatẽ animarum pertinentẽ ab Imperatore,aut a Patriarcha ſtatim rediturus vocetur.quod ſi aliter Epiſcopis, aut Imperatori videatur, ſiue quid ſecus fiat, minime ipſe ſequar, neque aſſentiar vllo modo, neque enim rationem habebit Deus cauſationum noſtrarum & cupiditatum,ſed rationes repoſcet de veritate, iuſtitia, diuiniſque legibus,& ſtatutis, &c.

EIVSDEM AD EVNDEM de eadem.

MEMENTO ſcripturæ, quæ iubet contriſtare potius homines quam Deum, tibi vero Imperator, cur graue videatur iuſtitiam, temperantiam,miſericordiam populis tuis ſancire? & inde non modo nullum incommodum reportare, ſed potius operibus bonis conciliare Dei miſericordiam? quid iuſtius,

quam ſi Epiſcopus quiſque iubeatur, velit, nolit, ad diœceſem ſuam redire? an non hoc debitum ſoluere tenentur? idque canone ſancitum eſt? nonne paſtorum præſentia poteſt hoc præſertim tempore populum ad preces excitare? Quæ enim alia ſpes Chriſtianis relicta eſt, niſi quæ in precibus poſita eſt? quod ſi cupiunt in hac vrbe habitare, diuidant illam inter ſe, &c.

FRANCISCI TORRENSIS
DE ACTIS VERIS SEXTAE

Synodi, deque Canonibus, qui eiuſdem Sextæ
Synodi falſo eſſe feruntur, & de Septi
ma Synodo atque multiplici Octa
ua, ad Reuerendiſſimum
Dominum
IOANNEM SALVIATVM
Epiſcopum Cardina
lem Liber.

Florentiæ apud Laur. Torrentinum.

M D L I.

Confutatio rationum Alberti Pygij aduerſus acta Sextæ Synodi. pag.4.
De damnatione hæretici poſt mortem. pag.12.
De damnatione Honorij. pag.23.
De tempore canonum. 6. Synodi, & de eorum aprocryphis, & falſis. pag.29.
De ſecundo canone ſuper canonib. Apoſtolor. & canone Cypriani. pag.37.
De.3.canone ſuper continentia ſacerd. pag.39.
De canone 13.ſuper cælibatu ſacri ordinis copioſe.ag.40
De canone 36.ſuper gradu, & honore patriarchalium ſedium. pag.64.
De can.39.ſuper priuilegio Iuſtinianopolitanæ eccleſiæ. pag.67.
De canone 53.ſuper miſſa Græcorũ in quadrag.pag.68
De can.55.ſuper ieiunio Sabbati. pag.69.
De can.67. ſuper abſtinentia a ſanguine & ſuffocato. pag.73.
De can.69.ſuper prohibendis laicis ne ingrediantur ad altaria. pag.76.
Canonis 90.explanatio. in eadem pag.
De concilio Photiano & eius canonib.decem & ſeptem. pag.87.
De Concilio octauo Conſtantinop. Hadriani Pont. & eius canon.viginti ſeptem. pag.90.
De Concil.Conſtan.Ioãnis Pont.& canonib.eius.pag.91

FRANCISCI TORRENSIS DE ACTIS VERIS SEXTAE SYNODI, deque Canonibus, qui eiuſdem Sextæ Synodi falſo eſſe feruntur, & de Septima Synodo atque multiplici octaua ad Reuerendiſs. D. IOANNEM SALVIATVM Epiſcopum Cardinalem Liber.

CVVM acta, decretaque conciliorum, SALVIATE, quæ cum omni tempore legenda ſunt, tum hoc maxime, dudū aliquanto diligentius relegerem, veniſſemque ad Sextum, quod Conſtantinopoli in Trulo habitum eſt, & ad Septimum quod Niceæ, ſimulque me miniſſem, Albertum Pygium magni nominis auctorem, multa doctrina, & peracuto ingenio præditum, pridem illorum falſitatem non ſuſpicionibus, & coniecturis, (vt ſibi videbatur) ſed certiſſimis argumentis coarguiſſe, volui acrius rem ipſam videre, comparatione, notatione, & iudicio adhibitis, fecique id eo maiore ſtudio, quod plane intelligerem, expertuſque eſſem nullam fere hæc acta iam quaſi cōmentitia, vt Pygius ait, auctoritatem, fidemque habere, imo vt ex viro integerrimo, & mihi amiciſſimo cognoui, prohibitum aliquando eſſe in Germania inferiore, ſeptimum Concilium publice ne venderetur, quo tamen nihil habeamus, neque vberius, neque acrius, neque grauius, neque eruditius, neque religioſius, neque ſanctius pro ſacris ſimulacris, per ſignis, pro tabulis, pro picturis ſanctis. Quæ omnia impuri illi, & ſceleſti homines Luterani vt nugas rident, & vt ſcelus deteſtantur. Scio ſi Pygius hoc malum prouidiſſet, nunquam profecto cō

miſiſſet, vt pro ſententia ſua defendenda, & fortaſſe non vera, & contra amicum vnius tridui ſtudio, vt idē iactat, auctoritatem tam multis ſæculis confirmatam labefactaret, præſertim eo tempore, cum ipſa per ſe cōcilia, & decreta omnia ſatis iacerent, in iiſque locis, quæ eiuſmodi accuſatoribus abundarent. Mirabarque quorum temeritatem impiam & cæcam, ac tot errorū portentis plenam hic auctor, docte, & grauiter retudiſſet, & multis libris refelliſſet inſcitiam, iiſdem hac cōfutatione præcipiti, & inconſiderata haſtas, vt dicitur miniſtraſſet. Sed homo erat, multa alia egit in vita præclare, multa ſcripſit ſapienter, exceſſit e viuis cum ſumma laude, Proſequamur eum beneuolentia, & grata memoria. Et quoniam in hoc vno deflexit, multoſque fortaſſe ab his actis legendis & approbandis irata, & cæca ſua damnatione retraxiſſe videtur, illius manes, hoc corrigendo, & lectores admonēdo ſi poſſumus adiuuemus. credo nō paucos alios ante me vidiſſe, quod ego parum acutus ſero, aut certe poſſe omnes, Si velint paulo attētius oculos in eo defigere, res enim ipſa loquitur, & facile manibus teneri poteſt, Sed cur alii hactenus diſſimularint, neque ſcio, neque magnopere curo, tantum poſtulo, vt ſi ipſe quod voluero aſſecutus fuero, hoc eſt veritatem ſpecie mendaci occultam retexero, & voluiſſe & perfeciſſe, ei tribuatur, qui dixit, nihil occultum, quod non reueletur, & de quo ſolum dici poteſt, eſt qui eſt, hoc eſt, ipſa veritas. Quoniā vero aliquot ratiunculas adhibet Pygius ad confutanda, Sexti Concilii acta, ad eas prius ordine reſpondebo. Deinde de canonibus apocryphis, qui eſſe Sexti Concilii falſo feruntur; docebo, poſtremo de Septimo Cōcilio indicabo, deque octauo multiplici. Primum ergo multis rationibus & exemplis ſatiſq. copioſe docet ad Pontificem cum ſenatu pertinere cōtrouerſias omnes de diſciplina Chriſtiana diiudicare, atq. ita profeſſum

fuiſſe Cōſtantinū illum magnū, ac deinceps cōſecutos Imperatores Theodoſiū, Marcianū, Iuſtinianū, quod quidē veriſſimum eſt. At in hoc concilio (inquit) cuius ſunt acta, quæ circūferuntur, & impugnamus, vt commētitia, imperator cū proceribus aulicis ſuis plena auctoritate præſidet, & quę ſequūtur, ſcilicet a ſiniſtra cōſidere legatos pontificis, & epiſcopos gręculos (vt ipſe appellat) ad dextrā, tū ipſum Imperatorē in ſolio ſedere regali ornatu, quærere, iubere, decernere, & eo abſente, certos quoſdā patritios, & cōſules delectos, qui glorioſiſſimi iudices nominētur. Itaq. ridet illud tā frequēs, glorioſiſſimi iudices, & ſanctū conciliū dixerūt, interpretaturq. id eſſe iudiciariā auctoritatē ſibi arrogare, ſæpe. n. mihi eius verbis vtendū eſt. Certe non arrogaſſe ſibi Imperatorē Cōſtantinū eam auctoritatē, neq. eos quos in locū ſuū ſubſtituit, cū abeſſe illi neceſſe fuit, ex ea epiſtola perſpici poteſt, quam is ad Donum Pontificem miſit, quam Agatho, qui Dono ſucceſſit, accepit, qua videlicet legatos cum Epiſcopis Latinis, quos a Pontifice ad id concilium mitti poſtulat, ſiue iidem cum Græcis cōſentiant, ſiue non, humaniſſime ſe eos dimiſſurū promittit, inuitare enim ſe poſſe, vim adhibere non poſſe. Quis quęſo ſic loquitur, qui auctoritatem iudicādi ſibi tribuat? at cur ais illud repetitur, præſidente Imperatore, & cum is abeſt, illud, iudicibus patriciis. Profecto neque ille, neque hi iudicio, ſed executioni præerant, & ordini, quod eſt genus quoddam iudicii, id quod tum ex iis ipſis, quæ in Concilio geruntur, intelligi poteſt, nihil enim decernunt, aut ſtatuunt de eo, quo de agitur, tum ex literis Agathonis, quę ſunt in. 4. actione. Hæc, inquit, felicibus veſtræ manſuetudinis credimus reſeruaſſe temporibus, vt locum & zelum ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui veſtrum Imperium coronare dignatus eſt, ſeruantes in terris pro euangelica & apoſtolica veritate iuſtū

» iudicium proferatis. Quia cum humani generis redem
» ptor, atque ſaluator ſit iniuriam paſſus, nunc vſque ſu
» ſtinuit, veſtræque fortitudinis aſpirauit imperio, vt
» eius fidei cauſam, ſicut æquitas poſtulat, & ſanctorum
» patrum, ſacrarumq. generaliũ quinq. Synodorũ decre-
» uit inſtructio, exequi dignemini, & redẽptoris, ac cor-
» rectoris iniuriam de ſuæ fidei cõtemptoribus per eius
» præſidium vlciſcamini, & quæ ſequuntur. Deinde non
vſurpaſſe iudicium, quibus potius teſtibus credendum
» ſit, quam eorum ipſorum vocibus, ſi, inquiunt, patres
» conſcii eſtis, aliquid prætermiſſum eſſe in ea diffinitio
» ne, quæ a vobis promulgata eſt, quid clarius? Quod ve
ro a ſiniſtra ſedent legati, ſicuti etiã in Calcedonẽſi, an ſi id arroganter nimis factum eſt, vt quidẽ eſt, cõtinuo erunt conficta hæc acta? ergo dicamus conficta eſſe acta concilii Florentini, quod Imperator Ioannes Palæologus in conſenſu locum medium ſibi deberi dicebat, vt eſt in eiuſdem concilii actis perſcriptũ, aut quia idem poſtulabat, vt Pontifex non ſignaret, vel ſignaret, his ſubiectis verbis, cõſentiente ad infraſcripta Imperatore, nec non patriarcharum loca tenentibus, & cæteris orientalem eccleſiam repræſentantibus, atque ipſe demum Palæologus ſupra omnes epiſcopos Græcos ſignauit. Tum iubebat de hoc diſputare, de illo nõ diſputare, non amplius de re alia reſpondere, & alia huiuſmodi parum moderate tranſacta, imo imperioſius fortaſſe, & elatius quam in Sexto concilio de quo agitur. eadem fere licet cernere in Octauo concilio Conſtantinopolitano contra Photium habito, in quo Imperator ſupra cęteros omnes epiſcopos præter legatos & Patriarchas tandem non recuſauit ſignare, oratorque eius Vahanes iubet, proponit, excludit, accerſit, imo a Donato & Stephano legatis Romanis literas pontificias petiit de ipſorum legatione. Quod inſolens factum tametſi ægre ferrent legati, tamen parue-

runt. ecquis ignorat arrogantius eſſe ſignum vſurpare, quam locum? an vero quia hæc ſunt ab elatione profecta omnia, ob eam rem mendacia dicemus hæc acta? nõ coarguit hiſtoriæ falſitatem turpitudo rerum geſtarũ, ſed aut diſcrepantia temporum, aut locorum, aut perſonarum, aut denique ipſarum rerum, quæ narrãtur, repugnantia. Quis neſcit importunitatem Græcorũ, & quam multa prudenter Pontificis legati diſſimularent, quæ leuiora eſſe videbantur, ne in maioribus rebus eorum animos a ſe alienarent. Equidem etſi poteram ex aliis, tamen libentius ex Florentino concilio, & Cõſtantinopolitano contra Photium habito, huiuſmodi exempla protuli, quod alterum Anaſtaſius, Palatinæ bibliothecæ magiſter, qui interfuit ſumma fide interpretatus eſt, Alterum non multo ante noſtrã memoriam habitum, nõ ſolum Græce tunc ſcriptum eſt, ſed Latine. Sequitur ſecunda ratio. Non poſſe pronunciari anathematis ſententiam in eum qui viuit, niſi certiſſima ſint eius criminis, quo ſe idem obligauit, argumẽta, ac probatio, alioqui temerarium & crudele eſſe, in eum vero qui e vita receſſerit, multo minus, niſi etiam conſtet receſſiſſe ſine vllo dolore ſceleris patrati, at Honorium iamdiu vita defunctum, damnari in his actis anathemate, vel potius pronunciari, damnatum fuiſſe, dum viueret, cum tamen neque fuiſſe hæreticum, neque cum peruerſa eademque pertinaci ſententia illa exceſſiſſe e viuis conſtiterit, quorũ vtrumq. neceſſe fuerit certo ſcire, alioqui ſceleratã & impiam eſſe eam ſententiam, ac proinde falſa hæc acta, in quibus ſic de iudicio habeatur, Certe ſi attentius relegiſſet Pygius Sextum concilium, & ad ſcribendum, non tantum vincendi ſtudium, & ſuæ opinionis præiudicium adhibuiſſet, profecto nũquam hic hæſiſſet. ergo in extrema fere parte duodecimæ actionis, in qua de variis exemplis ex tabulario, quod chartophylacium Græci

vocant,fides,& auctoritas rerum geſtarum quæritur,
» poſt alia prolata (inquit) eſt epiſtola Sergii ad Cyrum,
» & collata eſt cum codice Macarii,qui prolatus eſt per
» Ioannem glorioſiſſimum quæſtorem,& conſtitit,item
» prolatus eſt alius codex , ſiue Regeſtum, ſimiliter per
» eundem religioſum Antiochum habens epiſtolam Ser
» gii quondã Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Hono
» rium quondam papam Romæ,& collata eſt cum codi-
» ce,qui a Macario datus eſt piiſſimo Principi, & conſti
» tit.Similiter prolata eſt a Georgio Deo amabili diaco
» no & chartophylace epiſtola authentica Latina Hono
» rii Pontificis Romani ad Sergium quondam Patriar-
» cham Conſtantinopolitanum,vna cum eius interpre
» tatione,& collata eſt eadem Latina epiſtola per Ioan-
« nem Reuerendiſſimum Epiſcopum ciuitatis Portuen-
» ſis,qui vnus extitit de concilio antiquæ Romæ, & cõ
» ſtitit,&c.ac ſtatim cum peterent Conſtantini orato-
res,ſiue iudices illi a ſancto cõcilio,vt poſtquam ſatis
plane cognitum , perceptumque haberent de Sergio,
Cyro,Honorio,Sophronio,quod ad ſe pertineret,cõ
cilium exequeretur,ne tunc quidem continuo conci-
lium pronunciauit,ſed dixit ſe accuratiorem cognitio
nem in actionem inſequentem,id eſt,decimam tertiam
reſeruare,atq.ita retractata, relecta, recognitaq. ſunt
omnia iterum.Et cum omnia rurſus cõgruiſſent, tunc
pronunciatum eſt aduerſus Sergium,Pyrrhum,Cyrũ,
Paulum,Honorium,Theodorum,quid hic audis præ
cipitis iudicii? quid cauſæ indictæ?quid ignoratæ, &
– incertæ rei [illegible] audi Pygium. Hoc eſt quod dico
– nullam in[illegible]bus illis actis factam inquiſi-
– tionem,an illæ c[illegible] illa exemplaria concordarẽt
– cum ipſis Honorii Autographis epiſtolis, quæ nuſquã
– productæ leguntur, & poſt paulo, ſed hoc vnum ſo-
– lũ,quod inter chartas Macarii productas ex illo char-
– tophylacio inueniebantur exemplaria duarum epiſto-
larum

larum ſcripturarum ſub nomine Honorii ad Sergium, chartas Macarii prolatas fuiſſe ait ex chartophylacio quæ quidem non ex chartophylacio deprommptæ ſunt, ſed ab Imperatore Conſtantino miſſæ ad cõcilium, & quidem ſignatæ, vt legerentur. quæ & lectæ ſunt, & comparatæ cum aliis exemplis autographis ex tabula-
- rio publico productis. Hic vrget Pygius, non legitime
- (inquit) examinati ſunt teſtes, qui dicerent ſe vidiſſe
- autographa, & ſcire, quod vere illius fuerint. At hoc certe neque in Sergii epiſtola ad Cyrum, neque ante in Cyri ad Sergium factum eſt. Ergo ne damnetur Sergius, ne Cyrus, imo ne Petrus, ne Paulus Patriarchæ Cõſtantinopolitani, qui vt eſt in prima actione, omnes ante. 46. annos plus, minuſue, huius peruerſæ & impiæ ſententiæ de vnica voluntate Chriſti auctores fuerant, iidemque damnati ab Agathone prius, & eius Synodo Romana, deinde in hoc Sexto concilio. & quid opus erat teſtes examinare, vt eius verbo vtar, ſi (vt eſt in eadem 12. actione his verbis per ſcriptum) prolata
» eſt auctẽtica Latina Honorii quondam Pont. Romani
» ad Sergium quondam Patriarcham Conſtantinopoli-
» tanum vna cum eius interpretatione, & collata eſt ea-
» dem Latina epiſtola per Ioannem Reuerendiſſimũ epi
» ſcopum ciuitatis Portuenſis, qui vnus extitit de conci-
» lio antiquæ Romæ, & conſtitit. An non in 13. actione hoc dicit ſanctum concilium, non eſſe quidem neceſſe Petri, Pauli, Pyrrhi, aut etiam Cyri Alexãdrini, Theodori Pharanitani ſcripta proferre? eo quod ſecta eorũ omnibus eſſet manifeſta de vnica voluntate, quorum ipſe Agatho ſententiam damnaſſet, vna cum iis, qui eam ſecuti eſſent, tamen quo magis liqueret proferendam eſſe, nihil tamen de teſtibus, qui (vt Pygius ait) dicerent ſe vidiſſe autographa eorum, neq. enim opus erat. Et Martinus Pontifex nonne in Synodo Romana contra Monothelitas habita Paulo Cõſtantinopolita

no præcepit, vt Pyrrhum abſentem damnaret? quia (in
„ quit) eius præſentia non eſt neceſſaria, cuius exceſſus
„ præſens eſt, & ſanctus Maximus in eadem Synodo cō-
„ tra Neſtorium (inquit) & Eutychen vnus tantum ex
„ titit accuſator Euſebius Dorilenſis, quia cū culpa ma-
„ nifeſta eſt, non opus eſt multis accuſatoribus, Theodo
„ rum autem & Origenem in quinta Synodo accuſat ne
„ mo, ſed ſcripta eorum ſatisfuerunt ad accuſandum, ha
ctenus Maximus. Hæc attuli, vt intelligatur maiorum
exemplo, & auctoritate, poſtquā productis literis Ho
norii, de crimine liquebat, non opus fuiſſe eius vel prę
ſentia, vel vita, vel aliis accuſatoribus præter epiſtolā
eiuſdem, Poſſeque iure aliquem poſt mortem damna-
ri, vt in quinta Synodo decretum eſt. & Auguſtinus
ad Bonifacium ita ſcribit de Cęciliano quem iam mor
tuum vulgo ferebant, ab eccleſiaſtica diſciplina receſ-
„ ſiſſe dum viueret, ſi vera (inquit) eſſent, quæ Cæcilia
„ no inferebantur, & manifeſtum eſſet contrarium ali-
„ quid ſtatui eccleſiaſtico ſapuiſſe, etiā poſt mortem ana
„ themati ſubiicerem. ſed de hoc copioſius paulopoſt,
Hoc ergo poſt obitum Honorii Græci patres fecerūt,
quod ſe affirmat Auguſt. facturum fuiſſe, ſi culpa &
mens Cęciliani coargui poſſet. Iam quod hoc loco Py
gius Græcis obiicit crimen corrumpendi ſcripta, me-
rito quidem obiicit, non inficiamur, addere etiam po-
teſt ad ea exempla, & teſtimonia, quæ ipſe recitat, epi-
ſtolam Hadriani ad Taraſium, quæ eſt in ſeptima Syno
do, cuius etiam acta apocrypha eſſe dicere auſus eſt, in
qua cum Taraſium reprehenderet, quod ſe paſſus eſ-
ſet, ex ordine laicorum vt loquuntur, archiepiſcopum
Conſtantinopolitanum repente legi, ac nō potius per
gradus aſcendiſſet, id totum quod ad eum locum perti
nebat, Græci deleuerunt, vt ex epiſtola quadam Nico-
lai ad Photium peiſpici poteſt, in qua perſcriptum eſt
id ipſum quod in illa deſideratur. Quem morem cum

idem Nicolaus noſſet,prudēter cauit anathemate Cō ſtantinopolim ſcribens,ne quis Græcorum cum literas ſuas legeret,aut Græce verteret,corrumperet. Accuſatur præterea hæc eorum proditio in concilio Florentino,item in ſeptimo multis in locis,deinde in hoc ſexto & in multis aliis & a multis. Veriſſima hęc ſunt, quis neget? Sed quis rurſus ob pauca loca alicuius libri corrupta,vniuerſa eiuſdem ficta,& commētitia appellet, vt Pygius facit? Sic enim dicere liceat opera Origenis ficta eſſe,& commentitia,ſi vt defenſor eius Rufinus voluit,ab hæreticis deprauata eſſe diceremus, ſed quis ſic loquitur,aut ſic ſentit? equidem duo loca deprauata eſſe in hoc ſexto concilio,negare non poſſum, de ſpiritu ſancto vtrumque. Cum enim in Agathonis & Romanæ Synodi ex.125.patribus epiſtola ad Cōſtantinum miſſa ſcriptum eſſet,ſpiritum ſanctum ex patre filioque procedere,vt in concilio Florentino doctiſs. ille Iulianus,& ante eum Manuel Chaleca Græcus auctor teſtantur,verbum,ex filioque,ex illis ipſis literis, quæ in hoc ſexto cōcilio ſunt,ſublatum eſſe videmus. Item cum Macarius in ſua cōfeſſione fidei quæ in actione octaua perſcripta eſt,ſpiritum ſanctum ex patre per filium procedere,vt Gręci loqui ſoliti ſunt,diceret,adiuncta eſt falſa interpretatio in hac Synodo. Ita enim legitur ex patre,per filium, ſcilicet manifeſtatum hominibus. Quibus duobus locis exceptis,nihil meo quidem iudicio confictum eſſe videtur in his actis, ſi quis attentius relegat, & cum aliis conciliis recognoſcat, quod ſi totus locus de Honorio deque eius epiſtola, & comparatione epiſtolæ cum proprio exemplo facta,cōmentitius eſt,quæſo cur horum actorum ſiue ſcriptori,ſiue interpreti tantum ſtudii fuit ſupponere hoc de Honorio in.9.fere locis,ac non potius etiam ſtatim delere vnum illud,in quo tam turpiter proditionis & mēdacii Gręci coarguūtur,de Mena dico, & Vigilio Pon

tiſice, quos huius quoque ſententię defenſores, atque patronos de libris ab ipſis editis fuiſſe fingebant. Tamen manifeſte ſunt in mendacio deprehenſi. Etenim ſi tantopere cupiebant, & laborabant, vt vnum aliquẽ Pontificem ſuę ſententiæ approbatorem habere viderentur, callidius deprauaſſent in Vigilio, quam in Honorio, ſi quidem in illo, tum id quod volebant, viderẽtur ſibi aſſecuti, & illam proditionis maculam, a ſe depuliſſent. Hic Pygius iiſdem ſuo more ſæpe repetitis vſque ad faſtidium verboſe magis, quam ſubtiliter, vt
- clare (inquit) conſtaret de mortuo quopiam, quod in
- vita ſua aliquando fuiſſet hęreticus, de quo tamen vi-
- uens notatus non fuiſſet, tamen non poſſet de eo con-
- demnari & anathema pronũciari, niſi clariſſime de eo
- ipſo probatum fuiſſet, quod in crimine hęreſis deceſſiſ
- ſet impœnitens, & quę ſequuntur. Itaque de Honorio
- non liquere, an vita defunctus eſſet ſine dolore cõmiſ-
- ſi ſceleris, quare ſequi, vt damnari non potuerit, Imo
- ſcelus committere, qui damnare vellet. An vero fuerit hæreticus Honorius, dum viueret, pluribus adhuc agemus ſtatim. nunc eo poſito, vt facit Pygius, Videamus vtrum neceſſe fuerit ſcire, an idem exceſſiſſet e viuis, nihil erraſſe dolens. Quod intelligi quidem poteſt vel ex epiſtola illa valde eccleſiaſtica, ac pia Imperatoris Iuſtiniani aduerſus defenſores trium capitulorum, id eſt, Theodori Mopſueſtię, epiſtolę Ibę, & Theodoriti Cy-
- ri. qui quidem ſcripſerant ad Iuſtinianum, blaſphemias
- atque errores Theodori Mopſueſtiæ ab Imperatore
- miſſas libenter ſe quidem anathematizare, ipſum vero
- Theodorũ minime anathematizare audere, quia in pa-
- ce, & cõmunione eccleſiæ mortuus eſſet. quod perinde mihi eſſe videtur, atq. dixiſſent, vt nũc Pygius facit, de iis ipſis erroribus minime fuiſſe notatum & conuictum, dum viueret, defunctumque eſſe in communione eccleſiæ, neque conſtare, vtrum in iis erroribus de-

ceſſiſſet,vt illos demus defendiſſe.reſpondit ergo Iuſti nianus de patrum,vt credo,ſententia,neminem hæreticorum dãnatione de hęreſe,moriendo liberari,quin potius inquit,mors ipſa illum cõdemnat, quia viuens non egit pœnitentiam,ſatis itaque eſt,vt eccleſiæ iudicio conſtet aliquem deceſſiſſe,vt Pygii verbo vtar, im pœnitentem,ſi non conſtet de illius pœnitentia,atque confeſſione,qui hæreticus fuiſſe,poſt mortem conuictus eſt,ſcriptum eſt enim,corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit cõfeſſio ad ſalutem.ſic damnati ſunt poſt mortem,quorum pœnitentia nõ eſt in vita demonſtrata,Eunomius,Apolinarius,Bonoſus, & his antiquiores Valentinus,Baſilides,Marcion.ſic Synodus Alexã drina a Dionyſio Epiſcopo congregata poſt mortem condemnauit, & anathemate affecit Nepotianum Epiſcopum Aegypti & Cerinthum principes Chiliaſtarũ. ſic Synodus Cartag.c.82.eum epiſcopum, qui eccleſiæ antepoſuerit hæredes propinquos ſuos hęreticos,aut etiam gentiles,etiam poſt mortem anathematizat, & eius nomen inter nomina ſacerdotum Dei commemorari prohibet.ſic temporibus Iuſtiniani,vt idem teſtatur,Laurentius quidam,& Dioſcorus quia ſacerdotiũ arripuerant,poſt mortem damnati ſunt, & facti anathema. Decretum.v.Synodi de damnatione poſt mortem ſupra memini,item Aug. epiſtolam ad Bonifaciũ de Cęciliano poſt mortem anathematizando.Hanc regulam,& vt idem Iuſtinianus ait,traditionem eccleſiaſticam damnandi mortuos,quorum in vita pœnitẽtia, & confeſſio,neſciuntur,ſecutus Agatho in literis ſuis & Synodi Romanæ,anathematizamus,inquit,auctores huius hæreſis Theodorum Pharanitanum,Cyrum Alexandrinum,Sergium,Paulum Patriarchas Cõſtantinopolitanos,deinde ſubiungit,& eos,qui eis conſentanei vſque in finem monſtrati ſunt.quod quidem ſatis declarat, cur etiam poſt mortem iſti damnarentur,

quia ſcilicet,in vita pœnitentiam nōn egiſſent errorẽ
ſuum confitentes,atque in his quidẽ literis,quia fortaſ
ſe nōdum quicquam certi de Honorii ſenſu præter ru-
morem nō bonum haberetur, vt in quem ante id tem
poris minime eſſet inquiſitum,nihil in eum nomina-
tim ſcriptum eſt.poſt vero Agathonem Leo pontifex
in ea epiſtola, quam ad Conſtantinum miſit,qua conci
lium Sextum confirmauit, enumerans eos, quos ana-
thematizat,Et Honorium ait,qui hanc apoſtolicam ec
cleſiam non apoſtolica traditione luſtrauit, ſed profa-
na proditione immaculatam fidem ſubuertere cona-
tus eſt,& omnes,qui in ſuo errore defuncti ſunt,ſimi-
liter anathematizamus,& execramur. & ſi nō deſint,
quibus ob tam acerbam & contumelioſam Honorii
damnationem hæc Leonis epiſtola aut conficta,aut de
prauata eſſe videatur, quibus nihil eſt, quod reſpon-
deamus,cum hanc ſuam coniecturam nullis argumen
tis,aut hiſtoria firment,ſed eam tãtum fortaſſe ex opi
nionis ſuæ præiudicio ducant.Sed de hoc poſtea vide
rimus.Peius ergo,quam hoc loco Pygius,Ferãdus Car
thaginenſis errauit,qui ad Pelagium,& Anatoliũ Ro
manos quærentes,vtrum liceret damnare aliquẽ poſt
mortem,inter alia quæ reſpondiſſe ſcribitur,illud eſt,
ſi quis accuſatus ante diem ſui examinis repentina vo-
catione præuentus eſt inter ſinum matris eccleſiæ,diui
no intelligendus eſt iudicio reſeruari, quia hic nullus
homo poteſt manifeſtam proferre ſentẽtiam. ſane iſte
facile cum Pygio affirmaſſet,non potuiſſe Honorium
poſt mortem a catholica Synodo condemnari.peius ad
huc errauit Facũdus Afer Ermianenſis epiſcopus,qui
in libris illis ſuis.12. hæreticis ad Iuſtinianũ miſſis, ma
le affirmat nullos de hęreſe mortuos damnari poſſe.de
quo libenter admoneo,ne quem hic auctor incautum
fallat per dulces ſermones,vt ſolent hæretici,dum per
ſpeciem defenſionis quartæ Synodi, eiuſdem Synodi

Calcedonenſis iudicium improbat, Theodori Mopſue ſtiæ, & Ibæ laudator ſummus, vnus profecto ex eorum numero, de quibus Gregor. magnus. lib. 7. reg. epiſt. 53. peruerſi inquit homines, qui trium capitulorum occa ſione reperta eccleſiaſticā diſciplinam fugiunt, & paulo poſt, & nos quaſi de fide reprehendunt, quam ipſi neſciunt, & dum neque in fide recti ſunt, neque bonis operibus intenti, ſtudent, vt pro fide certare videātur. & rurſus. lib. 2. epiſt. 49. exeuntes inquit maligni homines turbauerunt animos veſtros, non intelligentes, neque quę loquuntur, neq. de quibus affirmant, aſtruentes, quod aliquid de ſancta Calcedonenſi Synodo pię memoriæ Iuſtiniani temporibus ſit imminutū, quam omni fide, omnique deuotione veneramur. idem ſcribi lib. 6. Epiſt. 195. Huius Facundi ſuadela deceptus ſanctus vir Iſidorus laudat in ſuo de Viris illuſtribus libro tum eum, tum Theodorum Mopſueſtiæ Sozomenum fortaſſe ſecutus, & Iuſtinianum dicit impulſum ab Acephalis damnaſſe Theodorum. de his omnibus per occaſionem admoneo, ne attendentes fabulis, & opinionibus hominum erremus, & in errorē mittamus.

Sequitur tertia ratio Pygii, quę difficilior eſt, & in qua magis iſte auctor laborat, ſcilicet vt det Honoriū in ea ſententia de vna voluntate Chriſti a vita receſſiſſe, idque ipſum liquere, tamen non fuiſſe hęreticum, quod ſic ſenſiſſet in vita, ita ſe in omnem partem agit, quaſi in palæſtra ſit. Sed age videamus vtrumque, quale eſt, ac prius illud, vtrum ea tunc ſententia hæretica fuerit de vnica voluntate Chriſti, negat Pygius, quod videlicet nihil ante de ea re certum, diffinitumq. eſſet fuiſſeque eo tempore de vnica voluntate Chriſti. vt de redintegrando hæreticorum baptiſmo Cypriani ætate, ideo enim nō fuiſſe Cyprianum hęreticum, neque item Honorium. Sed hic metiri vult ſuo iudicio aliorum imo ipſius eccleſiæ iudicium, & quod ſibi videtur

non fuiſſe tunc certum,ac conſtitutũ,non fuiſſe omni
no putat.Equidem cum multa alia veriſſime hoc loco
dicat Pygius,illud,vt credam,adduci non poſſum,non
fuiſſe vt idem vult,ſatis certum,ac diffinitum ante Ho
norium,eſſe duas Chriſti voluntates, alteram diuinã,
humanam alteram. Quod cum ex multis aliis,tum ex
epiſtola illa canonica magni Leonis ad Flauianum per-
ſpici poteſt,quę firmamentum rectę fidei appellata eſt,
„ operatur(inquit) vtraque forma cõmunione alterius,
„ verbo operãte,quod verbi eſt,carne quod carnis,quid
clarius?& audet dicere Pygius nihil ante decretum,ex
poſitumque eſſe, vtrum duplex energia voluntatis,an
vna eſſet in Chriſto?quid differt,quod Sergius Cyro
epiſcopo Phaſidis de eadem re conſulenti reſpondit,
ſcilicet non eſſe quicquam ante , ne in Calcedonenſi
quidem concilio de eo decretum?id enim Leonis a ne
mine ſic accipi,aut exponi.Quod quam ſit falſum , ſa-
tis eſt in concilio eodem. 6.explicatum.Sed audi teſti-
monium Martini Pontificis,in Synodo Romana,quæ
ante tempora Agathonis contra Monothelitas habita
» eſt,luculente,inquit,omnibus cõprobatur per patrias
» diffinitiones,quod duę naturę Chriſti exiſtunt in vni
» tione inconfuſę,& indiuiſę,& duę voluntates, & duę
» operationes,& proprietates naturales,& paulo poſt,
» oportet eam deſtrui vtpote contradicentem doctrinę
» ſanctorum patrum & diffinitioni concilii Calcedonẽ
ſis,nimirum quod de re hac Leoni viſum eſt,idem Cal
cedonenſi concilio viſum,decretumque eſſe iudican-
» dum eſt,vt eadem Martini Synodus his verbis teſta-
» tur,ſuper hanc beatæ memorię Leonis Romanę vrbis
» pręſulis vocem Orthodoxã conuicti, imo per omnes
» ſanctos,ac venerabiles patres ſecundum Calcedonen-
« ſe concilium,quoniam ipſius eſſe nulli venit in dubiũ,
» ſicut iam referatũ eſt,quicquid ab ea diffinitione Leo-
» nis cõfirmari dignoſcitur,& quę ſequuntur.& ſanctus

Maximus

» Maximus in eadem Synodo Martini loquens de dua-
» bus Chriſti voluntatibus, ita ait, Ad hunc modum,
» qui ſapere non vult, ſanctam Calcedonenſem reſpuit
» Synodum, omneſque ſanctos ac venerabiles patres,
» quippe quoniā in diffinitione ſua luce clarius promul
» gaſſe demonſtratur, aſſerens in hoc tantummodo mi-
» nime computari differentiam naturarum poſt vnita-
» tem, quia vtriuſque naturę ſaluatur abſque peccato na
» turalis proprietas, eſt autem naturalis proprietas hu-
» manæ naturæ humane velle, & diuinæ, diuine. quod
» qui negat, idem (ait) Calcedonenſem Synodum negat. Præterea manaſſe hanc hæreſim ab Apollinare, Dioſcoro, Theodoſio multo ante damnatis docet hęc ipſa ſexta Synodus cum aliis in locis, tum in extremo decimæ actionis, ita enim ibi ex libro Apollinaris de
- obſcuris eius. Deus aſſumens inſtrumentum, Deus eſt
- ſecundum quod operatur, homo ſecundum quod in-
- ſtrumentum, manens Deus non mutatur. inſtrumen-
- tum & quod ipſum mouet vnam ſolet perficere opera
- tionem, & ſi vna eſt operatio, vna item eſſentia. Et ſupra in actione .8. ſic in Macarium huius peruerſæ ſententiæ de vnica voluntate pronunciat. Nouo Dioſco
» ro anathema, nouo Apollinari malos annos. Quemadmodum ergo non eſt antea decretū duplicem eſſe Chriſti voluntatem? aut quemadmodum non fuit neceſſe, vt decerneretur, cōtra eos hæreticos qui ex vnica operatione, vnam Chriſti naturam colligebant? Verum fuiſſe de hoc ſuperioribus temporibus cautum, & ab euangeliſtis, & a Paulo infinitis in locis expreſſum, copioſius docet ſanctus Maximus in ea diſputatione, quā contra Pyrrhum habitam conſcripſit. Deinde Pygius vt quoquomodo, quaque via, ſi poſſit, vincat, pergit oſtendere, ne id quidem de vna voluntate ſenſiſſe Honorium in epiſtola illa ad Sergium, quæ eſt in iiſdem actis. 6. Synodi & recitatis paucis quibuſdam ex illa

- ipſa epiſtola, ſubiungit idem hac eius, quam docuit fi-
- dem Honorius, neque diuus ipſe Petrus proferre po-
- tuiſſet magis Orthodoxam. An ſi quædam recte, idcir
co quæ minus recte, diſſimulanda ſunt? ſane non loque
batur de religione, ſed de poëmate, qui dixit nõ ſe pau
cis offendi maculis, debet enim religio pura eſſe, neq.
vlla ex parte claudicare. Sed videamus quid illud, &
quale, quod Pygius tantopere in literis Honorii lau-
dat, nempe quod propter verborum nouitatẽ, neque
vnam, neque duplicem voluntatem prædicandam eſſe
cenſuerit, At cum ſuaſu Pauli archiepiſcopi Conſtanti
nopolitani, Conſtantinus propoſuiſſet edictum, quod
Typum appellauit, de non profitẽdis aut vna, aut dua-
bus voluntatibus, Synodus Martini non probauit illã
» Typi ſententiam, neque enim (inquit) in cauſa fidei ſa
» tis eſt, falſum non pronunciare, ſed verum oportet pro
» fiteri, vt ſicut petebat Abraam, iuſtus cum impio ne
» pereat, & declinetur malum, & fiat bonũ, & ſicut per
» Moſen præcepit, vt ſanctum a profano diſcernatur, re
» cte Calixtus põtifex, homini religioſo parum eſſe de-
» bet inimicitias aliorum non exercere, vel non augere
» loquendo male, niſi eas etiam extinguere bene loquẽ
» do, & illud vetus eſt, non caret ſcrupulo ſocietatis oc
» cultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. At Ho-
norius Sergii ad Sophronium literas laudat de nõ pro
fitendis vna, aut altera voluntate Chriſti. Ergo poſt
hæc, quæ Pygio videntur optime illa quidem ab Ho-
norio dicta, illud, addit, quod nemini profecto rectum
- videatur, vnde, & vnam confitemur voluntatem Do-
- mini noſtri Ieſu Chriſti. Ac paulo poſt, etſi quidẽ ſcri-
- ptum eſt, non veni facere voluntatem meam, ſed eius
- qui miſit me patris, & non quod ego volo, ſed quod tu
- vis pater, & alia huiuſmodi, non ſunt inquit hæc diuer
- ſæ voluntatis, ſed diſpenſationis humanitatis aſſum-
- ptæ; iſta enim propter nos dicta ſunt, quibus dedit exẽ

plum, vt aſſectaremur veſtigia eius, pius magiſter diſcipulos imbuens, vt non ſuam vnuſquiſque noſtrum, ſed Domini in omnibus præferat voluntatem. Quid clarius pro vna voluntate, vnaque eius energia ab Honorio dici potuit? quod vero narrat Pygius, recẽtes quoſdam hiſtoricos haud magni nominis auctores ſecutus, Pyrrhum, qui in Monothelitis fuit, ab Honorio fuiſſe damnatum, tametſi ita eſſet, quod falſum eſſe mox docebimus, tamẽ minime cum ipſa Honorii epiſtola pugnaret, ob id enim Pyrrhus dãnatus eſſet, quod ſic vnã volũtatem Chriſti profiteretur, vt plane ad Eutychetis ſententiam delaberetur, quam ipſe Honorius execrabatur. Etenim quamuis ſuis ad Sergium literis Honorius ſignificaret, non eſſe duas Chriſti volũtates, tamen ob offenſionem, & inuidiam noui verbi, vt putabat, neque vnam voluntatem profiteri cõcedebat, ne, inquit, Eutichiani videantur, itaque volebat licere aliquid ſentire, quod idem non liceret profiteri, ac docere, ſcilicet, ne vt idem ait, ſcãdalum in eccleſiis Dei generaretur. At Pyrrhus non modo eccleſiaſticæ ſeditionis auctor erat, ſed publicę ſententiæ Eutychetis iam ante damnatæ renouator. Verum non fuiſſe Pyrrhum ab Honorio damnatum, magnum argumentum eſt, quod quantum & diligentiſſimis, ex antiquę fidei, magniq. nominis hiſtoricis Theophane & Anaſtaſio colligere licet, primus põtifex Maximus, qui Monothelitarum diſciplinam damnauit, fuit Ioãnes quartus Dalmata, idem etiam quartus ab Honorio, poſt eum anno ſeptimo, ita enim illi narrant Heraclium Imperatorẽ vigeſimo Imperii ſui anno iuſſiſſe Cyrum ad ſe accerſiri, quem cum reperiſſet in eadem cum Sergio ſententia, adiunxiſſe ſe ad eos, deque eo ſcripſiſſe ad Ioãnem pontificẽ Romanum, a quo cum dãnatum eſſe dogma, ſimul etiam a Sophronio Hieroſolymitano audiſſet, aliquãtulum ſe reuocaſſe, & propoſito edicto cauiſſe,

ne quis vnam, duaſue voluntates prædicaret, aut defenderet. Poſt mortem vero Sergii, Pyrrhum Sergii & Cyri ſectam ſuſcepiſſe, & amplificaſſe. Tum Heraclio vita defuncto, eundem Pyrrhum vna cum Martina Conſtantinum Heraclii filium veneno ſuſtuliſſe, & Heracleonam Martinæ filium imperaſſe, quo poſtea pulſo cum matre, Conſtantem Conſtantini filium Imperium adiiſſe. Itaque Ioannem cum concilio Romano damnaſſe Monothelitas, idemque factum fuiſſe in Africa, Numidia, Mauritania ab epiſcopis. Poſt Ioannem vero conſecutum eſſe Theodorum Pontificem, cuius temporibus Pyrrhus ad Africã profectus fuerit vna cum ſancto Maximo, a quo cũ coargueretur, veniſſe ad Theodorũ, & oblato libello rectæ confeſſionis, receptum fuiſſe, Diſcedentem vero Roma, poſtea cum Rauenam perueniſſet, rediiſſe ad inſaniam priorem. Tunc Theodorum aduocato concilio Pyrrhum anathemate iterum affeciſſe, & ordine epiſcoporum mouiſſe, deinde Pyrrhum reuerſum Conſtantinopolim mortuo Paulo patriarcha, lectum eſſe ab hæreticis patriarcham. Poſtremo Martinum pontificem Theodori ſucceſſorem, conuocato concilio: 110. epiſcoporum, eandem quoque ſentẽtiam, eiuſdemque patronos tertio condẽnaſſe. Nũquid hic audis de Honorio? ecquis dubitat, quin, ſi is Pyrrhum damnaſſet, tam diligentes hiſtorici hoc loco, qui proprius erat ad narrãdum, meminiſſent? nulla hic mẽtio de Honorio, imo neque de Bonifacio, & Seuerino qui inter Honorii, & Ioannis quarti ætates interiecti fuerunt ſex fere annorum ſpatio. Ex his etiam perſpici poteſt falſum eſſe quod hic ait Pygius, Theodorum Honorio ſucceſſiſſe, cum tres eum deinceps conſecuti fuerint pontifices, licet mediis interuallis, itẽ falſum eſſe, Theodorũ reſtituiſſe Pyrrhum ſedi Conſtantinopolitanę, neque enim poſtquam factus eſt patriarcha, pulſus vnquam eſt, neque a

Theodoro creatus patriarcha,ſed ab hæreticis,ſucceſſitque is Paulo Monothelitæ,non autem Paulus Pyrrho,vt Pygius facit. Item quod ait Platina, hortante Honorio, relegatum fuiſſe Pyrrhum ab Heraclio, ſi quidem de exilio verum eſt,accipiendum potius, hortante Ioanne,quæſo,cum variant auctores,vtrum eſt fides accommodanda,iis, quæ ex vetuſtate annalium repetuntur,an iis,quæ ex recentibus nouelliſque hiſto riis? Verum illud eſt omnium maximum argumẽtum, non fuiſſe Pyrrhum ab Honorio damnatum,quod in eo libro quem Maximus de ſuis cum Pyrrho diſputationibus conſcripſit,Cum obiiciat Pyrrhus Honoriũ, eiuſque auctoritate ſententiam ſuam velit defendere, nunquam Maximus damnationem Pyrrhi profert ab Honorio factam. At qua ratione potuiſſet Pyrrhum vehementius refellere,qui Honorium ſuæ ſententiæ faceret,quam ſi ab eodem Honorio dãnatum eſſe doceret? tantum abeſſe,vt cum ipſo conſentiret ſed conuertam in Latinum,totũ hunc Maximi locum, ex quo quid de Honorio ſuſpicari liceat,facile (vt mihi videtur) intelligi poteſt. Pyrrhus. quid tu habes, quod de Honorio reſpondeas,qui literis ſuis,quas ad Sergium ſuperioribus temporibus ſcripſit,vnicam plane volun tatem Domini noſtri Ieſu Chriſti profeſſus eſt. Maximus. Vtra harum literarum verior, certiorque interpretatio habenda eſt,eius ne ſcribæ qui nomine Hono rii illas ſcripſit, præſertim cum idem adhuc ſuperſtes ſit,omniſque virtutis ſplendore,& religionis diſciplina,totius occidentis partes ornarit,an Cõſtantinopolitanorũ ciuium,qui nihil,niſi quod ipſis libet loquuntur? Pyrrhus. Verior eius,qui ſcripſit. Max. At is ad Imperatorem Conſtantinum ſic de illa epiſtola (ſcilicet propter quam Honorius accuſabatur) iuſſu Ioannis Pontificis ſcripſit,Sane quod vnam Domini noſtri voluntatem diximus,non eſt accipiendum, quaſi de dua

» bus diuinæ,humanæque naturę dictum voluntatibus,
» ſed humanę tantum.Cum enim Sergius ſcripſiſſet, prę
» dicare quoſdam duas eſſe Chriſti voluntates contra-
» rias,nos reſcripſimus,Chriſtum duas voluntates con-
» trarias non habere,vnam inquam carnis,alteram ſpiri
» tus,ſicuti nos haberemus, ex quo Adam peccaſſet, ſed
» vnam modo,quæ naturæ humanæ ipſius Chriſti pro-
» pria eſſet,cuius rei euidens eſt argumentum,quod cor
» poris,partiumque eius meminerimus,quæ in illius di
» uinitatē non cōuenire poſſunt.deinde occupans quod
» obiici poterat,ait,ſi quis quærat,cur cum de humani-
» tate Chriſti tractaremus, de ipſius diuinitate nullam
» mentionem fecimus,nimirum quia ad quæſtionem po
» ſitam reſponſum eſt,deinde ſacræ ſcripturæ exemplū,
» cum in cæteris aliis,tum hic ſecuti ſumus. In ea enim
» aliquando ſermo habetur de diuina natura, vt cum ait
» Apoſtolus,Chriſtus Dei potentia,& Dei ſapientia,ali
» quando de humana tantum, vt cum idem Apoſtolus
» ait,quod ſtultum eſt Dei,ſapientius eſt hominibus, &
» quod infirmum Dei,fortius hominibus. Pyrrh. Sane
» Sergius qui ante me fuit,ſimplicius hoc accepit in ver-
» bis ipſis hærens.Max.Vera refero.Quid hic auditur de
Pyrrhi damnatione? Profecto ſi eum Honorius dam-
naſſet,dicam iterum,hoc imprimis reſpondiſſet Maxi
mus,cum oſtendere vellet, nō fuiſſe Honorium in Ser
gii,Pyrrhique ſententia,cum hac vero interpretatio-
ne allata literarū Honorii ad Sergium,vt dicam quod
ſentio,non video quomodo conueniant illa ex epiſto-
la Honorii,non veni facere volūtatem meam,ſed eius
- qui miſit me,patris,& non quod ego volo ſed quod tu
- vis pater,& alia huiuſmodi,non ſunt hæc diuerſæ vo-
- luntatis,ſed diſpenſationis humanitatis aſſumptæ,iſta
- enim propter nos dicta ſint,&c.hic enim nō de huma
- na tantum voluntate Chriſti loquitur Honorius, ſed
de diuina,cum quicquid habeat pater, filius itē habeat,

niſi patrem eſſe.quẽadmodum ergo non in eo ſint duæ voluntates?aut quemadmodum hæc de vna tantum ac cipi poſſunt?ſane ſecretarius Honorii partem epiſtolæ interpretatus eſſe videtur,nō totam. Deinde ſequitur in Pygio,ab hoc ſexto concilio impii, ſacrilegi, perfidi,& ſceleratl,atque hæretici hominis Conſtantii Imperatoris memoriam ſanctificatã eſſe. Primum laudatus eſt non a concilio,ſed a Gregorio chartophylace, & miniſtro a tabulis,deinde quę magna laus eſt dicere prȩſertim cũ ſic loqui conſuetudo fert,ſimiliter protuli tres proſphoneticos,id eſt acclamatorios tomos,eiuſdem Pauli ad ſanctæ memoriæ quondam Imperatorẽ noſtrum,& patrem piiſſimi noſtri Domini & Imperatoris de vna volũtate,& operatione. Ecquis patrem noſtri Imperatoris coram eo præſertim,niſi honorificẽtiſſime nominare auderet,eſto fuiſſet nequiſſimus, vt quidem fuit optimus,& catholici nomine digniſſimus?Iam quod Bedam,Blendum,Platinam hiſtoricos laudibus ait extuliſſe Honorium,tãtum abeſſe,vt quis illorum hanc illi maculam inuſſerit. equidem laudaſſe fateor,aliarum virtutum merito,cur vero de hac eius dãnatione nihil nobis prodiderint, nihil certi habeo, ſed ego,non exiſtimo quærendum eſſe,qui non ſcripſerint,ſed qui ſcripſerint,& qua illi auctorirate ſint, etſi Beda quidem Honoriũ numerat inter eos,qui in ſexta Synodo fuerunt cõdẽnati. Deinde ita eſt de Honorio dãnato in pontificali in vita Leonis ſecũdi,& in epiſtola eiuſdem ad Conſtantinum.Præterea in Synodo Romana Martini Pont.quam corruptam eſſe a Græcis ſuſpicari non poſſumus, recitata eſt Pauli Conſtant.ad Theodorum pont.epiſtola,in qua ſcriptum eſt de Sergii & Honorii conſenſu in hac opinione, quod a nemine eius Synodi refutatum eſt,vt ex quarto eiuſdem Synodi ſecretario (ita enim actum ibi vocant) perſpici poteſt.Itẽ Vmbertus epiſcopus & Cardinalis Leo-

nis noni ad Conſtantinopolitanos legatus, vir ſumma doctrina & religione in libro, quem aduerſus Nicetã ſcripſit, hiſtoriã ſextæ Synodi ſummatim repetens Honorium quoque numerat inter damnatos Monotheli tas. Præterea ita eſt ſcriptum in omnibus exẽplis ſextæ Synodi, ſuſpicari vero omnia exempla corrupta eſſe, temerarium eſt, niſi ab eadem officina omnia profecta, & ab eodem artifice ficta eſſe putemus. omniũ autẽ certiſſimum huius damnationis argumentum eſt, Quod cum Hadrianus ſecundus, conuocato Romano concilio, ageret cum reliquis epiſcopis de damnando Photio, qui id eſſet in Põtificem auſus, quod olim Dioſcorus in magnum Leonem, ſcilicet, pronunciare anathema, illud dixit in ſenatu, a nemine vnquam iudicatum damnatumue eſſe Pontificem, nam Honorium fuiſſe quidem poſt mortem ob hæreſim, & id quidem conſentiente pontifice. deinde adiungit exemplum alterum de Symmacho, quem cum accuſaret Theodoritus rex, congregaſſetque concilium epiſcoporum, vt de eo decerneretur, quiſque eorum reſpõdit, reſeruare ſe eam cauſam iudicio Dei, atque ita ſignare, ſunt autem perſcripta hæc in .8. cõcilio contra Photium habito, quod Anaſtaſius ſumma diligentia, & fide auctor religioſiſſime in Latinum conuertit, qui idem Græcus, Græcis huiuſmodi proditionem librorũ multis in locis exprobrat, & obiicit, quique eidem cõcilio interfuit. Quod ſi in hac Hadriani oratione Honorii nomen ſuppoſitum quoq; eſſe diceremus, ſequebatur, vt tota illa oratio, ſeu vt ipſe vocat, allocutio commenticia foret, cũ tota ea ſit ex his duobus exẽplis Honorii & Symmachi compoſita. ita enim perſcriptnm eſt in ſeptima actione,

„ Allocutio tertia Hadriani pontificis in concilio
„ quod idem Romæ congregauit ad damnandum Pho-
„ tium, recitata per Petrum diaconum. Intolerabilis eſt
„ iſta præſumptio dilectiſſimi & aures præcordiorum fa-

teor,

» teor, ſuſtinere non poſſunt, quis vnquam noſtrum ta-
» le quid, precor, audiuit? vel quis huiuſmodi temerita-
» tis ſaltim lectione immenſitatem inuenit? Si quidē Ro
» manum pontificem de omnium eccleſiarū præſulibus
» iudicaſſe legimus, de eo vero quemquam iudicaſſe nō
» legimus. licet enim Honorio ab orientalibus poſt mor
» tem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quod ſu
» per hæreſe fuerat accuſatus, propter quam ſolum licitū
» eſt minoribus, maiorum ſuorū motibus reſiſtere, vel
» prauos ſenſus libere reſpuere, quamuis & ibi neq. Pa-
» triarcharum, neque cæterorum antiſtitum quiſpiam
de eo, auſus fuerit proferre ſententiam, niſi eiuſdem
primæ ſedis pontificis conſenſus præceſſiſſet & aucto-
ritas, deinde ſequitur alterum exemplum de Symma-
» cho, meminimus interea ſcriptū quod rege quondam
» Italię Theodorito papam Symmachum &c. Neque ve
» ro quod Honorius ab orientalibus damnatus eſſe dica
tur, ex eo efficitur, vt Cardinalis ſancti Sixti, vir alio-
qui ſingulari doctrina in ſua ſumma eccleſiæ falſo ſigni
ficare videtur, vt minus auctoritate eccleſiæ catholicæ
damnatus ſit, etenim ſi ita eſſet, fuiſſet profecto abſolu
tus poſtea, vt Ioannes Conſtantinopolitanus archiepi
ſcopus iniuſte condemnatus dum viueret, poſt mor-
tem ab Innocentio primo & eccleſia catholica Roma-
na abſolutus eſt, Flauianus item Conſtantinopolita-
nus contra ius quoque damnatus, a magno Leone &
Synodo Calcedonenſi ſimiliter poſt mortem abſolu-
tus. addit enim Hadrianus, conſentiente Pontifice,
damnatum Honorium, nihil autem refert, vtrum ab
orientalibus quid, an ab occidentalibus decretum ſit,
modo pontificis accedat auctoritas. Siquidem in oriē
talium, aut occidentalium appellatione, non auctorita
tis, dignitatiſue, ſed patriæ, ac regionis diſcrimen in-
eſt, vt Ambroſius vir diuina ſanctitate, & ſingulari do
ctrina præditus in concilio Aquileienſi ſatis declarat

» his verbis,ſuperioribus temporibus concilium hic fa-
» ctum eſt,vt orientales in orientis partibus,occidenta-
» les in occidentis concilium haberent,quæ ſemper fuit
» conſuetudo, ne alteri alteros tametſi vocare non ſo-
» leant,tamen nō prohibeant.Sic etiam dicere ſolemus decretum fuiſſe ab occidentalibus, quod alioqui ab ecclesia catholica decretum eſt,vt ſpiritus ſanctus ex patre filioque procedere dicatur.Itaque vt falſo quærun tur Græci, hoc de ſpiritu ſancto,aut aliud quid conſtitutum eſſe ab occidentalibus vna cum pontifice, cum ipſi abeſſent,ita falſo quærantur Latini,damnatū fuiſſe Honorium ab orientalibus aſſentiente pontifice. Præterea cum ait Hadrianus ſecundus ante iudicium, damnationemque Honorii a nemine vnquam iudicatum eſſe pontificem vllum, profecto de recto iudicio, iuſtaque damnatione loquitur,conſtat enim fuiſſe antea magnum Leonem a ſcelerato & nefario Dioſcoro impie iudicatum,& condemnatum. Ergo Hadrianus pontifex iudicatum eſſe dicit Honorium iuſte, & auctoritate pontificis damnatum hæreſeos. Non enim negare poteſt Pygius Honorii literas ad Sergium obſcuras,inconſtanteſque fuiſſe,& nunc de vna,nunc de duplici voluntate ſignificaſſe,id quod in Synodo Martini cęteris Monothelitis obiicitur his verbis,& quod
- fœdius eſt,vnam habere,& neque vnam habere volū-
- tatem aſſeruerunt. tum acceſſit ad hanc varietatem & inconſtantiam offenſionis plenam,quod cum a vita receſſiſſet Honorius,non potuit animi ſui ſententiā exponere, cui ſoli fortaſſe nota erat,neq; enim ſatis fuit, quod eius mentem eius ſecretarius interpretatus eſt, vt ex Maximo cognouimus,cum neque ſatis ſit ad innocentiam probandam,ac ſuſpicionē tollendam, quæ quis dicat,aut ſcribat,ab aliquo ea in meliorem partē accipi,ſi æque in malam poſſint. Deinde cum Honorii pontificis auctoritate huius ſententię de vnica volun-

tatæ defenſores & patroni niterentur. Profectò niſi damnatus fuiſſet Honorius, de ea, quam προσωποληψίαν Græci vocant, id eſt, de perſonarum acceptione queſti fuiſſent, & miſe ricordiam in iudicio tributam eſſe clamarent, atq. ita ob eam cauſam pertinacius fortaſſe in peſſima ſentẽtia permanſiſſent, quod cum Hono rius intelligeret vir alioqui ſanctiſſimus, quis dubitet, quin optabile illi etiam fuiſſet anathema fieri pro fra tribus ſuis? libenterque feciſſe famæ iacturam, vt illos in naui eccleſiæ ſeruaret? præſertim cum magnus fortaſſe metus eſſet, ne ſuſpicio quamquam falſa de fermẽ to Honorii totam maſſam corrumperet? poſtremo pri uatas literas ad Sergium miſerat Honorius, nõ autem de concilii ſententia, & maturo fratrum conſilio, neq. vero ſi quid pontifex priuate tradit, id cõtinuo impingendum eſt, & aſſignandum petrę, de qua illud, portę inferi non præualebunt aduerſus eam. Credo equidẽ, Honorium, aut adulatione, aut metu ſcripſiſſe, quę nõ gerebat in animo. certe Beda teſtatur iuſſiſſe Iuſtinianum, vt Sergius pontifex Ro. Conſtant. traheretur, quod noluiſſet alteri ſextæ Synodo nefariæ pro Mono thelitis habitæ ſubſcribere, itaque aptiſſime, & veriſſi me dicere poſſumus, quod ſanctiſſimus põtifex Gela ſius eis reſpondit, qui Petrum Patriarcham Alexandri num hæreticum a neſcio quo pontifice, vel eius aucto
« ritate abſolutum eſſe iactabant, ſi (inquit) ſubſecutus
» eſt pontificis alicuius aſſenſus, adulationis potius fuit
» quam legitimæ ſanctionis, ſi præceſſit aſſenſus, docea-
« tur, a quibus & vbi ille ſit geſtus, ſi ſecundum eccleſiæ
« regulam celebratus, ſi paterna traditione profectus, ſi
« maiorum more prolatus, ſi competenti examinatione
« depromptus, vbi proculdubio requirendum eſt, ſi Sy-
« nodali congregatione celebratus, quod ĩn receptione
« damnati, & depulſione catholici, quia noua cauſa eſt,
« fieri certiſſimum eſt. Quorum cum nihil in his Hono-

rii literis ad Sergium mittendis, & in hac eius cum Monothelitis cõſenſione proferri poſſit, quid eſt, cur tantopere hanc illi notam, quæ manifeſtiſſimis argumentis coarguitur inurere vereamur? quid ergo Pygius ita laborat quaſi nullum iam exitum reperire poſſe videatur in põtifice quopiam damnato? aut cur veriſimilius illi videtur commentitia eſſe hęc acta, quam Platinam de damnatione Honorii ignoraſſe? aut, cur, quia Beda non meminerit (vt ipſe putat, tametſi meminit quidẽ, vt ante dixi) idcirco falſum eſſe aſſerat? Sed pergam vlterius. Commentitia præterea hæc acta putat & appellat Pygius, quoniam binæ literæ Cyri ad Sergium patriarcham Conſtantinopolitanum inſcriptæ ſunt, ſic, Sergio patriarchæ vniuerſali, quam inſcriptionẽ quis hominum iudicet taciturnitate, vt ipſe ait, a legatis approbatam fuiſſe? hoc eſt, quia nõ ſtatim vociferati ſint, vt audierunt, miror Pygium non conſideraſſe eſſe literas illas Cyri hæretici ad Sergium Conſtantinopolitanum patriarcham, eundemque hæreticum, quæ cũ ſint totæ hęreticę, quid mirum, ſi inſcriptio vaniſs. ſit & inſolentiſs. an non totę damnatæ ſunt cum auctore? Quis ergo approbatas fuiſſe exiſtimet, quia non continuo, vt lecta eſt inſcriptio, aut tota epiſtola, relictis maioribus rebus, inuecti ſunt in Cyri inſolentiam, profecto leuiſsima hæc ſunt, & præ infirmitate, vix digna confutatione. Præterea literas Agathonis ad Conſtantinum Imperatorem adulatione plenas eſſe dicit, atque idcirco confictas, ſcilicet quia tranquillam manſuetudinem eius appellat, & eiuſdem literas, diuales apices, & vrbem Romam principatus eius ſeruilem, quamobrem alieniſsimas eſſe a grauitate, & ſtilo põtificio. At cum hæc, eiuſmodiq. alia in omnibus fere conciliorũ actis legantur, quid ſupereſt, niſi vt hac ratione nihil nos habere putemus, quod Græcorum manus, & eorum corrumpendi artificium euaſerit. Sane ſi octauam Syno-

dum,quę eſt omnium integerrima fide, quamquã barbare verſa Latine,tum ſi Nicolai.1.epiſtolas, quæ nunquam in Græcia peregrinatæ ſunt,neque corrumpi potuerunt Græcorum conſuetudine,vt quæ nuper ex tabulario pontificio prodierint integræ,item ſi Leonis magni,attentius relegiſſet Pygius,& cum hæc ſcriberet,meminiſſet,nunquam profecto cõmiſiſſet, vt tam leuiculo argumento,hiſtoriæ tam vtilis,tamque neceſſariæ, quæ in his actis continetur, fidem & auctoritatem vellet euertere.Quid? ficta ſunt in conciliis Toletanis antiquiſſimis, noſtra ſublimitas, noſtra celſitas, & illa hodie ſacra & catholica maieſtas? deinde cum ſe Pontifex ſeruum ſeruorum Dei appellãt,quod (vt proditum memorię eſt) Gregorius magnus primus cœpit appellare,quid mirum ſi Agatho ſcribens ad Imperatorem,Romam appellet ſeruilem ſereniſſimi principatus eius,an periculum erat, ſi ſic pontifex loqueretur, ne captiuus duceretur,aut in ſeruitutem veniret? an qui ſe ſeruum ſeruorũ Dei vocat,nõ ſe vocat ſeruũ Imperatoris ſi eundẽ ſeruũ Dei ducit eſſe?quod ſi ſe eius ſeruum nominat,cur vereatur Romam,& Italiam nominare ſeruas, præſertim quarum eſſet Imperator? iam quod ait Pygius alieniſſimas eſſe ab ſtilo Pontificum Agathonis literas,cum ſtilus in genere dicendi cernatur,genus autem dicendi in ſententiis,ac verbis,& eorum figuris, de verbis quidem nihil iudicare debuit, cum hæc ex Græcis tranſlata ſint,& quidem barbariſſime,ad verbum,vt ipſe,collatis Gręcis, perſpexi, res vero ac ſententię quemadmodum non cõgruant Pontifici,nõ aſſequor,cum grauiſſimæ ſint,& ſanctiſſimę, cuiuſmodi omnes pontificum ſunt. Sed hactenus de ipſa hiſtoria ſeu actis concilii ſexti œcumenici, nunc de centum & amplius canonibus qui huius Synodi eſſe feruntur,admonendi cauſa pauca dicam. Primum quo tempore editi ſint, eſt enim de eo inter auctores

cõtrouerſia,deinde de eorum auctoritate,& qui mihi
falſi eſſe videantur,ergo tempus diligẽtiſſime omniũ,
& veriſſime notauit Theophanes Gręcus auctor,is cu
ius ſupra meminimus, qui fuit Taraſii Cõſtãtinopo
litani ſyncellus,ita enim vocant,qui a tẽporibus Deo
cletiani Imperatoris vſque ad Michaëlem Leonis filiũ
annales rectos, & ſimplices fideliſſime perduxit. eum
itaque locum totidẽ fere verbis Latine interpretabor,
,, illud oportet nõ ignorare,caſſum & nugatorium eſſe,
,, quod quidam dictitant,eos qui eſſe ſexti concilii cano
,, nes apud ipſos falſo feruntur,poſt. 4.annos editos fuiſ
,, ſe,vt enim in cęteris omnibus falſitatis coarguũtur,ita
,, in hac re quoque mentiuntur.Sic enim eſt vera tempo
,, rum notatio,habitum eſt ſextum cõcilium maximum
,, contra Monothelitas duodecimo anno Imperii Con-
,, ſtantini,qui fuit Heraclii nepos,a mundo condito ſe-
,, xies milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo.Impe
,, rauit autem poſtea idem Conſtantinus aliis quinque
,, annis,eo vero defuncto vita,imperauit eius filius Iuſti
,, nianus annis.10.quo eiecto, Leontius tenuit imperiũ
,, triennio, Leontio ſucceſſit Tyberius, qui Abſimarus
,, etiam eſt nominatus,fuitque is in imperio annis.7.de
,, inde Iuſtinianus,is qui fuerat expulſus, in imperium
,, reductus eſt,imperauitque rurſus ſex annis, vt iam ſe-
,, cundo anno huius poſterioris imperii Iuſtiniani deſcri
,, ptos fuiſſe canones vel ex ipſo tertio canone euidens
,, ſit,in quo ita cautum eſt, Decernimus de concilii ſen-
,, tentia,vt qui bis vxorem duxerint,& ante hunc diem,
,, qui decimus quintus menſis Ianuarii numeratur quar
,, tæ indictionis anni ſexies milleſimi centeſimi nonage-
,, ſimi noni in hac culpa fuerint,neq. eam maculam elue
,, re voluerint,vt gradu moueãtur &c. Hactenus Theo
“ phanes.27.itaque annos a concilio habito vſque ad de
ſcriptos canones numerat Theophanes,& eum ſecu-
tus imo interpretatus Anaſtaſius,ratione vero tempo

rum ex patriarchis inita.28.vt idem quoque Theophanes indicat. Ex quo fit, vt quod ait Taraſius in.4.actione.7.concilii, quatuor aut quinq. annis poſt ſextam Synodũ ſancitos eſſe hos canones, id aut ſuppoſitum ſit, vt Græci facere conſueuerunt, quo maior auctoritas his legibus tribueretur, aut falſo hoc crediderit Taraſius. de quo nihil præterea ſit ibi diſputatum, quia fortaſſe neque locus, neque tempus idoneum eſſet. & ſi mihi veriſimilius videatur, ſic Taraſium putaſſe, tum quod ita in omnibus exẽplis legatur, tum quod Anaſtaſius ſi ſuppoſitum eſſe cognouiſſet, vel exiſtimaſſet, non diſſimulaſſet ſuo more, aut in ipſo loco, aut in procœmio, vbi de ſuppoſitis & falſis loquitur. Præterea cum dicunt graues auctores, falſo quoſdam exiſtimare 4. annis poſt.6. Synodum ſcriptos eſſe hos canones, nõ de vulgaribus & ignobilibus auctoribus loqui putandi ſunt. Anno vero poſt canones editos quinto, qui fuit primus imperii Philippici, conſecutum eſt conciliabulum, quod ſextum etiam appellatum eſt, in quo ſacrum concilium ſextum damnatum eſt, & ſentẽtia illa peruerſa & hæretica de vnica Chriſti voluntate comprobata. ex quo rurſus fit, vt falſum item ſit, quod nonnulli exiſtimant, manaſſe hos canones ex hoc altero cõcilio ſexto nefario. Iam de auctoritate horum canonũ, ſi id concilium, ex quo hi canones prodierunt, œcumenicum fuit, vt frequenter quidem in iiſdem ipſis canonibus appellatur, quis Põtifex Maximus interfuit? aut qui eius legati? aut quodnam poteſt eſſe œcumenicum ſine illius auctoritate? ſignare ſe dicit Imperator Flauius Iuſtinianus infra ſanctiſs. Papam Romanum, ſed nomen tacet, deinde ſignant quatuor patriarchę cum reliquis, nuſquam pontifex, aut legati ſignant, quæſo quis iſte papa ſanctiſſimus? cur cęlas Iuſtiniane? Sed de his canonibus audi, quid Vmbertus, quem ſupra memini Leonis noni ad Conſtantinopolitanos legatus ſenſe

rit in libro quem aduerſus calũnias Michaëlis patriar. Conſtan.& Leonis Acridani archiepiſcopi Vulg.ſcri-
" pſit ante annos quingentos,& amplius. Non autem
" mirum inquit, ſi Agathoni papę, & cunctis patribus
" veſtra imputatis deliraméta,& quę aut corrupiſtis,aut
" finxiſtis capitula,cum etiã ipſi Domino Ieſu Chriſto,
" & apoſtolis eius imputetis figméta,vnde nos ſcientes
" ſextam Synodum ad deſtruendam hęreſim Monothe-
" litarum,non autem ad tradendum Romanis nouas cõ
" ſtitutiones,congregatam,capitula,quę nobis ſub eius
" auctoritate opponitis,omnino refutamus,quia prima
" & apoſtolica ſedes neque aliquando ea accepit, neque
" obſeruat hactenus, quia ea aut nulla,aut, vt vobis li-
" buit,deprauata ſunt, ſicut deprauaſtis Ioannis Chryſo
" ſtomi,& Gregorii Theologi,& aliorum Orthodoxo
" rum patrum dicta,& exhibuiſtis in eadem Synodo ſex
" ta. Idem etiam ſcribens aduerſus Nicetam, de Papa, in
" quit, Agathone omnino ſcimus,quia neque ſextæ Sy
" nodo per ſeipſum præſedit,neque aliquibus capitulis
" eius ſubſcripſit,niſi quæ promulgata fuerunt aduerſus
" Monothelitarum hæreſim,vos videte vnde hæc habea
" tis,quia eccleſia Romana hactenus talia ignorauit. ha
ctenus Vmbertus. Præterea quod ait Taraſius eoſdem patres, qui interfuerant ſexto concilio,reuerſos eſſe Conſtantinopolim poſt quatuor aut quinque annos ad deſcribendos eiuſmodi canones, ego non intelligo,quemadmodum iidem dicantur rediiſſe, quorum principes patres,hoc eſt legati abfuerint, aut certe ſi non abfuerunt,cur non ſignarunt, vt patriarchæ, imo alius iam põtifex Romanus erat, alius patriarcha Conſtan. alia nomina patrum,alius item numerus, vt ex ſubſcriptionibus,quę extant,perſpici poteſt. de quo etiã Anaſtaſius admonuit. nõ cohæret iſta,omnia coarguuntur. Iam illud leuiſſimũ eſt quod ait, quidam Mat thæus Monachus Gręcus auctor horum canonũ defen

ſor,

ſor,nō eſſe veriſimile tot religioſos patres mentiri voluiſſe,appellareq. in his canonibus,œcumenicū quod non erat. An non ſe patriarcha Conſtantinopolitanus œcumenicum appellat frequentiſſime,& appellatur a ſuis?quis ignorat quam vehemēter huius nominis gloriam & ſplendorem ſemper illi affectarint?nihil igitur mirum, ſi concilium, in quo quatuor patriarchæ aderant, vt ipſi iactant,cum tot epiſcopis,non dico œcumenicū, ſed amplius quam œcumenicū, ſi meminiſſet libenter appellarent,quamquam ne patriarchas quidē interfuiſſe, aut hos approbaſſe canones, auctor eſt Anaſtaſius, cuius rei argumentum eſſe, quod in illorū tabulariis publicis,quæ vocant archiua,non aſſeruarētur.Itaque quod in nōnullis exemplis Græcis legitur in bula ſeptimi concilii,Sicuti in ſexto cōcilio œcumenico fertur his ſcriptum verbis in quibuſdam picturis venerabilium imaginum agnus præcurſoris,& quæ ſequūtur in.83. canone,hoc facile mihi perſuadeo ſuppoſitum eſſe ab eo,qui his canonibus auctoritatem ſexti concilii œcumenici tributam eſſe voluit.Certe Anaſtaſius qui ſumma fide & ex optimo exemplo Græco, vt de bibliothecæ Palatinæ magiſtro credere par eſt, Septimum concilium tranſtulit,quod in pontificis bibliotheca publica reliquit,non hoc legit, imo neque is qui nuper emiſit idem ſeptimum concilium in Germania verſum a ſe. quo fit, vt cum œcumenicum non ſit, idem ſextum dici non debeat, minora enim concilia non aſciſcuntur in ordinem maiorum, neqúe cum illis numerantur, cum ipſa pene innumerabilia ſint. quod vero Gratianus ait .16. diſt. dicere Hadrianum ſextam Synodum cum ſuis canonibus recipimus,falſum eſt,bona eius pace dixerim.Non enim Hadrianus,ſed Taraſius id ſcripſit. Sic enim Hadrianus in literis ad Taraſium miſſis,quę in ſecūda actione ſeptimi concilii deſcriptæ ſunt,inuenimus autem in prædi-

„ cta Synodica veſtra epiſtola, quanta ſit confeſſio & re
„ cta fides veſtra circa cœtus ſacros, & ſex ſacras Syno-
„ dos, & erga venerandas & ſacras imagines, in qua etiã
„ clare eſt expreſſum quod in ſextæ Synodi diuine & le-
„ galiter prędicatis canonibus recipio picturam illam ve
„ nerãdam, in qua agnus digito pręcurſoris &c. Neque vero quia Hadrianus non refutauit, quod Taraſius canones ſextę Synodi falſo nominauit, protinus ſequitur approbaſſe, eſſe illos ſextę Synodi, neque enim de eo tunc agere volebat, ſed tenere vtcumque teſtimonium Taraſii, & cõfeſſionem de ſimulachris, qui quidem non aliter ſe eius cõſecrationem approbaturũ, ad Imperatorẽ, & ad ipſum Taraſium ſcripſerat. ſed inquiramus adhuc cur hos canones ſextæ Synodi plerique Græcorum appellarint, cõſtat enim non fuiſſe editos a ſexto concilio, vt ipſi etiã Græci fatentur, ſed ab alio aliquot annis poſtea congregato, quod iidem tametſi œcumenicum ſuo more, & ambitione falſo vocent, tamen ſextum nunquam vere dicent, ſi ſanctum eſſe volunt, quoniam nunquam, idem concilium bis numeratur, niſi cum alterum eorum ratum eſt, alterum irritũ. ſic duplex tertium Epheſinum, alterum ſanctiſs. alterum, quod latrocinium appellatum eſt, duplex ſeptimum, vnum noſtrum, alterum hæreticorum, duplex octauum, religioſum alterum, alterum poſtea, vt prius Photianum & impium. Sic duplex ſextum, vnum pro duabus voluntatibus Chriſti, alterum quinque annis poſt hos canones de quibus agimus, habitum contra prius ſextum. Non enim ſextum numerabunt, quia nõ putent numerandum eſſe ſextum illud Agathonicum, neque quia, vt falſo ait Gratianus, bis congregata ſit ſexta Synodus, cum nunquam aliqua Synodus bis congregetur, niſi cum ſemel non perficitur. vt cum ſeptima Synodus ſuperiore anno cœpta fuiſſet Conſtantinopoli, & ſtatim ob tumultus concitatos dimiſſa, ac

diſſoluta, iterum in ſequenti anno inchoata & perfe-
cta Niceæ. Quod ſi ſuperius ſextum concilium nō fuit perfectum, quia non deſcripſit canones, ergo neq. concilium quintum ſit, atque ita fiet, vt hac ratione non ſolum ſextum concilium, vt ait Gratian. ſed quintum bis congregatum fuerit, ſi quidem ad deſcribendos canones quintæ & ſextæ Synodi conuenerint poſtea patres, vt iidem in ipſo proœmio canonum teſtâtur. Fiet etiā, vt hi canones nôn magis ſextę Synodi, quam quintæ appellari debeant, quod cum nonnulli Græci matu rius conſideraſſent, cautius vocarunt canones concilii πενθέκτου hoc eſt quinqui ſexti. deinde, eſto, vt ideo ite rum conuenerint patres illi, vt canones videlicet, qui in quinto, & ſexto concilio deſiderati fuerant, conderent & ſancirent, quæro, vtrum concilia ſuperioribus temporibus hàbita dare potuerunt auctoritatē iis quę nondum decreta erant, imo neque cognita? Certe cōcilium aliquod confirmare ſolet, & habere rata ſuperiorum conciliorum ſcita & decreta quoniam ea cuiuſ modi ſint, perſpecta habet, at quæ incerta ſunt, & futu ra, qui poteſt? quemadmodum igitur manare potuit œcumenici cōcilii auctoritas, ſiue ſexti, ſiue quinti ad hos canones? aut ſi non potuit, cur ſextæ Synodi canones nominantur & habentur? nam quod eſt in primo canone ſeptimi concilii, ſex concilia cum ſuis canonibus confirmamus, non ideo neceſſe eſt quodque illorū canones edidiſſe. Neque enim quintum, quod vnum eſt ex illis ſex, vllos edidit, ſicut neq. ſextum, Et ſi quic quid decernit cōcilium, canon eſt, & nominari poteſt, vt quinti cōcilii decretum fuit, quod fuerat prius Aga peti pontificis, & Synodi Cōſtantinopolitanę, ſcilicet, non eſſe addendum triſagio cruci affixum contra Petrum Apamiarum epiſcopum, & Theodorum Antiochiæ, eiuſque diſcipulos, item quartū concilium, eiuſque decreta ſancta eſſe. Tum ſexti cōcili canon eſt, eſſe

duas Chriſti voluntates aduerſus Sergiũ & Pyrrhum, ac cæteros. Itaque conuenire poteſt hac ratione, in omnia concilia, quod dicitur, ſex concilia cum ſuis canonibus ſiue decretis confirmamus &c. Ergo cum hi canones (vt ſatis docuimus) neq. illius prioris ſexti concilii ſint, aut dici debeant, neque vllius œcumenici, relinquitur, vt ſi cuius ſint, cõcilii minoris ſint, qui quidem, poſteaquam ſedis apoſtolicæ eis auctoritas acceſſit, publicam auctoritatem habent, acceſſit autem auctoritas ex primo canone ſeptimi cõcilii, quæ (inquit) a ſex conciliis maioribus, reliquiſque minoribus ad huiuſmodi canones deſcribẽdos cõgregatis ſtatuta ſunt, a ſanctiſque patribus, ea comprobamus, ſcilicet, probantur ii canones, qui neque prioribus decretis pontificum, aut bonis moribus, aut rectæ fidei, aut vetuſtæ, & probatæ conſuetudini atque eccleſiaſticis traditionibus repugnant, id quod etiã in canonibus ſanctorũ, patrũ vt Baſilii & aliorum intelligendum eſt. Neque enim falſi canones, qui aut poſtea ſuppoſiti ſunt ab aliis, aut deprauati, aut ab ipſis auctoribus perperã inſtituti, & compoſiti, aut certe iam deſiti, a pontificibus, quamuis taceant, & verbis non refellant, ſanciuntur, quos ſatis eſt, ſi ipſa veritas, & recta eccleſiæ conſtitutio ſtatim coarguat, vt exẽpli cauſa, canon de non veſcendo ſanguine, qui inter hos. 102. irrepſit, aliique huiuſmodi, in his quos nos ordine notabimus, vt reliqui, qui ad eccleſiæ ædificationem accõmodi fuerint, ſancti habeantur, ex eorumque numero, quos primus canon ſeptimæ Synodi approbat. Ac primum vt inde canones falſos notare aggrediar ſi quid in oratione ad Iuſtinianum, quæ ante hos canones poſita eſt, & proſphonetica inſcribitur, aut etiam alio in loco aſſentatorie, magis quam vere de Imperatore dici videatur, concedatur id ingeniis Græcorum nullis magnificis verbis parcentium ad conciliandã gratiam, neq. enim

ſi quid non rectum eſt, continuo cōmentitium eſt, & fictum. Secundus canon iniuſtus eſt qua parte. 85. canones apoſtolorum comprobat, cum tamen Zepherinus pontifex, qui horum canonum ætatem quingentis prope annis anteceſſit, 60. ſanxerit, quos eoſdem Leo nonus. 350. annis his canonibus poſterior in .50. diſtributos, in epiſtola quam ad Michaëlem patriarcham Conſtan. & Leonem Acridanũ archiepiſ. Vulg. ſcripſit, cōfirmarit, ad quos quidem procedente tempore acceſſerunt alii ex libris ordinationum Clementis Romani, qui cum infinitas apoſtolorum ſanctiſſimas, grauiſſimaſque ſanctiones continerent, eſſetque is auctor nobiliſſimus, & pontifex Maximus, proditũ literis eſt, extitiſſe hæreticos, qui vt falſos quoſdã canones ſub tãto nomine ſancirent, diuinos illos libros contaminarunt, imo ipſe Clemens hoc teſtatur lib. 7. ordinationum. c. ״ 17. his verbis, ſcimus (inquit) quia Simon, Cleobius, & ״ Iudas libros in nomine Chriſti, & diſcipulorum eius. ״ quos circumferunt, ad ſeductionem veſtram conſcri- ״ pſerunt, & eorum qui diligunt Chriſtum, & nos ſer- ״ uos eius, ex his libris Clementis amplius centum canones in pleriſque libris Græcorum canonum feruntur, alii inſcripti canones Petri, & Pauli, alii ſeparatim Pauli, ſanctiſſimi illi quidem omnes pauciſſimis exceptis illa hæreticorum arte fabricatis, & cōfuſis, quales ſunt nonnulli ex his. 85. quos quidem tenere nullo modo licet, tum propter repugnantia decreta pontificum ſuperiorum, tum propter Romanę ſedis eccleſiaſticam conſuetudinem, & apoſtolicam traditionem, vt ſuis locis oſtẽdemus. Errat itaque Gratianus qui nonnullorum ſententiis de apoſtolorum canonibus parum acri iudicio inter ſe comparatis, falſo demum colligit non eſſe hos qui feruntur apoſtolorum canones inter apocryphos ſcribendos, quia inquit, Hadrianus ſextam Synodũ ait, cum ſuis canonibus recipio, at ſexta hunc nume

rum canonum.85.præſcribit,eum igitur numerum approbat Hadrianus.Equidem non illud dicere Hadrianum,ſed Taraſium potius dixiſſe ſupra oſtendi,neque eſt alia vt puto canonica horum canonum approbatio, quam quæ in primo canone.7.concilii continetur.Eo enim confirmantur præter maiorum conciliorũ ſcita & leges,omnium etiam minorum,item omnium ſanctorum patrum decreta,ac canones, iis videlicet exceptis,qui non ſunt probabiles,cuiuſmodi ſunt hi quos dixi,aliique huiuſmodi.Errat. inquam, Gratianus,de quo ſæpe admoneo,quod videam hunc fere omnes ſe qui magiſtrum,& quod ex hoc eius volumine petitur, velut ex oraculo petitũ haberi.qui vt plurima eademque optima in vnum congeſſit,ita nonnunquam non magno delectu & iudicio.Extrema vero pars huius canonis ab euangelica, & apoſtolica, atque eccleſiaſtica regula de vnitate baptiſmi aliena eſt. Siquidem canonem Cypriani de baptiſmo Nouatianorum ſchiſmaticorum repetendo approbant iſti patres,qui aut euãgelicam veritatem de vnitate baptiſmi ignorarunt, aut ſi non ignorarunt,cõſuetudinẽ regionis catholicæ veritati anteponendã eſſe cẽſuerunt.aiunt enim ſic,præte
„ rea confirmamus Cypriani epiſcopi & martyris,ac Sy
„ nodi eius canonem,qui in locis epiſcoporum ſecũdum
„ conſuetudinem illis traditam valuit,& viguit.de quo
„ quidem canone ſatis nunc fuerit repetere,quę ſanctus
„ Auguſtinus in epi.ad Vincẽtium Donatiſtam ſcripſit.
„ Cyprianus autem (inquit) ſenſiſſe aliter,quam forma,
„ & conſuetudo habeat eccleſiæ non in canonicis,ſed in
„ ſuis , & in concilii literis inuenitur;correxiſſe autem
„ iſtam ſententiam non inuenitur,non congruenter ta-
„ men de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium
„ delectati ſunt,& tanto velut patrocinio carere noluerunt.& paulo poſt, porro autem Cyprianus aut non

,,ſenſit,quod eum ſenſiſſe recitatis,aut hoc poſtea corre
,,xit in regula veritatis,aut hunc quaſi nęuum ſui candi
,,diſſimi pectoris cooperuit vbere charitatis.& paulo
,,poſt,acceſſit huc etiam,quod tanquam ſarmentum fru
,,ctuoſiſſimum,ſi quid in eo fuerat emendandum,purga
,,uit pater falce paſſionis & aduerſus Petilianũ humani erroris fuiſſe hoc dicit. Baſilius vero magnus fortaſſe ſignificare videatur,non omnino ſic Cyprianum ſenſiſſe,quia ita res eſſet,ſed quia ita œconomiæ ratio facere poſtularet,poſtquam enim Cyprianum,& Firmilianum,& hunc eorum canonem, & rationem canonis,qua niti quodammodo videbantur,meminit & encratitarum baptiſmum, quia ſuum morem ,& ritum baptizandi deprauarant,pro infecto habendum eſſe iudicauit,ſtatim ſubiunxit, quamquam ſi hoc publicam œconomiam,& ſtatum perturbaturum eſſe videatur, vtendum rurſus conſuetudine, ſequendique ii patres, qui noſtra œconomice geſſerunt,quod quidem mihi de Cypriano,& Firmiliano dicere videtur,qui ſe propter concordiam accommodarunt ad conſuetudinem regionis,quam patres in hoc canone dicunt. non eſſe autem baptiſmum hæreticorum iterandum , vt alios taceam, fortiſſime defendit aduerſus Parmenianum Donatiſtam optatus Afer libro quinto. Sequitur tertius canon ,quo continentiam ſacri ordinis in eccleſia Romana non quidem probant iſti patres, vt fortaſſe nonnullis videri poſſit,imo nimiam eius, vt exiſtimant,ſeueritatem , & vt ita dicam rigorẽ improbant, dum illum,vt promittunt, temperare audent. Quare qui putarint cœlibatum,ſic enim appellant continentiam trite magis quam Latine, & proprie, cũ cælibes tantum ſint,qui neque ſunt,neque fuerunt mariti,qui inquam putarint cælibatum eccleſię Latinę duriorem eſſe quam Græcę,cum tamen eadem ſit lex continẽtiæ omnibus ſacri ordinis hominibus a Deo ſancita,vt ſta

- niam inquiunt intelleximus morem eſſe eccleſiæ Ro-
- manæ loco canonis, vt videlicet qui in numerũ, atque
- ordinem diaconorum & preſbyterorum eligendi ſint,
- non amplius cum vxoribus ſuis rem ſe habituros pro-
- fiteantur, nos veterem apoſtolicæ, eiuſdemque perfe-
- ctæ regulæ legem ac canonem ſecuti, cõiugia legitima
- ſacerdotum poſthac firma rataque eſſe volumus, ita vt
- neque eos diſiungamus, neque conſuetudine vxorem
- commodis temporibus priuemus, & quæ ſequũtur ſi-
mili errore plena, vt ab iis profecta, qui fabulis attendentes, neque intellexerunt quæ loquerentur, neque de quibus affirmarent, ii namque ſunt, qui ex libro. 6. apoſtolicarum ordinationum Clementis canonem decimum ſeptimum a Nicolaitis ſuppoſitum quaſi apoſtolicum canonem arripuerunt. hi enim carnales nuptias concedebant altaris ſacri miniſtris, imo defendebant non licere illis poſt manus impoſitionem abſque vxore eſſe. Sed recitemus canonem, vt eum Niceta pectoratus Græcus auctor & huius canonis defenſor ci-
- tat, epiſcopum, & preſbyterum, & diaconũ dicimus,
- qui vnam habet vxorem, ordinari, quamuis viuant eo
- rum coniuges, quamuis defunctæ, neq. licet eos poſt
- manus impoſitionem innuptos eſſe, neque inſuper ad
- nuptias ire, aut ſi nupſerint, alias amplecti. ſed ſuffice
- re eis, quas habent, cũ ad ordinationem venerint, non
ne ex hoc canone expreſſa eſt Græcorum conſuetudo, qua eos, qui ordinandi ſunt, interrogant, vtrum habeant vxores? qui ſi non habere reſponderint, cogũtur prius ducere, deinde manus impoſitionem accipere? Conuenienter huic canoni Nicolaitarum acceperunt illud ex epiſtola Clementis quaſi ab eodẽ auctore profectum, miniſtri altaris ad Dominica tales eligantur
» officia, qui ante ordinationem cõiuges ſuas nouerint.
» Cum tamen ſic ſit intelligendũ, qui ante ordinationẽ
coniuges ſuas nouerint, ſcilicet, ſi ſemper continere

» noluerint. Præterea illum apoſtolorum canonem quin
» tum, ne epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus vxorem
» ſuã prætextu religionis eiiciat, ſic intellexerunt, quaſi eo prohibitum ſit, ne preſbyter, aut diaconus vxorem ſuam conſuetudine carnali priuet, cum potius prohibeatur, ne eiiciat eam non quidem a cõſuetudine corporis, ſed a cura victus ſcilicet, & veſtitus, non vt cum ea cubet, ſed vt eã alat, & veſtiat. alioqui quomodo domui ſuæ bene præeſſe ſciet, aut filios habere ſubditos cum omni caſtitate, vxore ſua inhumane eiecta? deinde non licere a maritis votum continentiæ vxoribus ſaltim conſentientibus poſtulare, probant iſti patres, quia ſcriptum ſit in euangelio, quod Deus coniunxit, homo non ſeparet, carnaliter tantum hoc intelligentes, quod Dominus ipſe dignatus eſt exponere. qui.n. Phariſæis quærentibus, vtrum liceret viro dimittere vxorem, id eſt, ſeparari, tandem concluſerat reſponſionem, inquiens, quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet, ipſe inquam de eodem quęrentibus diſcipulis, in eandem ſententiam reſpondit, quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium cõmittit ſuper eam, et ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur. Similiter intellexerunt carnaliter illud Pauli, alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem, quod quidem Paulus magiſtrum imitatus ſimiliter interpretatus eſt, ſubiunxit enim in fine capitis, mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit, quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt a lege, cui vult nubat. vt ſimiliter illud intelligamus, vir alligatus eſt legi cõiugii, quãdiu vxor eius viuit, ſi autem vxor eius dormierit, ſolutus eſt, quam velit, ducat. Eſt enim lex matrimonii æqualis vtrique, quod idem apoſtolus docuit, mulier (inquit) ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem nõ habet, ſed mulier. Præterea laudant huius canonis au-

ctores,canonem.25.Carthag.Concilii, quo aiunt honeſtati clericorum cautum eſſe,quia iubeat, vt illis falſo videbatur, cum erunt ſacra operanda, ab vxoribus abſtinere,cum vel laicis ſimiliter apoſtolus præcipiat, abſtinere ex conſenſu ad tempus, vt vacent orationi, & iterum reuerti in idipſum. ſed eſto ita decreuiſſet Synodus Cart.quale quæſo iudicium eſt,canonem eccleſiæ particularis,id eſt,Carthaginenſis,canoni & regulæ eccleſiæ Romanæ catholicæ,id eſt,quæ caput eſt omnium eccleſiarum velle anteponere?& non ſolũ anteponere,ſed eccleſiam Romanam accuſare,& Carthaginenſem ſequendã ſancire? at nunc bene habet, quod non ita decreuit Synodus Carthaginẽſis,vt iſti patres ſpiritu impudicitiæ correpti interpretati ſunt, ſed potius vt ſubdiaconi, diaconi,& preſbyteri, quiſque eorum in ſuo ordine,aut vt eſt in vetere canone Latino ſecundum propria ſtatuta ab vxoribus ſuis abſtineant. itaque quod illi dixerunt κατ' ἰδίους ὅρους,ſic iſti patres acceperunt,quaſi dictum eſſet vt quidam eorum interpretatus eſt, κατὰ τὰς ἐφημερίας καὶ τοὺς καιροὺς τοῦ ἱερουργεῖν, id eſt cum inſtaret tempus miniſterii, ac ſacrificii, in ordine inquam vicis ſuæ, ſicut de Zacharia vetere ſacerdote ſcriptum eſt. Similiter decreuit ſecunda Synodus Carthaginenſis. c. 2. niſi quod in eo canone ſubdiaconi ſunt præteriti. ita.n. habet, vt preſbyteri, diaconi & epiſcopi in omnibus cõtinẽtes ſint, & ſe ab vxoribus abſtineant,vt quod apoſtoli inquiunt docuere,& ipſa ſeruauit antiquitas,nos quoq. cuſtodiamus. Docuerunt autem non ſolum ſermone,ſed ſcriptura. imo ipſe Dominus prius docuit. eſt enim hæc diuina & apoſtolica traditio non quidem ἄγραφος vt plerique falſo putant, quamquam ne ſic quidem minoris eſſet auctoritatis,ſed quo certior,clariorque res eſſet, ἔγγραφος, ſcripta ſcilicet in euãgelio,& epiſtolis Pauli. prius enim hoc Chriſtus prædicauit,& præcepit apoſtolis,ac

„ per eos nobis. Cauete inquit, ne grauētur corda veſtra
„ crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, ſiue vt Leo magnus in ſermone.8. de ieiunio decimi menſis interpretatus eſt, cogitationibus ſęcularibus, qui ſtatim ſubiunxit, quod vtique præceptū ad nos ſpecialiter pertinere cognoſcimus, ne quemquam curis ſæcularibus
„ inueniat implicatum, deinde Paulus huius pręcepti me
„ mor, ſcribēs ad Timotheum, cum in priori epiſtola eū docuiſſet, preſbyteros, atq. epiſcopos debere eſſe idoneos ad docendum, in ſecunda epiſtola pręcepit, vtque ipſe Timotheus ex Paulo didiciſſet, hæc eadem traderet preſbyteris ſuis ad docendum alios, ſicut ſcriptum eſt in Malachia propheta, labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam. hoc enim ſignificauit, cum dixit, commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere, quibus ſtatim præcepit, ne ſe implicarent ſæcularibus negotiis, ſubiungens, nemo militans implicat ſe negotiis ſęcularibus, vt ei placeat qui ſe probauit. ſic magni auctores tum Gręci, tum Latini interpretati ſunt, an vero ſit ſęculare negotium dare operā liberis, quis niſi Nicolaita quiſpiam dubitet? quod ſi eſt negotium ſæculare mercatura, agricultura, tutelæ, curationes teſtamentorum, quæ clericis prohibita ſunt, quanto magis fuerit curare quę mundi ſunt, quomodo placeant vxori? quod neceſſe eſt euenire iis omnibus, quicunq. ſe cum vxoribus ſuis miſcere volunt. Pręterea in priori epiſtola ad eundem Timoth. docens, atque deſcribens qualis epiſcopus, aut preſbyter eſſe deberet, ſuæ domui, inquit, bene præpoſitum, filios habentem ſubditos, non dixit generantem, ſed habentem, vt recte cum alii, tum Hieron. & Ambroſius annotarunt. deinde addidit, cum omni caſtitate, quod quidem non ad filios tantum, vt aliis fortaſſe videri poſſit, pertinet, vt ſcilicet quamdiu in poteſtate patris ſunt, continentes ſint, aut abiiciantur, ſicut in eadem epiſtola dixit, filios

eſſe a matre in fide, dilectione, & caſtitate continendos, nō inquam ad filios tantum pertinet, ſed ad ipſos etiam epiſcopos, & preſbyteros. ita vt illa omnis caſtitas, quam apoſtolus dicit, horum quoque cōtinentiam a ſuis vxoribus ſignificet. ſic ſentit ſanctus Hieronymus ſcribens aduerſus Iouinianum, explanans enim ibi hunc ipſum Pauli locum, filios habentem ſubditos „cum omni caſtitate, vide, inquit, quanta pudicitia ſiue „caſtitas exigatur in epiſcopo, vt ſi filii eius impudici „fuerint, ipſe epiſcopus eſſe non poſſit, & ſic offendat „Deum, vt offendit Eli. qui corripuerat quidem filios, „ſed non abiecerat. idcirco paulo infra, Diaconos, inquit, ſimiliter pudicos, id eſt, continentes etiam a ſuis vxoribus. quemadmodum vero ſimiliter pudicos, ſiue caſtos eſſe diaconos præciperet, aut quæ eſſet hæc ſimilitudo, ſi nihil de caſtitate epiſcoporum, & preſbyterorum præcepiſſet apoſtolus? aut vbi præceperat, niſi vbi præcepit epiſcopis & preſbyteris, filios habere ſubditos cum omni caſtitate? Deinde ſubiungit, Et mulieres ſimiliter pudicas, id eſt continentes etiam a ſuis viris. præcipit autem hoc Diaconiſſis, quarum miniſterium ſcribit ſanctus Epiphanius verſari ſolitum in inſpiciendis, cum opus eſſet, & lauandis corporibus mulierum propter honeſtatem, quas eccleſia ſui temporis huius loci Pauli optima interpres ex virginibus, vt ipſe teſtatur, aut continentibus, aut viduis eligebat, de quibus idem apoſtolus, vidua inquit, eligatur non minus ſexaginta annorū. Ergo cum dicat apoſtolus, Diaconos ſimiliter pudicos, ſiue caſtos, & mulieres ſimiliter caſtas, eodem vtens verbo, non eſt dubitandum, quin ad ipſos quoque preſbyteros, & epiſcopos referat, quod dixit ſupra filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. quod iam clariſſime, & accuratiſſime præcepit in epiſtola ad Titum, cum oportere ait, epiſcopum eſſe caſtum, ſanctum, & continentem, tribus vocabulis idem

vt mihi videtur, præcipiens, quo neceſſitatem rei maxime declararet, σώφρων enim caſtum ſignificat, item ἅγιος caſtum, & impollutum, vt Dionyſius Areop. in diuinis nominibus annotauit, vnde, vt beatus martyr Sixtus ſecundus in libro de caſtitate ait, deriuata eſt egregia illa Græcorum ſacerdotum ante communionem præfatio, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, id eſt, ſancta ſanctis, vt intelligat, inquit, qui ſe non ſanctificatum agnouerit, ſancta ſibi non debere contingere. vtrumque horum verborum declarauit apoſtolus addens tertium illud verbum continentis, quod nullam iam neque ambiguitatem, neque obſcuritatem haberet. Rurſus in eadem epiſtola præcipit. c. 2. presbyteri vt ſint pudici, & caſti, & anus ſimiliter, diaconiſſas dicit, quas, vt recte ſanctus Epiphanius obſeruauit, non preſbyteridas, ſed preſbytidas appellauit, ne aliquid muneris ſacerdotalis in eccleſia adminiſtrare exiſtimarētur. Item paulo infra, quod quidem epiſcopis, & preſbyteris, ac miniſtris eccleſiæ conuenit, vt abnegantes, inquit, impietatem, & ſæcularia deſideria, caſte, & pie viuamus in hoc ſęculo. quæ autem deſideria, ſeu vota ſæcularia dicat hoc loco apoſtolus, interpretari mihi ſatis videtur ſancta Dei eccleſia, quę hypodiaconos, qui eſt primus ordo ſacer, his verbis cum ad ordinationem accedũt, de caſtitate, quam deinceps perpetuo ſeruare debēt, admonet eundem apoſtolum ſecuta interpretem, qui ſtatim ſubiungit poſt ſæcularia deſideria, ut pie, & caſte viuamus, ita vt pietas reſpondeat abnegationi impietatis, caſtitas vero abnegationi deſideriorum ſæcularium. ergo ſic admonet eccleſia hypodiaconos, antequam fiant, Ha-
„ ctenus liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcu-
„ laria vota, ſiue deſideria tranſire, id eſt, vxores ducere,
„ aut ductis vti. Deinde ſequitur, quod ſi hunc ordinem
„ ſuſceperitis, non amplius licebit, quod ſtatim, Paulum,
„ vt dixi, ſecuta interpretem, declarat ſubiungens, ſed ca

»» ſtitatem Deo adiuuante perpetuo ſeruare oportebit.
»» Præterea beatus Petrus pręcipiens epiſcopis, & preſby
»» teris, ſobrii, inquit, eſtote, & vigilate, quia aduerſarius
»» veſter tanquam Leo rugiens, circuit, &c. ſcilicet veteres ſacerdotes, quibus non ſemper licebat miniſtrare in templo, cum miniſtrandi vices & partes obibant, ab vxoribus ſe continebant, & neque vinum, neque ſiceram, neque omne, quod inebriare poterat, bibebant, quia in omni eo luxuria eſſet, ſicut ait apoſtolus, noſtris vero preſbyteris, & eccleſiæ noſtræ miniſtris cum ſemper liceat miniſtrare in templo, & fere ſemper neceſſe ſit, præcipit apoſtolus Petrus ſemper eſſe ſobrios, vt ſemper poſſint eſſe continentes, id eſt ſemper ab omni eo temperare, quicquid libidinem prouocare poteſt. Hoc enim puto ſignificare verbum νήψατε conuenit cum hoc, quod apoſtolus Paulus præcipiens, qualis deberet eſſe epiſcopus, & preſbyter, ſobrium cum pudico coniunxit, & quod Dominus in euangelio præcipiens apoſtolis, & per eos nobis, ne inquit grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, quod eſt ſobrios eſſe. deinde ſequitur, & curis, ſiue cogitationibus huius vitę, quod quidē in primis ad coniugium pertinet, quod Paulus mihi explicaſſe videtur, qui enim, inquit, cum vxore eſt, cogitat, quę mundi ſunt. pertinent quoque ſæculares curæ ad auaritiam, quę coniuncta eſt cum gula, & libidine. tolle enim, inquit, Hieronymus, luxuriam, nemo quęret diuitias, quarum vſus aut in ventre eſt, aut ſub ventre. Iam quod ſequitur in epiſtola Petri, poſtquam pręcepit ſobrios eſſe, & vigilare, quia aduerſarius, inquit, veſter tanquam leo rugiens, circuit, &c. hoc inquam ſimile mihi eſſe videtur, atque illud Pauli de incontinentibus, ne tentet vos Satanas, vt. n. incōtinentibus tentatio eſt accedere ad alienam, ſic cōſecratis tentatio eſt etiam accedere ad ſuam. verum huiuſmodi caſtitatem, & continentiam etiam ab vxore

propria clariſſime præcepit.1 Cor.c.9.quia.n.præcepe rat generatim omnibus,ſic currere, vt comprehenderent, id eſt legitime certare,vt coronarētur, quod quidem omnibus conuenit,quorum vna eſt fides, & vna ſpes vocationis, ſunt aut duo ordines hominum τῶν βιωτικῶν, καὶ τῶν ἀποτακτικῶν id eſt, ſæcularium, & renunciantium ſæculo, a quibus, vt eſt in euangelio, plus petetur,quia multum eis commendauerunt,idcirco conuenienter iis,quæ tractauerat a principio capitis de prædicatoribus euangelii, qui eſſe debent ſacrati,ſubiunxit, omnis,qui in agone contendit, quem ſcilicet in epiſt. ad Tim.2. cum milite comparauit, ab omnibus ſe abſtinet,ab omnibus inquam,quæ impedire poſſunt τὸ εὐπρόσεδρον καὶ ἀπερίσπαστον, vt idem apoſtolus dixit de virgine, id eſt facultatem ſemper obſecrandi, vt vetus interpres vertit, ſententiam magis, quam verba exprimens,ſiue vt Hier.aduerſus Iouinianum interpretatus eſt, quod intente facit ſeruire Domino,& ſemper eſſe ſolicitum de eius voluntate,neq. vero ego primus hunc locum ſic interpretandum eſſe putaui, ſed ante me, imo ante multa ſæcula ſanctus Ephrem Syrus in ſcripturis ſanctis eruditiſſimus, cuius ſcripta poſt lectionem ſcripturarũ in eccleſia olim, vt Hieronymus teſtatur,recitabantur, is ergo ſcribens
,, ad quendam monachum,qui aiebat,melius eſſe nube-
,, re, quã vri,interpretabor Latine,audi inquit apoſtolũ
,, dicentẽ, volo omnes homines eſſe,ſicut ego ſum,ſed
,, vnuſquiſq.propriũ donum habet a Deo,alius quidẽ ſic
,, alius autẽ ſic, ſcilicet diſtinxit duos ordines hominũ
,, βιωτικοὺς καὶ ἀποτακτικοὺς id eſt ſæculares, & renũciantes,
,, cum dixit, vnuſquiſque proprium chariſma habet a
,, Deo,alius quidem ſic,alius autem ſic, βιωτικοῖς quidẽ,
,, id eſt, ſæcularibus committit quod ait, propter forni-
,, cationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat,&
,, rurſus honorabile coniugium in omnibus, fornicato-

res

» res autem,& adulteros iudicabit Deus,ἀποτακτικοῖς ve
» ro hoc eſt, renuntiantibus mandat illud, quod idem
» ait,omnis,qui in agone contendit,ab omnibus ſe abſti
» net,& paulo poſt , ergo vt ſupradiximus , ſæcularibus
» quidem commiſit nubere legitime,renuntiantibus au
» tem mandat continere,& quidem continere legitime.
» duos itaq. ordines demonſtrauit Apoſtolus,tu autem
» monache vide,in vtro ſis poſitus,& quod ſignum , aut
» notam indueris,quæ vota feceris,& quæ pacta cũ Deo
» cõſtitueris.ſecundum enim pactiones , & ſponſiones
» tuas rationem repoſcet Dominus , ſicut ipſe dixit ex
» ore tuo iudicabo te.ergo vt ſupra diximus,ſęcularibus
» commiſit legitime nubere, renuntiantibus vero hoc,
» quod eſt,continere,& legitime continere mandauit.
» quod ſi omnibus cõmiſiſſet illud,melius nubere,quam
» vri ; nemo vnquam caſtitatis virtutem coluiſſet , non
» Elias Theſbites,non Eliſſęus,non Ioannes,non cæte-
» ri omnes , quicunque ſe caſtrauerunt propter regnum
cœlorum,& caſtam carnem Deo ſeruarunt,nunquam apoſtolus continens fuiſſet,niſi in prẹmium aſpexiſſet. hæc ſanctus Ephrẹm,& alia,quæ ſequuntur,ne omnia vertam latine . ex his paucis licet intelligere,quemadmodum intelligendum ſit, quod importune carnales homines & imperiti obiicere ſolent ex Gen . creſcite, & multiplicamini,ſcilicet dictum eſſe hoc nõ quidem τοῖς ἀποτακτικοῖς, id eſt , renuntiantibus,ſed τοῖς βιωτικοῖς, id eſt, ſæcularibus idque ſecundum legẽ honorabilis coniugii,& tori immaculati.Eſt iteque ſacrorũ miniſtrorum eccleſiæ catholicæ continentia prẹcepto, atque iure diuino ſcripto ſancita. tenentur , inquam, epiſcopi,preſbyteri,diaconi , hypodiaconi continere ſe perpetuo a ſuis vxoribus quas ante habuerint,idque præcepto Chriſti per Chriſtum,& apoſtolos prædicato,& ab ipſis ſcripto,imo neque hi ſolum tenẽtur , ſed quicunque ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum.

hoc intereſt, quod in his ex voluntate vouentis nata
eſt neceſſitas ſeruandæ caſtitatis & continentiæ in illis
vero,ſiue voueant,ſiue non voueant,vt Græci fortaſ
» ſe excuſent, ex præcepto diuino propter ordinem ſa-
» crum,in quem ſponte dicantur. quod ſatis ſignificat or
» dinator noſter,cum ait,Fratres dilectiſsimi ad ſacrum
» ſubdiaconatus ordinem promouendi, iterum , atque
» iterum conſiderare debetis attente,quod onus hodie
» appetitis, hactenus enim liberi eſtis,licetq. vobis pro
» arbitrio ad ſæcularia vota tranſire,quod ſi hunc ordi-
» nem ſuſceperitis,amplius non licebit,a propoſito reſi-
» lire,ſed Deo,cui ſeruire regnare eſt,perpetuo famula-
» ri,& caſtitatem illo adiuuante ſeruare oportebit, atq.
» in eccleſiæ miniſterio ſemper eſſe mancipatos.Proinde
» dum tempus eſt,cogitate,& ſi in ſancto propoſito per
» ſeuerare placet,in nomine domini huc accedite. tam.
etſi profecto,his ita a noſtro ordinatore propoſitis,at-
que denunciatis,qui accedunt, licet non verbis,re ipſa
tamen & facto promittant caſtitatem,ita vt qui dein-
ceps non ſeruarint,& præcepti violati, & fidei fractæ
rei ſint.huiuſmodi eſt fides illa adoleſcẽtiorum vidua-
rum,quæ eliguntur in eccleſia, quas apoſtolus ait nu-
bere volentes,damnationem habere,quia primam fi-
dem negauerunt,atque ideo vitandas eſſe, & cauen-
dum,ne eligantur.Statim enim vt eliguntur ad genus
illud miniſterii, tenentur præcepto Pauli caſtitatem
ſeruare.quam eo ipſo,quod ſe eligi patiũtur,ex pacto
quoque promittunt,& vouent.quod etiam ex oratio
ne,quæ adhibetur in electione,ſiue ordinatione diaco
niſſe perſpici poteſt. Hinc intelligere licet,quod paſſim
dici ſolet,ſed raro explicari,annexum eſſe ordini ſacro
votum caſtitatis,id eſt,qui in ordinem ſacrum ingre-
diuntur , ſtatim teneri lege diuina caſtitatem ſeruare
ratione ordinis ſacri,quod ex Synodo Carthag.2.ſum
ptum mihi eſſe videtur.Ibi enim dicuntur ordines ſa-

cri συμπεπλεγμένοι δεσμῷ τῆς ἁγνείας διὰ τὴν καθιερωσύνην,id eſt, connexi,ſiue implicati vinculo caſtitatis propter conſecrationem.nō ergo ſunt audiendi,qui dicunt, ſi ſine delectu vllo eligantur homines ad ſacerdotium,vt fere eligi videmus,neceſſarium eſſe,relaxare eiuſmodi hominibus legem cælibatus,quæ quidem non indulgētia eſſet,ſed crudelitas,& corruptio prædicationis euāgelicæ,atque apoſtolicæ. caſtitas enim ſacrorum ordinū pręcepto & lege diuina ſancita eſt.& ſcriptura ſolui nō poteſt, hoc ſenſit quoque Dionyſius Areop. Pauli apoſtoli diſcipulus,is enim in Hierarchia eccle. de myſte-
„ rio pontificalium cōſecrationum,ſignum,inquit,cru-
„ cis,quo epiſcopi,ſacerdotes,& miniſtri, id eſt , diaco-
„ ni,& hypodiaconi ſignantur,deſignat omnes pariter
„ carnales appetitus debere eos omnino cōtinere,atque
„ ἀνενεργήτους habere, idcirco autem omnes pariter appetitus carnales dixit,vt etiam appetitum carnalem concubitus cum vxore propria complecteretur, quod quidem non ab alio,quam ab apoſtolis didicit, & a Chtiſto per apoſtolos.Idem ſenſit Sixtus.2.papa,& martyr ſanctiſſimus in libro de Caſtitate,in quo ſapientiſſime atque grauiſſime totum fere.7.caput.1. Cor. explana-
» nans, præcipit, inquit,apoſtolus coniugibus paruo tē
» pore incōtinentes eſſe,vt maiori ſpatio orationi vacare poſſint.id enim ſignificare ait illud, nolite fraudare inuicem niſi forte ex cōſenſu ad tempus,vt vacetis orationi, vnde ſtatim de nō continendo a propria vxore, quia id ab oratione retrahat,affirmat his verbis,nō ad
» mittit, inquit,incōtinentia ad officium ſacerdotii,ſed
» potius neceſſe eſt,vt ſacerdotes ſint continentes, ſcilicet neceſſe eſſe dixit ſecundum ſcripturam Pauli,hanc enim totus in eo libro ſummo ſtudio & diligentia no-
» bis interpretatur. Rurſus idem Sixtus,poſtquam,in-
» quit,Ieſus cepit docere,omnes eius diſcipuli,aut con-
» tinentes fuiſſe inueniuntur,aut virgines, vt enim Hie

ronymus aduerſus Iouinianum ſcribit, poſtquam diſcipulus Chriſti factus eſt Petrus, ſocrum eius legimus, vxorem eius non legimus, clementis.n. inquit periodi quę ſcilicet de vxore Petri narrant, apocryphæ ſunt. ac rurſus idem Sixtus ſacerdotes cum angelis comparās, quos inquit Deo aſſiſtere, & Deo hoſtias offerre non niſi continentes licet. neque vero, ne quis hic cauilletur, continentes dicuntur, aut ſunt, qui ad tempus continent, quod vel ſæcularibus, qui vxoribus ſuis vtuntur, neceſſe eſt, qui quidem ſimpliciter incontinentes ſunt, & dicuntur, non autem cōtinentes, aut caſti, vt idem quoque ſanctus pont. Sixtus tradit. Equidem propter caſtitatem, quam ſeruare tenentur preſbyteri, ac ſacri miniſtri, non ſolum propter officium, & munus, credo appellatos eſſe ab Apoſtolo angelos eo præſertim loco, quo de velando capite mulieribus in eccleſia agit propter angelos, id eſt preſbyteros, & miniſtros ſacros, ne ſcilicet libidine tentarentur, quos eſſe oporteret caſtos, ac continentes tanquam filios reſurrectionis, & angelos Dei in cœlo, non nubentes, aut ſi vxores iam duxerunt, vt eſſent vere tanquam nō habentes. Item Siritius pontif. idemque ſanctus confeſſor in epiſtola ad Imerium Tarracon. plurimos, inquit, ſacerdotes Chriſti, atque leuitas poſt longa conſecrationis ſuæ tempora tam de coniugibus propriis, quam etiā de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in vetere Teſtamento ſacerdotibus, atque miniſtris generādi facultas legitur attributa. & paulo poſt, ne ipſe pontifex exiſtimaretur hoc velle, & ſtatuere, & ideo inquit eccleſiam, cuius ſponſus eſt ſpecioſus forma, caſtitatis voluit ſplendore radiare, vt in die Iudicii, cum rurſus aduenerit, ſine macula, & ruga eam poſſit, ſicut per Apoſtolum ſuum inſtituit, reperire. quarū ſanctionū, ſcilicet Chriſti & apoſtoli, ſacerdotes omnes, atque

"ſeu tæ inſolubili lege conſtringimur, vt a die ordina-
"tionis noſtræ ſobrietati, atque pudicitiæ & corda no-
"ſtra mancipemus, & corpora. Præterea Innocentius primus, huius continentiæ, de qua loquimur, diuinã, & apoſtolicã ſanctionem docẽs, ac interpretans, nam ſi
"beatus, inquit, Paulus ad Cor. ſcripſit dicens, abſtinete
"vos ad tempus, vt vacetis orationi, & hoc vtique lai-
"cis præcepit, multo magis ſacerdotes, quibus & orãdi,
"& ſacrificandi iuge officium eſt, ſemper debebunt ab
"huiuſmodi conſortio abſtinere, ſcilicet debebunt prę cepto Pauli, id enim intellexiſſe, perſpici poteſt clarius
"ex iis, quæ ſequuntur. ſed forte, inquit, licere hoc cre-
"ditur, quia ſcriptum eſt, vnius vxoris virum, non per-
"manentem in concupiſcentia generandi dixit, ſed pro-
"pter futuram continentiam. ſic enim interpretatur, digamos ab Apoſtolo prohiberi ordine ſacro propter futuræ incontinentiæ ſuſpitionem, vnius vero vxoris virum requiri propter futuram continentiam. iudicauit ergo, & interpretatus eſt, præcipi iſtis ab Apoſtolo cõtinentiam. quis hæc non videt? Præterea ſanctus Epiphanius ſcribens aduerſus Catharos hęreticos, qui cũ
"digamis non communicabant, qui non intelligentes,
"inquit, perfectam Dei doctrinam, ad aliam viam erran
"tes ſe conuerterunt, quæ enim de ſacerdotio propter
"excellentiſſimum ſacrificãdi munus tradita ſunt, in o-
"mnes fortaſſe cõpetere opinati ſunt, vt qui audiſſent
"oportere epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxo
"ris virum, ſimiliter in diacono, & preſbytero, deinde ſubiungit, reuera enim ſancta Dei prædicatio poſt ad-
"uentum Domini nõ admittit poſt primas nuptias, mor
"tua vxore, ſecundis nuptiis copulatos, idque propter
"excellentiam honoris ſacerdotalis. atque hæc quidem
"conſtanter, & perfecte ſeruat ſancta Dei eccleſia, imo
"& eũ, qui vnius vxoris vir adhuc filios ex ea generat,
"non admittit, ſcilicet prædicatio Dei, ſic autem vocat

» ſcripturam,ſicut etiam diuus Baſilius prædicationē a
» dogmate diſtinguit. deinde ſequitur, ſed eum admit-
» tit,qui ab vna vxore ſe continet,aut viduus factus eſt,
» ſimiliter in diacono,preſbytero,& hypodiacono,præ-
» ſertim vbi perfecte ſeruantur eccleſiaſticæ regulæ, ca-
nonem nunc eccleſiaſticum appellat diſpoſitionem, ſi-
ue ordinationem eccleſiæ traditione ſcripturę ſanctæ
ſancitam , vt ex ipſa conſequentia verborum perſpici
» poteſt.Deinde ſequitur, ſed omnino dices mihi, in nō
» nullis locis adhuc dare operam liberis ſa. erdotes,& dia
» conos,atque hypodiaconos.at hoc nō ex canone, ſed
» ex vitio , atque ignauia hominum illius temporis, &
» quia non reperiretur ſatis miniſtrorum præ multitudi
« ne hominum.cum enim bene ab ſpiritu Sancto diſpoſi
» ta,& ordinata ſemper, quod magis decorū eſt,viderit,
» eccleſia,didicit nunquā auocari ab ſtudio diuini cultus
exercendo.hactenus Epiphanius.Euſebius Cęſarien-
ſis lib.1.demonſtrationis euang.de veteris,& noui Te
ſtamenti coniugiis,& continentia loquens, cum com
memoraſſet multos ex veteribus, qui principio libe-
ros procrearunt,deinceps vero ſtatim continentes fue
» runt,ſubiunxit his verbis,ſecundum vero leges noui
» Teſtamenti non omnino prohibitum eſt dare operam
« liberis,quin potius de hoc ſimiliter nobis,atque veteri
» bus ſanctis conſtitutum eſt.oportere enim ait ſcriptu-
» ra,epiſcopum eſſe vnius vxoris virum,verum ſacrati,
» & monachi debent deinceps abſtinere a concubitu
» vxorum,quicunque vero non ſunt donati tanto mu-
» nere diuini cultus,hos ſcriptura laxat,velut aperte cæ
» teris omnibus prędicans,honorabiles nuptiæ,& torus
» immaculatus,adulteros autem,& fornicatores iudica
bit Deus. declarauit ergo , quemadmodum ſecundum
leges noui Teſtamenti,non omnino prohibitum eſſet,
dare operam liberis,ſed partim liceret ſcilicet,non ſa-
cratis,aut in religionem aſceticam non dicatis, partim

non liceret, ſcilicet, ſacratis, & religioſis. Idem etiã ſenſit Gregorius Nyſſ. in libro elegãtiſſimo, quem de Virginitate ſcripſit. loquens enim, in extremo capite, de ſacerdotibus, quomodo inquit, offers Deo, tametſi adhoc vnctus ſis, qui non audis legem, quæ prohibet conſecrari non caſtum? idem denique ſenſit beatus Hieronymus non vno in loco aduerſus Iouinianum, vt cum ait, ſed neque vnius vxoris virum filios generantẽ admittit eccleſia, ſcilicet, prædicationem Chriſti, ſequẽs, & apoſtoli, qui dixit filios habentem, non facientem, vt idem Hiero. notauit. idem alias, ſi iis, inquit, qui ex populo ſunt, præcipit apoſtolus dicens, vt ad tẽpus vacent orationi, quanto magis pręcipit ſacerdoti τὸ ἀπερίσπαστον? at populo præcipit, vt ad tempus vacet orationi, ergo preſbyteris, & ſacris miniſtris præcipit ſemper continere, vt ſcilicet vacare poſſint ἀπερισπάστως, id eſt, intente, atque inceſſanter. idem, Diaconos, inquit, ſimiliter pudicos continentes ſcilicet. & in epiſtola ad Tit. ſanctum, continentem, non a libidine ſolũ, & vxoris amplexu, &c. & alias in cõmentariolis epiſtolæ ad eundem Titum, incontinentiam, vel continentiã nunquam nominat apoſtolus niſi in cauſa luxurię. deniq. ne ſingulorum teſtimonia, quod infinitum eſt & minime neceſſarium perſequar, nubem teſtium proferam in vnius Synodi ſecũdæ Carthag. decreto, quod ſupra recitaui, & recitare iterum non pœnitebit, vt vel hoc ſolo contenti ſint, qui contradicunt, vt apud quos nõ ſtat ſicut ſcriptum eſt, in ore duorum vel trium omne verbum, ſtet ſaltim in ore plurimorum hoc quod agimus, de concilii ſententia decernentium. preſbyteri, inquiunt, diaconi, & epiſcopi in omnibus continentes ſint, & ſe ab vxoribus contineant, vt quod apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. ſcilicet, docuerant ſermone, & ſcriptura, vt nos ſatis ſupra demonſtrauimus. pugnat ergo cum his

- omnibus,qui ſcripſit non eſſe eſſentialiter annexũ de-
- bitum continentię ordini ſacro,ſed ex ſtatuto eccleſię,
- vnde videatur, (ſic enim ait) quod per eccleſiam poſſit
- diſpenſari in voto continentiæ ſolennizato per ſuſce-
- ptionem ſacri ordinis quod a ſancta quidem ſcriptura alienum eſt, vt ſatis me demonſtraſſe puto. etſi enim religioſus omnino renuntiet ſæculo,non autem ſic ordo ſacer,cum non renuntiet proprio,vt iam hac ratione videatur,vt idem auctor tradit,cum religioſo diſpenſari non poſſe,cum ordine ſacro poſſe, at renuntiat ordo ſacer votis ſæcularibus, quod Dominus inſtituit, apoſtoli prædicarunt,& ſancta vniuerſalis eccleſia tanquam depoſitum fideliter ſeruat,& ſeruauit ſemper, vt in ordinatione hypodiaconi perſpici poteſt,in quibus quidem votis ſæcularibus imprimis cenſetur, miſcere ſe cum ſua vxore, ſi eam ante habebat,aut ducere poſtea ad vtendum. Sed ſi ita eſt,inquiunt, votum continentiæ eſſentialiter ex inſtitutione diuina ordini ſacro annexum,vt eſt annexum monacho, quemadmodum non dirimitur matrimonium contractum ſuſcepto ordine ſacro,vt quidem ſuſcepta,inquiunt,religione dirimitur? hæc eſt validiſſima iſtorum ratio ex falſa tamen exiſtimatione ducta,falſo enim putant matrionium cõtractum dirimi per ingreſſum religionis, non ita eſt,non ſoluitur lex diuina coniugii, abſit. ſed potius qui non ſe miſcuit cum vxore,cum poſſet,deinde ad apoſtolicæ vitæ & monaſticæ auſteritatis inſtitutum ſe confert,difficultatibus carnalis coniugii relictis,iudicatur in eccleſia noſtra ab eo,qui tanquam fidelis diſpenſator præeſt familiæ in domo Dei, iudicatur inquam,non conſenſiſſe deſponſationi in indiuiduam vitæ conſuetudinem,neque in ſuam voluiſſe accipere, vt eſſet os ex oſſibus ſuis, & caro de carne ſua, eſſentque duo in carne vna, ſicut Dominus inſtituit, quod enim ipſe ſic coniunxit, homo poſtea ſeparare

neque

neque debet,neque poteſt.hoc enim, quod Adam dixit, vt ſanctus Aſterius epiſcopus Amaſeæ ſcripſit in homilia contra dimittentes paſſim vxores,communis eſt virorum homologia ac promiſſio per vnam perſonam vniuerſis mulieribus cum viris lege copulatis,facta,ideſt, vnuſquiſque vir,quam lege cõnubiali ducit, eidẽ in Adam,& per perſonam Adæ promiſit, id quod Adam Euæ,quam dedit illi Deus in adiutorium ſimile illi,dicens,hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea,propter hoc relinquet homo patrem, & matrem,& adhærebit vxori ſuæ,quæ quidem Dominus interpretans,& docens ad promiſſionem hominis de inſeparabilitate pertinere,ſubiunxit ſtatim,quod ergo Deus coniunxit,homo non ſeparet.perinde atque diceret, qui hoc profeſſus eſt, & promiſit, & hac lege, Dei alligatus eſt vxori,ne quærat ſolutionem.ſic enim videtur mihi apoſtolus,interpretari illũ locum homo non ſeparet,& clarius adhuc infra,imo ita clare,vt nulla neque dubitatio,neque cauillatio relicta eſſe videatur,mulier inquit alligata eſt legi,quamdiu vir eius viuit.quod quidem ſimiliter eſſe in viris intelligendum, ex eodem apoſtolo intelligi poteſt, qui ſupra dixerat, mulier ſui corporis poteſtatem non habet,ſed vir. deinde ſubiungit ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatẽ nõ habet,ſed mulier.etenim illud τὸ ἀῤῥηκτον matrimonii,& vt ita dicam,inſeparabilitas coniugii æqualis eſt, imo vna vtrinque.imo Dominus in euangelio,excepta cauſa fornicationis, ne dimittere quidem ex domo vxorem permittit.ita enim interpretatur eo loco verbum ἀπολύειν beatus Chryſoſtomus in libro de Virginitate.c.13.& hæc eſt vulgaris verbi huius ſignificatio.Valeant ergo, qui in monachis ponunt mortem quandam ciuilem,qua coniugium dirimatur. ergo hac ratione, quicunque mortificant membra ſua,quę ſunt ſuper terram,tanquã ex mortuis viuentes,quod omni

bus præceptum eſt, ſoluantur lege matrimonii ſub præ textu religionis, aut ſaltem vxores ſuas a ſe procul remoueant, ne eas amplius curent, quod apoſtolico canone prohibetur. Simile eſt, quod rurſus aiunt, non hominem ſeparare tunc, ſed Deum. & quis quæſo, apoſtolus, aut Chriſtum in ſe loquentem habens, hoc interpretatus eſt? Paulus enim in vno tantum loco, & in vna re interpretatus eſt matrimonium adeo tũc omnino dirimi, cum ſcilicet alter coniugum infidelis eſt, & non conſentit habitare cũ fideli, etenim ſi infidelis id ſcedit, diſcedat, inquit, nõ .n. ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in eiuſmodi tunc ergo nõ homo ſeparat, quod Deus coniunxerat, ſi quidẽ non quærit ipſe ſolutionem, qui alligatus erat vxori, ſed Deus ſeparat, qui noluit ſeruituti ſubiectũ eſſe fratrẽ, vel ſororem in huiuſmodi: quod ſi conſentiat habitare infidelis cum fideli, præcipit non Dominus, ſed apoſtolus, ideſt non hoc Dominus per ſe præcepit, quando erat cum diſcipulis, ſed nunc præcipit per Paulum, ne fidelis infidelem dimittat, ſic enim Chryſoſtomus interpretatur in libro de Virginitate.c.13. quo in loco affirmãs eſſe hoc Chri
» ſti præceptum, demonſtrat, inquit, in cuncto orbe ec-
» cleſia vim, atque robur huius legis, ſiquidem omni ſtu
» dio & diligentia eam ſeruet, quam quidem non ſeruaſ
» ſet, niſi perſuaſum haberet perfecte, eſſe quod hic ait
» Paulus, Chriſti mandatum, hactenus Chryſoſt. In hoc ergo loco, & in hac cauſa vt dixi ſeparat Deus, & non homo, quod ex apoſtolo didicimus. mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit. ſcriptura hæc ſolui non poteſt, præſertim cum ſit hoc magnum ſacramentum in Chriſto, & in eccleſia ſponſa eius ab ipſo inſeparabili. Quare cum matrimonium non conſummatũ per ingreſſum religionis ſolui videtur, non ita eſt, nõ ſoluitur, quod non fuit alligatum. imo audi, quid beatus Chryſoſtomus in libro de Virginitate.c.47. ſcripſe

» rit, quid igitur, inquit, ſi vir incontinens eſt, ego au-
» tem cōtinens eſſe volo? neceſſe eſt illum ſequi. te enim
» hoc facere nolentem catena coniugii tibi iniecta tra-
» hit ad eum, qui tibi a principio colligatus eſt, & quam
» uis reluctaris, & rumpas, non ſolum non liberaris eum
» vinculo, ſed potius in ſupplicium ſummū conieceris, &
» paulo poſt. c. 48. & quid hac inquit, neceſſitate, & vio-
» lentia durius eſſe poteſt? quæſo, quamobrem te in hāc
» neceſſitatem trudis? hoc enim cogitare ante matrimo-
» nium debuiſti, non poſt matrimonium. rurſus paulo in
» fra, idcirco, inquit, dixi, vt qui habent vxores, ſint tan
» quam non habentes, vt qui aut iam alligati ſunt, aut
» ſunt alligādi, alio modo faciant vinculū laxius, quia. n.
» non licet rumpere ſemel iniectū, fac illud tolerabilius.
» poſſumus enim ſi volumus, omnia ſuperflua, tollere,
» & præter curas, quas ipſa rei natura parit, non addere
» alia noſtro vitio, & ignauia. non ſunt diſſimilia, quæ
» Aug. ſcripſit in cō. Pſal. 149. Sed dicat, cōtinere iam vo
» lo, nolo iam vxorem, non potes, quid ſi tu vis, & illa
» non vult? nunquid per continentiam tuam debes illam
» facere fornicariam? Si alii nupſerit, te viuo, adultera
» erit, non vult tali lucro Deus compenſare tale da-
» mnū, &c. quæ quidem non ſolum in matrimonium cō-
ſumatum competunt, vt aliquis fortaſſe cōtendat, ſed
etiam in ratum non conſumatum. ergo familiari, &
quotidiano permiſſu declarat iam eccleſia, eum, qui ſe
potuit miſcere, & non ſe miſcuit, deinde ſe ad apoſtoli
cæ vitæ inſtitutum contulit, declarat inquam, non con
ſenſiſſe illum, vt ante dixi, in indiuiduam vitæ coniuga
lis conſuetudinem, imo vt hoc facere poſſit vterq. eo
rum, id eſt, de voto religionis adhuc cogitare, qui præ
eſt toti eccleſiæ, præſcribit illis hanc, quam dixi προθεσ-
μίαν & quidem cōſultiſſime tum propter moleſtias, &
onera matrimonii, tum propter perfectiſſimum, & ex
peditiſſimum genus viuendi Deo in religione. [hęc au

tem eſt προθεσμίαν vt quandiu non ſe miſcent, vterque eorum poſſit ſuſcipere votũ religionis, altero relicto libero, quia ſcilicet nunquam fuerit alligatus. neque. n. hic fit ille, qui ſecundum idioma ſcripturæ ſanctæ, dicitur χωρισμὸς id eſt ſeparatio eius, quod Deus coniunxit, ſiue λύσις, id eſt, ſolutio vinculi cõiugalis legitimi. neque rurſus fit ἀπόλυσις, id eſt dimiſſio, quæ ſolum in cauſa fornicationis conceſſa eſt a Domino, ſed fit electio. hoc autem in voto religionis voluerunt pontifices, non autem in ordine ſacro. ſublata ergo eſt ratio illa falſa, qua putabant, non eſſe eſſentialiter annexum votum continentiæ ordini ſacro, quare dicam iterum, pugnat cum ſupradictis omnibus, qui hoc dicit, non eſſe eſſentialiter annexum ordini ſacro votum continentiæ. Pugnat item cum eiſdem decimus ille Ancyranæ Synodi canon, qui diacono, ſi ſtatim vt factus eſt diaconus, dixerit ſe non poſſe abſque vxore eſſe, vt vxorem ducat, concedit. verum ſemper Synodi prouinciales ſubiectæ ſunt ſedis apoſtolicę retractationi, ſi quid in eis cum veritate, aut diuina & eccleſiaſtica lege diſcrepet, quale eſt hoc, de quo agimus. Patere iam credo, & ſatis ex iis, quæ hactenus diximus, perſpici, quod de Paphnutio narrant, id omni fide, & auctoritate carere. quis enim credat Synodum Nicenam ſanctiſſimorum patrum contra diuinam, & apoſtolicam doctrinam, atque legem reliquiſſe cuique ſacerdoti integrum, quid facere vellet, continere ſe ab vxore, an non cõtinere? quis credat illã de re tam graui, & tam neceſſaria, nulla amplius diſquiſitione facta, decreuiſſe, & diſcernẽdo erraſſe? quod ſi falſum eſt, imo etiam omni carens probabilitate, ſic Synodum ſanctam reſpondiſſe, falſum quoq. ſit, & habeatur, ſanctum confeſſorem Paphnutiũ de eo ſic ad Synodũ retuliſſe. aut etiũ ſi id verũ eſſe cõcedamus, quid mirũ, ſi ſic vnus Paphnutius

ſenſit quomodo nunc non pauci doctrinæ & caſtitatis Paphnutii imitatores ſentiunt?illud tamen, vt ita Synodus illa ſanctiſſima catholicæ fidei firmamentū,ſtatuerit,& iudicarit,neque verum eſt,neq.eſſe potuit. quamquam ſi verum eſt totum hoc quod de Paphnutio,& Nicena Synodo impudenter,& impie mētiuntur, quæſo, quemadmodum ex veteribus,quod ego ſciam,præter Sozomenum,& Socratem nemo neque narrat,neque meminit?quorum alter Nouatianorum beneuolus,& eccleſiæ Romanæ minime laudator alia in hiſtoria Niceni concilii impudētiſſime finxit,in quibus hoc de Papphnutio poteſt numerari , vt quod paſca nuſquam celebraretur niſi ex vetere conſuetudine cuiuſque regionis,nihilque Nicenam Synodum,vt nō nulli,ſicut idem ait,vulgo iactarent,de hoc feſto paſcę immutaſſe,quod perinde eſſe videtur,ſi vtrumque cōparetur,atque dicere, nullum de paſca canonem ſanxiſſe,quo ſcilicet vbique in omnibus eccleſiis poſt quartā decimam Lunam proximo Dominico celebraretur,ſiue in primo menſe,ſiue in ſecundo iuſtus numerus Lunæ,& dies Dominicus occurrerent.cuius quidem canonis a Nicenis patribus editi multi patres meminerunt Epiphanius aduerſus Audianos,Theodoritus in vita Marciani,Ambroſius lib.10.epiſt.Gregorius Cappadox in Encomio.318.epiſcoporū,& multi alii , quos prætereo.& quemadmodum nuſquam niſi ex conſuetudine Paſca celebrabatur,tot Synodis contra Synodum Polycratis Epheſinam pro legitima vna celebratione habitis , Romę a Victore, Hieroſolymis a Narciſſo , Cæſaræ in Paleſtina a Theophilo, in Gallia Lugduni ab Irineo,Corinthi a Bachilide,in Aſia a Plaſma,item in Edeſſa,& Adiabene a.18.epiſcopis.deinde ab aliis epiſcopis in Meſopotamia tēporibus Cōmodi Imperatoris.idē quoq.Socrates auſus eſt mentiri, aut, certe quod ignorabat,pro certo affirmare,eccleſiā Ro

manam in quadrageſima tres tantum hebdomadas exceptis Sabbato, & Dominico ieiunare, iam quę fides habeatur in vetere hiſtoria, mentienti in pręſente? aut cuius veteris ſcriptoris fidem ſecutus eſt in hac Papphnutii hiſtoria? imo quis alter meminit, niſi eius ſimilis Sozomenus? de quo ſanctus Gregorius ſexto libro
„ epiſtolarum, eius inquit hiſtoriam ſedes apoſtolica re-
„ cipere recuſat, quoniam multa mentitur, & Theodo-
„ rum Mopſueſtię nimium laudat, & vſque ad diem obi-
„ tus ſui magnum doctorem eccleſiæ fuiſſe perhibet. re
„ ſtat ergo, vt ſi quis illam hiſtoriam recipit, Synodo,
„ quæ piæ memoriæ Iuſtiniani temporibus de tribus ca
„ pitulis Ibæ facta eſt, contradicat, qui vero huic contra
„ dicere non valet, illam hiſtoriam neceſſe eſt, vt repellat. ſimiliter dicam, ſi quis huius, aut Socratis hanc de Papphnutio, & Niceno cōcilio hiſtoriam recipit, ſcripturæ ſanctæ, ſanctiſque patribus cōtradicit, qui vero his contradicere non valet, hiſtoriam illam neget neceſſe eſt. Pręterea ſi vera eſt hæc hiſtoria, quemadmodum alii ſcriptores, quorum maior & fides, & diligentia eſt, ſilentio eam prætermiſerūt? Euſebius Cæſarienſis, Theodoritus, Theophanes, Georgius Cydrenus, Gregorius Cappadox qui Encomium. 318. & hiſtoricā epitomen Niceni concilii elegātiſſime ſcripſit, & alii, quos prętereo, ne omnes enumerem. neque eſt in actis ipſius Synodi, in quibus alioqui extat Papphnutii hiſtoria. hactenus de continentia ſacri ordinis. quam quidem iure diuino ſancitam eſſe, quod ſatis me demonſtraſſe putem, ridebunt fortaſſe nonnulli ſenſu carnis ſuæ inflati, & ea, quam Gręci πρόληψιν vocant, id eſt anticipatione præiudicii ſui corrupti, qui magis literam occidentem, quam ſpiritum viuificantem ex ſcripturis petunt, quaſi illæ ſint ψιλαὶ ac non potius νοηταὶ qui quæ aliquantum difficilia ſunt, & paulo obſcuriora, quia indocti & inſtabiles ſunt, facile ad ſuam, & aliorum per

ditionem deprauant, vt hic quia non legunt verbũ im «
perandi, neque verbum vxoris, quia inquam non au- «
diunt dici clara voce his nominatim ordinibus, abſti-
nete ab vxoribus veſtris, idcirco præceptum ſcriptum. «
continentiæ eorum negant, videant ipſi ne hac ratione
multa, eorum quæ credunt, & tenent, ex ſcripturis eli
ci negare cogantur. docuit Salomon viam & artem in-
ueniendi veritatẽ ſitam in ſimplicitate, & fide, quibus
qui careat, animam eius appellat κακότεχνον, in quam in
quit non introibit ſapientia, Spiritus enim ſanctus di-
ſciplinæ effugiet doloſum, & auferet ſe a cogitationi-
bus, quę ſunt ſine intellectu. quod iſtis euenit. Nobis ve
ro, vt ommittam magnos auctores, ipſa conſuetudo, &
diſciplina eccleſiæ catholicæ, quam Spiritus ſanctus o-
mnem docet veritatem, optima interpres eſt horum lo
corum euangelii, & epiſtolarum Pauli de continentia,
& caſtitate horum ordinum, ab hac firmitate fratres,
vt nos beatus Petrus monuit, nullo inſipientium erro
re, traducti excidamus. Reliqua ex Vmberti Cenoma-
nenſis, in hunc canonem decimum tertium notatio-
» ne vt ſemel finiam, Addam. Quid inquit, Romana
» eccleſia in gradibus clericorum agat ſeriatim, & aper-
» te proſequemur, clericos tantum oſtiarios, lectores,
» exorciſtas, & acolytos, ſi extra votum, & habitum mo
» nachorum inueniuntur, & continentiam profiteri vo
» lunt, vxorem virginem ducere, cum benedictione ſa-
» cerdotali permittit, non autem viduam, aut repudia-
» tam, quia propter hoc ſolum deinceps neque ad ſub-
» diaconatum prouehi poterunt, neque laicus non virgi
» nem ſortitus vxorem, aut bigamus ad clericatũ, quod
» ſi quis præfatorum ordinum deſiderat ad ſubdiacona-
» tum aſcendere, nequibit hoc ſine conſenſu vxoris ſuę,
» vt de carnali fiat deinceps ſpirituale coniugium, ne-
» mine eos ad hoc cogente, neque permittitur poſtea
» vxor iungi eidem ſuo marito carnaliter, neque cui-

ſecundus concilii Conſtantinopolitani, quo cauetur, vt ſicuti in Nic. concilio conſtitutum, præſcriptumque eſt, ita honor dignitaſque ſeruetur Antiochiæ, ſeruari autem non poteſt, niſi Antiochia tertium locum, qui illi poſt Romam, & Alexandriam aſſignatus eſt, tueatur, multo vero minus, ſi in extremum locum reiiciatur, vt in hoc. 36. canone fit, etſi inquam ſatis illũ coarguat ſecundus ille canon, tamen eundem cum alii pontifices, tum maxime Damaſus, & Leo magnus vehementer refutarũt poſtea, ille ſtatim poſt ſecũdum concilium, facto decreto, in Synodo Romana, quæ Romæ in Vaticana bibliotheca extat, hic literis miſſis, tum ad Anatolium, tum ad Marcianum, quibus iniquam illã ſecundi loci, gradufque occupationem accuſat, quam non tunc primum cœpiſſe dicit Leo, ſed ante quinquaginta annos, fere enim non plures fuerunt inter Conſtantinopolitanum, & Calcedonẽſe concilium, in quo eundem ipſum fictum canonem clanculũ renouarunt, vt in. 16. actione Paſchaſinus, Leonis legatus obiicit. neque renouarunt modo, ſed omni temeritate & arrogantia cumularunt. ſi quidem non tantum ſecundum locum Conſtantinopolitano patriarchæ poſt Romanum pontificem, vt in Conſtantinopolitano concilio fecerant, tribuerunt Græci, ſed quaſi docentes illam præpoſitionem μετὰ, quæ Latinis eſt, poſt, non ὑποβιβασμὸν ſed τάξιν, ἢ τάξεως ἰσότητα hoc eſt, non inferiorem locum, ſed ordinem, aut ordinis æqualitatem ſignificare, planius quidem, ſed ambitioſius ſanxerunt, vt Conſtantinopolitanæ, & Romanæ ſedi paria priuilegia irrogarentur, & æque illa, atque iſta in rebus eccleſiaſticis magnifieret, ſecundo poſt Romam loco, quod idẽ omnino repetitum eſt in hoc. 36. canone, de quo loqui cœpimus, male itaque Gratianus legit, non tamen vt in eccleſiaſticis rebus æque magnificetur vt illa, coniunxiſſe namque videtur, quæ inter ſe peſſime

cohærent, videlicet æqualia priuilegia irrogari, non tamen æque in rebus eccleſiaſticis magnifieri. Etenim ſi in rebus eccleſiaſticis non æque magnifit vtraq. eccleſia, quæ illa eſt vtriuſque æqualitas priuilegiorum? fortaſſe poſſit aliquid reſponderi, ſed neſcio quam apte, certe ita eſt, vt nos legimus in omnibus tum Græcis, tum Latinis exemplis, quæcunque nobis fuit conſulẽdi poteſtas. Poſtea vero Vigilius credo tempore quinti concilii nimię Græcorum cupiditati, & importunæ ambitioni, fortaſſe ne quid peius accideret, ſecundum locum tandem conceſſiſſe videtur, id eſt, vt ego interpretor in dicendis ſententiis, in conſeſu, in ſignando, aliiſque huiuſmodi, ratumque feciſſe tertium canonẽ alioqui ſuppoſitum concilii Conſtantinopolitani, vt ex Nouella. 131. Iuſtiniani de eccl. ti. & priuil. coniici poteſt, & ex Leonis non. epiſtola ad Michaëlem patriarcham Conſtant. & Leonem Acridanum archiepiſ. Vul
»» gariæ. c. 28. ſed ecce iam, inquit non debet ingrata appa
»» rere filia, quia præ cæteris eã honorare dignata eſt ma
»» ter ſua. Nã cum nullo diuino, vel humano priuilegio
»» honorabilior ſeu clarior aliis eccleſiis Conſtantinopo-
»» litana exiſtat eccleſia & Antiochena, atque Alexandri
»» na, ob reuerentiam principis apoſtolorum inter alias
»» retenent dignitatis iura, tamẽ pia mater Romana ſci-
»» licet eccleſia nolens dilectam filiam dote honorificen-
»» tię ex toto carere, per beatos prædeceſſores noſtros,
»» in aliquot Synodis curauit decernere, vt ſalua principa
»» lium, & apoſtolicarum ſedium antiqua dignitate, Con
»» ſtantinopolitanus antiſtes honoraretur ſicut regiæ ci-
»» uitatis epiſcopus. Quamuis Iuſtinianus religioſus Au
»» guſtus legibus humanis voluiſſet aſtruere, vt poſt Pa-
»» pam Romanum ſedeat Conſtantinopolitanæ pręſul ec
»» cleſiæ, Et certe hoc nulla alia excellẽtia meritorum eſt
»» aſſecuta, niſi quod Romana eccleſia pro amore venera
»» bilis Conſtantini ipſam quantum in eo fuit, honoran

›› tis,& exaltantis ciuitatem ipſius hoc priuilegio hono
›› ris ſola humana beneuolentia inſigniuit,iuxta prophe
›› tæ dictum ad Heli,glorificantem me glorificabo, qui
›› autem contemnunt me, erunt ignobiles, aut ſi quod
›› aliud retinet,aut putat ſe habere priuilegium, vos re-
›› belles lumini,atque veritati,& ſigniferi vmbrę atque
›› vanitatis proferte in medium. Confirmauit idem octa
uum concilium œcumenicum contra Photium habitũ
canone.21.tum Innocentius.3.in concilio generali Lateranenſi,Poſtremo Eugenius.4.cum concilii œcumenici Florentini patribus,ex quo fit,vt ſi hic.36. canon, in quo verſamur,tantum repeteret,tertium canonem concilii Conſtantinopolitani,eſſet quidem tenendus, at non illum modo renouat, ſed etiam Calcedonenſis concilii.27.canonem ſuperbiſſimum & valde contumelioſum.ſed alterum quod in eo loco peccat hic auctor eſt,quod hunc canonem.36.quamuis in eo repetatur nefarius ille canon Calcedonenſis concilii, tamen quaſi probatum adhibet,& ad alios adiungit ſiue vlla nota ἀκύρου aut paleæ,vt noſtri iuriſconſulti loquuntur quaſi ἀχύρου in quo etiam capite apud Gratianum, vt nihil omittam,non inferior Roma,ſed ſenior legendum eſt.illud etiam hic admonere volui,hunc canonē 27.Calcedo.Con.cum totus fictus ſit,in vetuſtioribus exemplis Latinis non legi,& in Græcis ſeparatim ſcriptum eſſe infra ſigna epiſcoporum.Item ex Conſtantinopo.Con.canonibus ſeptem,qui Gręce feruntur ſcripti,non reperiri in vetuſtis Latinorum exemplis, niſi 3.primos id quod Anaſtaſius eius bibliothecarius annotauit,de ſexto affirmare quidem Nic.1.in epiſt.illa longa ad Michaëlem,fictum eſſe a Gręcis.Sequitur.39. canon,quo iſti patres nimis arroganter vt mihi videtur,prętermiſſa auctoritate pontificis, ius Conſtantinopolitanę eccleſię,Iuſtinianopolitanę tribuunt,cum omnis tamen iuriſdictio, & eccleſiaſtica poteſtas ex

„nem ſui diſcipulis tradidiſſe in pane a ſe benedicto, & „mox diſtributo, non enim benedixit tantum, & ſeruauit frangendum in craſtinum, neque fregit tantum, & „repoſuit, ſed fractum ſtatim diſtribuit. Vnde beatus „Alexander Papa quintus a Petro paſſionem Domini „inſerens miſſę canoni, non ait hoc quotieſcunque feceritis, ſed hæc, id eſt, ſi benedixeritis, fregeretis, & „diſtribueritis, in mei memoriam facite, quicquid horum fiat ſine reliquis ſcilicet benedictio ſine diſtributione, aut fractio ſine benedictione & diſtributione „perfectam Chriſti memoriam non repręſentat, ſicut „diſtributio, nullam ſine benedictione, & fractione, de „Papa vero Agathone omnino (inquit) ſcimus, neque „per ſeipſum ſextæ Synodo præſediſſe, neque aliquibus „eius capitulis ſubſcripſiſſe, niſi quæ promulgata fuerũt „aduerſus Monothelitarum hæreſim, vos videte vnde „hæc, quæ proponitis habeatis, quia eccleſia Romana „talia hactenus ignorauit, neque credi poteſt poſt tot „annos, Romanum pontificem Græcis promulgaſſe aliquas de miſſa obſeruationes. Hactenus Vmbertus. Præterea quod hæc imperfecta miſſa ab ipſis Græcis inuẽta, & introducta perperam ſit, ex eo quoque intelligi poteſt, quod hora nona huiuſmodi miſſas celebrant, Sabbato autẽ & Dominico hora tertia, quia ſcilicet, ſolui putent ieiuniũ ſumptione ſacramẽti. De quo etiã accuſauit eos idem Vmbertus, his verbis, quid enim ſceleratius eſſe poteſt, aut magis impium, cum caro Chriſti verus ſit cibus, & ſanguis verus ſit potus, verus inquam, quia qui manducet eius carnem, habet vitam „æternam, id eſt, Chriſtum, qui eſt via, veritas, & vita, „quemadmodum ergo vitam incorruptibilem comedẽs „corrumpere poteſt integritatem ieiunii, tanquam cibo aliquo corruptili? Sequitur canon. 55. aduerſus Romanæ eccleſiæ conſuetudinem de Ieiunio Sabbati impie ſancitus, quam conſuetudinem non eccleſiaſticam

putant Græci, ſed potius cum Apoſtolorum canone. 64. pugnantem nō intelligentes canonem illum, ſi modo verus eſſet, putari poſſe fortaſſe, ſancitum eſſe ab eccleſia contra Marcioniſtas, qui vt tradit ſanctus Epiphanius eo die ieiunabant in inuidiam Dei Iudęorū, qui ſeptimo die requieuiſſet, ab opere quod patrarat, vt iam ſublatis de medio Marcioniſtis, alia cauſa religioſe ieiunare liceat, ſicuti idem ſanctus Epiphanius deſcribēs eccleſiæ ſui temporis formam, tradit eſſe qui ſancto propoſito omnibus diebus ieiunarent, & in Laodicenſi Synodo canon eſt quinquageſimus de tota quadrageſima ieiunanda, & in Gang. Synodo canon eſt. 18. in eos, qui Dominico die ieiunarent, de Sabbato nulla mentio, ex quibus perſpicitur clariſſime, hunc canonem de ieiunio Sabbati interdicto falſo ferri Apoſtolorum, hunc ergo canonem ſextæ Synodi de Sabbato non ieiunando idem Vmbertus reprehendens, in libro, quem aduerſus calumnias Michaëlis Patriarchæ Conſtan. & Leonis Acridani archiepiſ. Vulgariæ pro defenſione azymi doctiſſime, & religioſiſſime ſcripſit,
„ ſi vos (inquit) non Iudaizatis, dicite, cur Iudęis in ſi-
„ mili obſeruatione Sabbati communicatis? Sabbatum
„ certe ipſi celebrant, & vos celebratis, epulantur & ipſi
„ & ſoluunt ſemper in Sabbato ieiunium, & vos in ve-
„ ſtra quadrageſima ſoluitis a ieiunio omne Sabbatū prę
„ ter vnum, illis duplex eſt cauſa celebrandi Sabbatum,
„ ex præcepto Moyſis, & quod cōtriſtatis diſcipulis, ipſi
„ fuerunt de morte Domini, quem non credebant reſur
„ recturum, in hac die gauiſi, vnde quia cum Iudæis Sab
„ batum, & nobiſcum celebratis diem Dominicum, vi-
„ demini in tali obſeruatione obſeruare ſectam Naza-
„ reorum, qui recipiunt Chriſtianiſmum, vt non dimit-
„ tant Iudaiſmum, Latina autē eccleſia compatiens paſ-
„ ſo, & ſepulto Domino, & gaudet reſurgenti in die Do
„ minica, quando Iudęos nimia occupauit mœſtitiā, &

» cuſtodes ſepulchri conati ſunt corrumpere pecunia.
» Vnde nos traditionem vſque in hodiernum diem de
» Sabbato retinentes,& vſque in finem retinere cupien-
» tes,&c.rurſus in libro aduerſus Nicetã,ſi interrogem
» (inquit) Iudæos,quid in Sabbato celebrent, reſponde
» bunt requiem Domini,ſi Græcos,idem,& non aliud
» dicent,ergo ſub ſeruitute legis ſunt,in cuius vmbra,&
» tenebris conſidunt,quam traditionem (inquit) ſi ten
» taſſet papa Agatho remouere Romanis, nõ audiretur
» ab eis. Quamobrem caput quod aſſeritis Agathonem
» promulgaſſe,vt ſi quis clericus ieiunaret Sabbato præ-
» ter vnum,deponeretur,magis dicendum eſt Nazareo-
» rum eſſe,quam Apoſtolorum,Cherinthi, & Ebionis
» magis quam ſextæ Synodi,& papę Agathonis, cui ſane
» capitulo epiſtola Pauli aperte contradicit,vbi ait, ne-
» mo vos iudicet in cibo,aut potu, aut in parte diei fe-
» ſti,aut neomeniæ,& Sabbatorum,quæ ſunt vmbra fu
» turorum,vnde Romani proprio auctori, & magiſtro
» gentium in fide & veritate obedientes nulli Sabbato
» feſtum,vel otium dependunt,ſicut neque neomeniæ,
» quia Iudaica ſunt,& vmbra futurorũ, & paulo ſupra,
de vtroque horum canonum,de miſſa ſcilicet & ieiu-
» nio Sabbati,& quomodo (inquit) in Nicena, & reli-
» quis Synodis vniuerſalibus nulla fit mentio de rebus
» tam neceſſariis? nunquid vſque ad ſextam Synodum
» Græci,& Latini rationem miſſę, & ieiuniorum igno-
» rauerunt?& per.600.& amplius annos a paſſione Chri
» ſti in talibus errarunt?an forte Græci hæc nouerunt,
» & Romani ignorauerunt?ſed ex miſſalibus Romano-
» rum libris ab omni eccleſia occidentali antiquitus re-
» ceptis euidenter cognoſcitur, quam rationem ieiunii,
» & miſſæ habuerint ſub reuerendis ſuis pontificibus Sil
» ueſtro ſcilicet auctore Nicenę Synodi, & Gelaſio da-
» mnatore veſtri Accatii, maximeque Gregorio cõpa-
» tre Imperatoris Mauritii, in cuius libris miſſalibus,

» dies Dominica, & ſexta feria ſemel in Paſcha erit vtiq.
» celebranda, ſi autem Dominicæ diei, ac ſextæ feriæ per
» ſingulas hebdomadas reparanda imago eſt, dementis
» eſt bidui agere conſuetudinem, Sabbato prætermiſſo,
» cum non diſparem habeat cauſam a ſexta videlicet fe-
» ria, in qua Dominus paſſus eſt, quando & apud inferos
» fuit, & die tertia reſurgens reddidit lætitiam poſt bi-
» duanam præcedentẽ triſtitiam, non ergo nos negamus
» ſexta feria ieiunandũ, ſed dicimus in Sabbato hoc agen
» dum, quia ambo dies triſtitiã apoſtolis, in iis qui Chri-
» ſtum ſecuti ſunt, indixere, qui die Dominica exhilara
» ti, non ſolum ipſum feſtiuiſſimum eſſe voluere, verum
» etiam per omnes hebdomadas frequentandum eſſe di-
» xere. Hactenus Innocentius. Quæ omnia ideo a me tam multis verbis repetita ſunt, quod hunc canonem Iudaicum de non ieiunando Sabbato hodie teneant, & ſuperſtitioſiſſime obſeruent Grçci, & nobis eius diei ieiunium impie exprobrent. Sequitur canon. 67. de abſtinendo a ſanguine quacunque arte condito, & de ſuffocato aduerſus Latinos editus, quod probant hodie Græci, qui nos accuſant, quod canonem Apoſtolorum, quem nunc horum canonum auctores renouant, non ſeruemus, neque intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, ſane fuerunt olim ſanguis, & ſuffocatum propter ſanguinem retentum, prohibita primũ quidem Iudęis ad deteſtationem idololatriæ, vt Tertullianus in Apologetico interpretatur, deinde ab Apoſtolis decreto illo Antiocheno prohibita quoq. gentilibus, vt ipſo ſtatim principio Chriſtianę diſciplinæ amicitia, & ſocietas inter conuerſos ex Iudæis & gentilibus, communione ritus facilius coiret, vt eſt in bula concilii Florentini explicatum, nũc vero cum idololatria prorſus eiecta omnis ſit e medio, & longo vſu diſciplinæ Chriſtianæ magna ſtatim exiſtat coniunctio credentium ex Iudęis, ac gentibus, liceat quidem no-

bis iam ali ſanguine neque religio ſit botulis ſanguine diſtentis veſci, vt erat olim, Tertulliano auctore, quan do, vt inquit, inter tentamenta Chriſtianorum botu-los etiam cruore diſtentos admouebant, a ſuffocatis vero adhuc abſtinere ſolemus conſuetudine horroris ex traditione primum nata, iam velut in naturam ver-ſa. Sed recitabo quæ Vmbertus docte ſatis, & diligēter in hunc canonem, aduerſus Græcorum accuſationem

» reſpondit, & annotauit. Nos (inquit) quamuis a Do-
» mino, & ab Apoſtolis licentiam habeamus manducare
» omnia, quę neque noſtræ, neque fraternæ ſaluti offi-
» ciunt, conſuetudine tamē prouinciarum, & præceptis
» maiorum noſtrorum hactenus detenti, deuitamus co
» medere nonnulla, non quia mala, aut immunda ſint,
» ſed quia aut nobis aliquomodo nō expediunt, aut lon-
» go vſu in naturam verſo horremus, Nonne draco po-
» pulis Aethiopum eſca datus dicitur? & nonnullæ natio
» nes quibuſdam veſcuntur, quæ aliæ penitus abominan
» tur, & aliquanto poſt, Deus (inquit) poſt cataclyſmū
» primis menſis admouit omnia, deinde certę ſignifica-
» tionis gratia, vſque ad tempus remouit aliqua quaſi
» immunda, cum vtique cuncta fecerit valde bona, & ra
» tionalis creaturæ vitium abominabile ſit, volūtas quo
» que hominum aliquando ſibi quædam vendicat, ali-
» quando alienat, vt Romani paucis annis ante Conſtan
» tinum porcinæ carnis eſum per Aurelianum Impera-
» torem ſibi vendicarunt, & Græci vſque nunc vrſi-
» nam alienarunt, & certe ſi humanum iudicium ſuper
» his interroges, immundior erit porcus ſordibus, &
» cœno cōſuetus viuere, quā vrſus ſaginatus glāde, & re
» liquo ſuo pabulo, ſed ſiue vos, ſiue nos, quod a maiori
» bus noſtris accepimus, aut vſu tenemus comedēdū, ſic
» obſeruemus, vt qui non manducat, manducantem non
» ſpernat, & qui manducat, non manducantem ne iudi-
» cet, & paulopoſt, cuius vrſinæ ſcilicet vſum quamuis

„non admittatis, admittentibus tamen pro crimine re„putare non debetis, quia euangelica, & apoſtolica au„ctoritas omnia edenda conſtituit, neque hoc dicentes „ſuffocatum, & ſanguinem nobis contra vos defendi„mus, antiquam enim conſuetudinem, ſeu traditionem „maiorum noſtrorum diligenter retinentes, nos quoq. „hæc abominamur, adeo, vt ſanguine, & quocunque „morticinio, aut aquis, aut quacunque negligentia hu„mana præfocato apud nos aliquando veſcẽtibus, abſq. „extremo periculo vitæ huius, pœnitentia grauis impo„natur, pro eo magis quia antiquas conſuetudines, & „traditiones maiorum, quæ non ſunt contra fidem, le„ges apoſtolicas arbitramur, nam de cæteris, quæ aucu„pio, aut canibus, aut laqueo venantium moriũtur apo„ſtoli præceptum ſequimur, omne quod in macello vẽ„ditur, manducate, nihil interrogantes propter conſciẽ„tiam, & paulopoſt, ne ergo ſcandalizetur frater infir„mus in fide, qui putat aliquid commune, aut immun„dum eſſe ſi quis dixerit hoc ſuffocatum eſt, vel morti„cium, non eſt comedendum, vt Apoſtolus de idolothy„tis ait. Multa ſi quidem vſu, aut traditione maiorũ ita „obſeruamus, vt aliter facientes abhorreamus, ſicut eſt „non lotis manibus manducare, quod quamuis iuxta „ſententiam veritatis non inquinet hominem, tamen „velut immundum exhorrere ſolet homo hominẽ non „lotis manibus manducantem. Quod ſi quis dicat (in„quit) non ſolum in veteri teſtamento ſed etiam in no„uo ab Apoſtolis traditum eſſe gentibus, vt abſtineant „a ſanguine, & ſuffocato, neque nos veſcimur, tamen „pro loco & tempore nõnulla carnalia veteris legis mã„data apoſtolos obſeruaſſe ſcimus, quando adhuc quaſi „in quodam matutino crepuſculo tenebrę & lux confli„gebant, ſic apoſtoli in Iudæa commorantes aliquando „claritate euangelii expergefacti ab vmbra legis rece„debant, aliquando neceſſitate in eam recidebant, de-

» nique ſorte Mathiam aſſociarunt,& templum in quo
» adhuc ſanguis animalium offerebatur, orationis gra-
» tia frequẽtabant. Hactenus Vmbertus. Valeat ergo ad diſcretionem ciborum, non quidem aliqua ratio Iudaica aut vmbra futurorum, ſed temperantiæ, obediẽtiæ, conſuetudinis traditæ ſalubritatis, & eccleſiaſticę diſciplinæ ratio, neque nos Græcorum eccleſiaſticam conſuetudinem reprehendimus, neque illi noſtram reprehẽdant. Quare hic canon adulterinus, & inſolens, atq. ab apoſtolica doctrina & eccleſiaſtica regula alienus habeatur, quo auctores eccleſiam Romanam auſi ſunt iudicare. Sexageſimus nonus canon editus videtur in inuidiam Latinorum ad damnandam eccleſiæ Romanæ conſuetudinem. Siquidem hoc hodie etiã nobis obiiciunt, quod cuique noſtrũ liceat in ſacrarium ingredi, & ad aram fere omnem accedere, ſed cur religioſæ oſculationes prohibeantur non video, imo nec aliud quicquam, quo excitari pietas poſſit, & diuinarum rerum ſtudium, & amor inflammari, augerique religio ac deuotio. Sequitur. 90. canon, quem interpretari placuit potius, quam reprehendere, ne quis nos eo aliquãdo laceſſat, quaſi aduerſus eccleſiam Romanam ſancito. Soliti ſunt olim Græci, & ſolent adhuc, quantum intelligo, ſexto, & ſeptimo die magnæ hebdomadæ ieiunare, nihilque cibi omnino capere, quos cum vexaret fames, iidemque ieiunium ſoluendi tempus auide expectarent, alii quidem ante mediam noctem Sabbati, cibum capiebant, quaſi iam tunc Chriſtus reuixiſſet, alii vero poſt. Hoc ergo canone cauẽt patres, vt ad ſoluẽdum ieiunium media nox expectetur, quaſi ab eo tẽpore quanam hora noctis Chriſtus reuixerit, incertum habeatur. Non itaque hic canon deſcriptus eſt in inuidiam conſuetudinis Romanæ eccleſiæ, quæ matutinum tempus expectat, neque ad cõſtituendam certam reſurrectionis horam, quod quidem periculo-

ſum eſt, vt ait Dionyſius archiepiſcopus Alexādrinus: ſed ad ponendum modum auiditati eorum, qui mediā noctem anteuertebant. Verum Dionyſii Alexandrini canonem non me pœnituit adiungere, quod maxime ad huius loci, quo de agimus, interpretationē faciat, is eſt in hanc ſententiam, qua hora oporteret deſinere eſſe ieiunos in magno Sabbato, & incipere celebrare diem feſtum paſchæ, magnam olim de eo controuerſiam, ac diſſenſionem fuiſſe, alios enim veſperam, Romanos galli cantum obſeruaſſe, alios citius ſolere. Ac difficile quidem eſſe & periculoſum certam horam reſurrectionis notare. Illud conſtare inter omnes, poſtquam Chriſtus reuixiſſet, ieiunationem eſſe deſinendam. Ne vero exiſtimaremus euangeliorum ſcriptores inter ſe pugnare, videri ſibi quod Matthæus diceret ὀψὲ σαββάτων id eſt, ſero Sabbatorum, non eſſe accipiendam veſperam Sabbati, ſi quidem adiunxerit τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν τῶν σαββάτων id eſt, quæ luceſcit in vnam Sabbatorum, ſed ſignificari ſerum noctis, veniſſe itaque multa iam nocte ſcilicet ante lucem, idque vt viſerent monumentum, non vt vngerent, quoniam Sabbatum adhuc eſſet, reperiſſeque iam motum lapidem, hoc idem Ioānes his verbis, mane cum adhuc tenebræ eſſent, & quæ ſequuntur. Lucas vero Sabbatum ait quieuiſſe eos, vt lex iubebat, cum vero exiiſſet Sabbatum ὄρθρον βαθέως, hoc eſt bene mane, ſtatim initio ſequentis diei adiiſſe mulieres cum vnguento &c. Hoc idem Marcus λίαν πρωῒ, niſi quod adiunxit orto iam Sole, videlicet egreſſæ ſunt bene mane, ſed in via, & monumento tempus vſque ad Solis ortum conſumunt. Ergo Matthęus & Ioānes de extrema parte Sabbati, & monumento ſolum viſſendo loquuntur. Lucas vero & Marcus de initio Dominici diei poſt Sabbatum, & de adeundo monumento cum aromatis, atque ita fit vt omnia conueniant. Ergo eos qui paulo ante

" mediam noctem deſinunt eſſe ieiuni,hos intemperan-
" tes,contemptoreſque eſſe,qui autem quartam vigiliã
" expectarent,qua Chriſtus in mari ambulaſſet, hos pul
" cherrime,& tẽperatiſſime facere, qui interiecti ſunt,
" eis ſe minime moleſtum eſſe. Hactenus Dionyſii ſen-
tentia ad Baſilidem.Dictum eſt de actis ſexti concilii, & de iis canonibus,qui ſextę Synodi falſo eſſe ferũtur, deque eorum auctoritate,& qui minus ſancti, ratique ſint, imo qui falſi.Sequitur nunc vt de actis ſeptimi cõcilii dicamus,quæ etiam commẽtitia aſſe Albertus Pygius contendit,de cuius prudentia, & religione iterũ dicam magnopere miror,quod cum diu, & magna cũ laude aduerſus Lutheranorum diſciplinam depugnaſſet,noſtramque acerrimis,& ſanctiſſimis ſcriptis ſæpe defendiſſet,iiſdem ad extremum maioris furoris,& temeritatis occaſionem præbere non dubitarit. Siquidem eius fortaſſis auctoritate & præiudicio inducti hanc ſanctiſſimi concilii.7.hiſtoriam vendere in Germania inferiore per errorem prohibuerunt.qua, vt dixi,nihil ſanctius,vberius, acrius pro ſanctis imaginibus ſcriptum eſt,neque a maioribus noſtris,neq. a noſtræ ętatis hominibus.quæ quidem cum diu ante Lutherani deleuiſſent,& e templis exturbaſſent,libentiſſime huius hiſtoriæ accuſationem amplexi ſunt,vt iam non ſolum ſuis nefariis & ſceleratis armis pugnarent, ſed hoc magis inſultarent, quod noſtra tela de manibus excidiſſe viderentur,imo a noſtris excuſſa & extra cta eſſe. Obiicit itaque primum de Honorio, de quo quoniam nimis multa ſupra,nihil hoc loco addam amplius,niſi ita ſcriptum eſſe,cnm in aliis exemplis.7.Synodi,tum in eo,quod Anaſtaſius Palatinę bibliothecę magiſter,haud multo poſt tempora ipſius concilii habiti,a ſe tranſlatum in ea reliquit,quod propter vetuſtatem ſuam,ſummamque fidem, religionem, ac diligentiam huius viri, magnæ apud omnes auctoritatis

eſſe debebit. Deinde cum multa alia corrupta eſſe putet in hac hiſtoria Pygius, duo tamen teſtimonia ſe ait velle proferre, vnū, quod literę Hadriani Taraſio œcumenico Patriarchæ inſcribantur. Quod vt negare non poſſumus, quin græculus quiſpiam librarius deprauarit, ita mirari non debemus. ecquis Græcorum inſolētiam ignorat? qui nunquam patriarchas epiſcopos vocant, ſed ἐξάρχους προέδρους ἀρχηγοὺς, aliiſque huiuſmodi nominibus, imo ſic ſe ipſi patriarchæ appellitant, vt in conciliis paulo ante noſtram memoriam habitis Florentino inquam & Baſileenſi perſpectum eſt, cum tamen nemo fere Pontifex Romanus, niſi epiſcopum ſe nominare ſoleat, & ſeruum ſeruorum Dei, vt diuus Gregorius ſe primus, vt ferunt, cœpit appellare, imitatus quod eſt in Matthæo, quicunque voluerit inter vos eſſe primus, erit veſter ſeruus, neque id ſolum, ſed Eulogium epiſcopum reprehendit, quod eum appellaſſet vniuerſalem. Idem Mauritium de eadem re accuſat, & Nicolaus primus Michaëlem Imperatorem literis ad eum miſſis reprehendit, quod Photium œcumenicum patriarcham vocaſſet, & Hadrianus primus Cōſtantinum, quod Taraſium, multis itaque rationibus & argumentis coarguitur illius tituli vanitas, quodq. non ab Hadriano ſcriptum ſic eſt, ſed ab alio ſuppoſitum. Quod ſi cætera quæ in hac hiſtoria perſcripta ſunt ſic poſſent coargui falſitatis, profecto non dubitaremus commentitia notare, vt vocat Albertus. At quæ ratio eſt propter aliqua loca prodita ac deprauata, reliquam hiſtoriam eiectam velle? Præterea Pygius commentitia dicit eſſe hæc acta, quoniam tres actiones die vno, ſexto videlicet Octobris peroratę fuiſſe dicuntur, quod quidem librarii vitium eſſe, ex exēplo Anaſtaſii emendatiore intelligi poteſt, in quo tertia actio tertio Calend. Octobris. 4. actio. Calend. eiuſdē menſis peracta eſt. Pygius vero quaſi exempla omnia

legiſſet, ita ex vnius exempli vitio de omnium exẽmplarium fide iudicium facere videtur. Illud deinde Alberto non probatur, ex quo cætera ficta eſſe arbitratur, quod Baſilius epiſcopus Ancyræ & quidam alii ſtatim primæ actionis initio in ſenatum introducuntur, iidemque ſuas ſententias damnant in conſpectu patrũ citius videlicet, quam ordo rerum & iudiciorũ poſtularet, vt ipſe exiſtimat, equidem neque verſatus ſum in foro, neque iactatus in tribunalibus, neque formulas iudiciorum teneo, fateor, videamus tamen an contra naturam rerum hoc ſit, quod eſſe ait Pygius, id enim facile intelligere poterit, qui non ſit omnino hebes. Ergo cum in ſenatum veniſſent, ſediſſentque omnes, epiſcopi Siciliæ petierunt, vt Taraſius præfaretur, & quæ eſſent agẽda, quoque ordine, proponeret, aſſenſi ſunt cęteri, pręfatur Taraſius, peroratque orationem
» his verbis. Quod ſi confidimus gratum eſſe Deo, acce-
» dant qui ſuperiori anno veritati reſtiterunt, & ſi quiſ-
» quam eorum habet, quod obiiciat, aut contradicat, ſi-
» ue quid, aliud, quod defendat, aut purget, dicat confi-
» denter, ſic enim omnis inquiſitio manifeſtabitur. Poſtea recitata eſt oratio, quæ ſacrum diploma Imperatoris appellatur, quo perfecto, ecce Baſilius, & alii ingrediuntur, & confeſſiones religioſiſſimas afferunt, quid quæſo hactenus contra naturam rerum aut etiam ordinem iudiciorũ audis? an quod reus ingenue crimen agnoſcit ſuum, antequam conuincatur? an vero quod non prius de ſacris ſimulacris, & ſignis atque imaginibus diſputatur, quam accerſantur? quid? cum de dogmate certum eſſet, neque ibi aliud ageretur, quam vt qui defecerant, reuocarentur, ad meliorem ſententiam, nonne conueniebat, magis, vt ſicuti Taraſius faciendum eſſe ſtatuerat, ſtatim admitterentur ſi qui vellẽt aliquid dicere? age ſi in hoc concilio, quod Tridenti inſtitutum eſt, in prima actione poſt orationẽ ab aliquo

legatq

legato pōtificis habitam, aliquamque Imperatoris ora tionem recitatam, vt hic factum eſt, continuo adeſſet Melanthon, aut quis alius de eorum familia, qui vellet ad ſe redire, & cōfiteri, quæ ante negaſſet, vtrum ideo ex abrupto, vt ait Pygius, factum eſſet, aut contra na turam rerum, ordinem ve iudiciorum? ſed quid in re apertiſſima moror? ſequitur in Pygio, eius generis of- fendes in illis alia plurima, ſed hæc mihi hoc loco ſuffi cere poſſe videbantur, pro aſſerenda aduerſus menda- ciſſimos Græcos, ſanctiſſimi, pp. Honorii memoria. Sa tis docet Albertus his verbis, quo conſilio probare vo luerit eſſe aliqua falſo ſcripta in hac hiſtoria, ſcilicet vt quod in ea ſcriptum eſt de Honorio, falſum eſſe crede retur. ergo hac ratione & argumento habeantur pro fictis, quæcunque de religioſis picturis ſanctiſſime ac veriſſime prodita, his literis ſunt. At ſicut Honorii da- mnatio ficta eſſet, ſi falſitas eius coargueretur, licet cæ tera ſeptimi concilii hiſtoria veriſſima foret, ſic quam- uis reliqua hiſtoria commentitia eſſet, nō ideo ſtatim non eſſet verum de Honorio, niſi redargueretur, vt certe non redarguitur. Poſtremo ait Pygius ſolo con- ſenſu multorum ſæculorum, tanquam certiſſima qua- dam nota agnoſci certorum auctorum libros, at hanc hiſtoriam ſeptimi concilii nuper in Germania publica tam carere hoc teſtimonio vetuſtatis. Sane de eo loque batur Albertus quod nouerat, dixi iterum, & dicendū eſt ſæpius, eſſe in publica bibliotheca pontificis Roma ni peruetuſtum exemplum ſeptimi concilii, quod Ana ſtaſius bibliothecarius, maiore fide & diligētia, quam puritate ſermonis e Græco in Latinum conuertit, atq. in hoc quidem exemplo, quod nuper in Germania exi uit in publicum, omnia cum Anaſtaſiano congruunt, eodemque ordine deſcripta ſunt, niſi quod in primæ actionis principio deſideratur epiſtola Conſtantini & Hirenes ad Hadrianum, qua legatos mitti poſtulant,

& Taraſii oratio quæ Apologetica inſcribitur,habita illi,quo die patriarcha creatus eſt.ſed hæc nihil ad ordinem iudiciorum, quem Pygius requirit,pertinent. in ſecunda vero actione duas epiſtolas alteram Hadriani ad Conſtantinum,alteram eiuſdem ad Taraſium a Græcis decurtatas,& mutilas eſſe, tum deprauatas, cũ tam diligenter Anaſtaſius ſuis in locis admonuerit, haud dubito,quin de Honorio etiam admonuiſſet, ſi qua illi mentitę damnationis Honorii ſuſpicio fuiſſet. Verum vt alia prætermittã, adiũgam hic,quæ in epiſtola Hadriani ad Conſtantinum a Grȩcis relicta ſunt,ab Anaſtaſio autem repoſita ex exemplo literarum Hadriani neſcio , vtrum Latino , an Græco a ſe Latine verſo , adiungam inquam quod eę contineant de principatu pontificis,de non legendis patriarchis ex ordine laicorum,tum de vectigalibus & bonis eccleſię,quæ
„ eius appellantur patrimonium . Si vero impoſſibile
„ eſt hæreticorum veſaniæ pro incredulitate ipſorum
„ ipſas ſacras,ac venerandas imagines ſine Synodi actio-
„ ne in priſtino erigere, ac confirmare ſtatu , & noſtros
„ ſacerdotes pro eiuſcemodi pia operatione veſtra cupit
„ ſereniſſima imperialis potentia accerſire , ſicut in ve-
„ ſtris fertur imperialibus iuſſionibus, imprimis Pſeudo
„ ſyllogus ille,qui ſine apoſtolica ſede enormiter, nequi
„ ter,irrationabiliter cõtra ſanctorum patrum traditio-
„ nem de ſacris imaginibus actum eſt , anathematizetur
„ præſentibus iuſſis noſtris,& tunc ſicut antiquitus mos
„ extitit iureiurando veſtra piiſs.ac trãquilliſs. poteſtas
„ vna cum domina Auguſta imperii veſtri genitrice, ſeu
„ eiuſdẽ regię vrbis patriarcha,necnon & cuncto ſenatu
„ corporale tribuentes ſacramentum,verbum commo-
„ nitorium ſicut antiquitus pia ſacra nobis dirigere ve-
„ ſtra dignetur imperialis poteſtas,quod nõ eſt apud vos
„ partis cuiuſlibet fauor , aut defenſio , ſed æqualitatẽ
„ vtriſque partibus conſeruabitis,nullatenus neceſſita-

»tem facientes, in quocunque capitulo eis, qui a nobis
» diriguntur quoquomodo, ſed omni honore, cum com
» petenti munificentia, & ſuſceptione dignos eos habe-
» bitis. Et ſi quidem vtrique conuenerint, ecce bene, ſi
» autem minime conuenerint, iterum cum omni huma-
» nitate ad nos dirigere ſatagetis. Quia dudũ ibidẽ pro-
» piæ zelo fidei, ac ſanctarum imaginum, religioſi viri ac
» Dei famuli directi in exilium miſſi ſunt, & bonę cõfeſ
» ſionis huiuſmodi finierunt vitam. Porro & hoc veſtrũ
» adeo coronatum imperium ac piiſſimum poſcimus, vt
» ſi veram & Orthodoxam ſanctæ catholicæ & apoſtoli-
» cæ eccleſiæ Romanæ nitimini amplecti fidem, ſicuti an
» tiquitus ab Orthodoxis Imperatoribus ſeu a cæteris
» fidelibus Chriſtianis oblata, atque conceſſa ſunt patri
» monia beati Petri apoſtolorum principis fautoris no-
» ſtri in integrum nobis reſtituere dignemini pro lumi-
» nariorum concinnationibus eidem Dei eccleſiæ, atque
» alimoniis pauperum, imo & conſecrationes archiepi-
» ſcoporum ſeu epiſcoporum, ſicut olim cõſtat traditio,
» noſtrę diœceſis exiſtentes, penitus canonice ſanctę Ro
» manæ eccleſiæ reſtituantur, vt nequaquam ſchiſma in-
» ter concordiam perſeuerare valeat ſacerdotum, ſed ſi-
» cut in veſtra ſereniſſ. iuſſione exaratum eſt, confunda
» tur omne zizanium male plantatum, & Domini atque
» ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti verbum impleatur, quo-
» niam portę inferi non præualebunt aduerſus eã, & rur
» ſus, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo ec-
» cleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, &
» quod ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis,
» & quod ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ & in cœlis,
» cuius ſedes in toto orbe terrarum primatu fungens ca
» put omnium eccleſiarum conſtituta eſt, & quãuis bea-
» tus Petrus apoſtolus per Domini præceptum rexit ec-
» cleſiam, nihilominus ſubſequens & tenuit ſemper, &
» retinet principatum, quod vniuerſalis eccleſię nomen

„ nullam magis oportet exequi ſedem, quam primam,
„ quæ & vnamquamque Synodum & ſua auctoritate cõ-
„ firmat, & continuata moderatione cuſtodit. Et valde
„ mirati ſumus, quod in veſtris Imperialibus iuſſis pro
„ patriarcha regiæ vrbis ſcilicet Taraſio directis vniuer
„ ſalem ibidem eum reperimus exaratum, ſed vtrum per
„ Imperium vel ſchiſma, vel hęreſim iniquorum ſcriptũ
„ eſt, ignoramus. Sed deinceps ſuademus veſtrę clemen-
„ tiſs. & Imperiali potentiæ, vt minime in ſuarum exara
„ tionum ſerie vniuerſalis deſcribatur. quia contra ſan-
„ ctorum canonum inſtituta, ſeu ſanctorum patrum tra
„ ditionum decreta eſſe videtur. In ſecundo enim ordi-
„ ne ſine ſanctę noſtrę catholicę eccleſię auctoritate, ſi-
„ cut in omnibus patuit, nunquam valuit nomen habe-
„ re, quod nimirum ſi ſuper prelatam ſibi ſanctam Roma-
„ nam eccleſiam, quæ eſt caput omnium eccleſiarum de-
„ ſcribatur, tãquam ſanctarum Synodorum rebellem at
„ que hæreticum ſe manifeſtare certum eſt. quia ſi vni-
„ uerſalis eſt etiam eccleſię noſtrę ſedis priuatum habere
„ dignoſcitur. quod ridiculum omnibus fidelibus Chri-
„ ſtianis apparet, quia in toto orbe terrarum ab ipſo re-
„ demptore mundi beato Petro apoſtolo principatus ac
„ poteſtas data eſt, & per eundem apoſtolum, cuius vel
„ immeriti vicem gerimus, ſancta catholica, & apoſtoli-
„ ca eccleſia Romana vſque hactenus tenet principatũ,
„ & poteſtatis auctoritatem, quatenus (quod non cre-
„ dimus) ſi quiſpiam eum vniuerſalem nũcupauerit, vel
„ aſſenſum tribuerit, ſciat ſe Orthodoxæ fidei alienum
„ eſſe, & noſtrę ſanctę catholicę eccleſię rebellem. Ipſe
„ enim Taraſius regię vrbis patriarcha, miſit nobis Sy-
„ nodicam, priſcam adimplens conſuetudinem, quam ſu
„ ſcipientes, & liquidius indagantes, & de confeſſione
„ tam rectæ fidei eius, quam dogmatum ſanctorum ſex
„ Synodorum, & venerandarum imaginum ouantes ni-
„ mis iterum conturbati ſumus, quia ex laicorum ordi-

»ne,& imperialibus obſequiis deputatus,repente ad pa
»triarchatus culmen electus eſt, id eſt a caliga milita-
»ri contra ſanctorum canonum cenſuram factus eſt pa-
»triarcha,& quod dicere pudet & graue facere eſt,qui
»regendi adhuc & docendi ſunt, doctores neque eru-
»beſcunt videri, neque metuunt, ducatumque anima-
»rum impudenter aſſumunt,quibus via omnibus igno
»ta decoris eſt,& quo ipſi gradiantur ignari ſunt,quod
»quam prauum,quam ve ſic temerarium ſæculari ordi-
»ne,& diſciplina monſtratur. Nam dum dux exercitus
»non niſi labore & ſolicitudine expertus eligitur, qua-
»les animorum duces eſſe poſſunt, qui in epiſcopatus
»culmen immatura cupiunt feſtinatione conſcendere?
»huius ſaltem rei comparatione conſiderent, & aggre-
»di repente inexpertos labores abſtineant, quippe qui
»non didicerint,quod docent,vnde canonicæ inſtituit
»cenſura,nequaquam ex laico ad ſacerdotium repente
»tranſire,& niſi per eius fidelem concurſum pro ſancta
»rum imaginum erectione,eius cõſecrationi aſſenſum
»omnimodo tribuere nequimus,& ideo Domini rerũ
»a deo coronati magni principes,& ſereniſſimi Impera
»tores,petimus & obnixe iterum obſecramus a Deo
»illuſtratam clementiam veſtram & per omnipotẽtem
»Deum,qui vos regnare præcepit,& Imperialis culmi-
»nis apicem nobis cõcedere iuſſit,pietatem veſtram vt
»dictum eſt coniuramus,vt pio intuitu veſtras clemen-
»tiſs.aures noſtræ humillimæ deprecationi inclinare iu
»beatis,ipſaſque ſacratiſſimas imagines in priſtino gra-
»du conſtituere, vt omnes Chriſtiani in vniuerſo mun-
»do exultent,& magno lætentur gaudio, nam cum tale
»inquam erroris ſcandalum,quod in ipſis Græciæ parti
»bus irrepſit abolitum fuerit,& Deo annuente ipſę ve
»nerandæ imagines in priſtino ſtatu fuerint reſtitutæ,
»erit magna lætitia dilatata per vniuerſum orbem terra
»rum,& nũc ſuper omnes barbaras nationes, beato Pe

„ tro principe apoſtolorũ vos comitante, eritis in trium
„ phis imperantes victores, ſicuti filius & ſpiritualis no-
„ ſter compater Dominus Carolus Dux Francorum &
„ Longobardorum ac patritius Romanorum noſtris ob
„ temperans monitis. Itaque adimplens in omnibus vo-
„ luntates omnis Heſperiæ, occiduæque partis, barbaras
„ nationes ſuis proſternens conculcauit pedibus, omni-
„ potentatum illarum domans & ſuo ſubiiciens regno
„ adunauit. Vnde per ſua laborioſa certamina, eidẽ Dei
„ apoſtolicæ eccleſiæ ob nimium amorem plura bona in
„ perpetuo obtulit poſſidenda tam prouintias, quam ci-
„ uitates, ſeu caſtra, & cætera territoria, imo & patrimo
„ nia quę a perfida Longobardorum gente detinebãtur,
„ brachio forti eidem Dei eccleſię reſtituit, cuius eſſe di
„ gnoſcebantur, ſed & aurum atque argentum quotidie
„ pro luminariorum concinnatione ſeu alimoniis paupe
„ rum non̄ deſinit offerendo, quatenus eius regalis me-
„ moria non derelinquatur in ſæculum ſęculi, idcirco ni
„ mium diligentes ac venerantes magnopere quæſumus
„ vt præſentes tranſuectores videlicet Petrum dilectiſs.
„ noſtrum archipreſbyterum, & Petrum Abbatem, ac
„ preſbyterum venerabilis monaſterii ſancti Sabæ hila-
„ ri mente, atque vultu placidiſſimo ſuſcipiens, vt ſoſpi
„ tes ad nos iterum remeent, diſponere iubeat veſtra ſe-
„ reniſs. Imperialis clemẽtia, vt quia de veſtra Orthodo
„ xa fide, quam cœpiſtis, nos redd derunt certiores, nos
„ ex hoc veſtro propoſito læti altiſono Domino noſtro
„ referre ſtudeamus laudes, diuinam pro immenſa piiſs.
„ ſerenitatis veſtrę lętitia exorantes clementiam, ac cõ
„ ſona cum propheta inquientes, Domine ſaluos fac inui
„ ctiſſimos noſtros principes, & magnos Imperatores,
„ & exaudi nos in quacunque die te deprecantes pro eis
„ inuocauerimus. Ipſe enim rerum opifex & arbiter Do
„ minus Deus noſter, in cuius manu omnia regna mun-
„ di conſiſtunt, per quem & reges regnant, & principes

" imperant,& potẽtes quæ pietatis ſunt,clementer cun-
" cta modigerando diſponunt,veſtræ piæ ſerenitatis mel
" lifluis cordibus inſpirare dignetur ad exaudiendas no-
" ſtras humillimas preces,& reſtituendum in priſtinum
" ſacras imagines,tribuatque vobis intercedẽtibus bea-
" tiſſimis Apoſtolorum principibus Petro,ac Paulo lon
" gęua,ac proſpera,& fœlicia tempora,& cum maxima
" corporis ſoſpitate & animæ ſalute Imperialis potentię
" ſceptris vos perfrui faciat, & ſicut terrę ſummæ poten
" tiæ gloriam vobis conceſſit, & cœlorum regna vobis
" per infinita ſęcula largiri poſſidẽda dignetur. Data Ca
" lendis Nouemb.indictione.ix.de his literis Anaſtaſius
" ita inquit,Græci quia eodem tempore ex laicis fuerát
" Conſtantinopolitanus patriarcha factus,ne publice ab
" apoſtolica ſede argui videreiur, & aduerſus eum tan-
" quam reprehenſione dignum hęreticis repugnandi oc
" caſio præberetur,ac proinde Synodi cui intererat, vti-
" litas excluderetur,ea quæ de non facienda laicorũ pro
" motione,cęterarumque præſumptionum redargutio-
" nibus ſubſequuntur in Synodo hæc neque recitari,ne
" que actis inſeri paſſi ſunt.Sequitur iam,vt de octaui cõ
cili canonibus aliquid etiam dicamus, explicandi gra-
tia,& quia ordo poſtulat. Magna enim dubitatio ex
multiplicatis octauis exiſtit.Nam Photianum conci-
lium, Nicolao pontifice, octauum nominant Græci,
item concilium non multo poſt contra eundem Pho-
tium Conſtantinopoli temporibus Hadriani ſecundi
habitum octauũ fuit & numerant, tum deinceps aliud
conſecutum poſt Hadrianum Ioanne pontifice in tem
plo Sophiæ,octauum prædicant,imo & Florentinum
concilium,quod Eugenio quarto pontifice habitũ eſt,
eius interpres octauum inſcripſit,& hodie pleriq. Grę
corum eo numero habent. Ergo concilium quod Pho
tius Rodoaldo, & Zacharia legatis pontificis Nicolai
primi inſtituit,& habuit in templo apoſtolorũ, quod

etiam primum & ſecundum appellarũt, vt ad alterum
Photianum ſceleratum prius aduerſus pontificem cõ-
gregatum adiunctum eſſe videretur, hoc inquam quã
uis maximum,& œcumenicum ſuo more Græci falſo,
& arroganter inſcribant,tantum abeſt vt octauum ſit,
vt ne numero quidem vllo conciliorũ haberi debeat,
quin potius Ariminenſi Ariano,aut Epheſino Neſto
riano ſimile fuiſſe dicat Hadrianus.& Nicolaus primus
ad epiſcopos Conſtantinopolitanos ſcripſit de Rodoal
do & Zacharia,nihil ſe eis penitus iniunxiſſe, niſi tan
tummodo,vt cauſam Ignatii patriarchæ diligenter co
gnoſcerent,& Romanæ eccleſiæ exponerent. quid er-
go Græci nugantur concilium maximum fuiſſe,idem-
que octauum,quod ne concilium quidem fuit,ſed coi-
tio ſceleſta,& nefaria?de cuius quidem auctoribus Ha
„ drianus his verbis decreuit. Conciliabulum vanitatis
„ a Photio & huius fautore Michaële videlicet tyranni-
„ ce Conſtantinopoli imperante aduerſus ſedis apoſtoli
„ cæ reuerentiam,& priuilegium congregatum, vtpote
„ veritatis inimicum,quin & omni falſitate,ſibi conſen-
„ tientium animas interficiens Epheſino latrocinio cõ-
„ parandum fore ſtatuimus,& ipſius execrãda geſta qui
„ buſcunque habeantur monumentis inſerta, ſummi iu-
„ dicis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctorumq. apoſto-
„ lorum principum Petri,& Pauli, noſtræque mediocri
„ tatis auctoritate penitus abolenda decernimus, ita vt
„ igni tradantur,& anathemate perpetuo percellantur.
„ Similiter & de cæteris ſcripturis,quæ uiris iam nomi-
„ natis auctoribus contra eandem ſedem tempore diuer
„ ſo ſunt editæ,reſiſtendum modis omnibus diffinimus.
„ Et paulo poſt.Ergo quamdiu poſt notitiam huius apo
„ ſtolicæ ſanctionis ſibi prælata monumenta,vel exẽpla-
„ ria geſtorum,ipſius execrãdi conciliabuli penes ſe quiſ
„ quam retinens celauerit,vel defenderit,& non potius
„ propalauerit,vel igni tradiderit, tãdiu anathemate cõ-
ſtrictus

ſtrictus cõmunionis Chriſti munere careat, & quæ ſe-
quuntur. Hactenus de actis huius ſchiſmaticæ Synodi: feruntur autem huius Synodi canones . 17 . partim illi quidem graues & honeſti, partim illa coitione digni, quos omnes in Latinum conuerti, non quidem quod exiſtimarem, quamlibet recti ex magna parte eſſe viderentur, vllam habere eos auctoritatẽ, niſi quos aliquando eccleſia Romana denuo ſanciret, ac renouaret & quaſi ab iniuſtis latoribus vendicaret. Sed magis vt & ſublata omni obſcuritate, & ambiguitate diſcernere hos ab aliis liceret, ſumereturq. ex eis ſi quid boni eſt, velut ex poëtis ſolet, & quod hic non pauca de monachis cauerentur, in quibus & ſi nõ ſit auctoritas, tamẽ poſſit non mediocris inde (vt ſunt noſtra tẽpora) vtilitas, maturitas, & cautio peti. fuiſſe autem hos canones in illo Photiano cõcilio editos, pręterquam quod Zonaras, & Theodorus Balſamo teſtantur, ex artificio quidem, & ſimulatione quorundam ex eo numero canonum coniici facile poteſt. Cum enim Photius ex ordine laicorum repente in ordinem epiſcoporum vi & dolo aſcendiſſet, idque contra Sardicenſis concilii, Celeſtini, & Leonis magni decreta, & leges, ne ea abrogare videretur, iterum ea ſancit. 17. canone, ſubiungens, tametſi ante hac nonnulli laici repente facti epiſcopi, continuo ſe eo honore dignos præſtiterunt, & virtutis ſplendore, ac dignitate eccleſiam ſuam auxerunt, & illuſtrarunt, ſcilicet illis ſe uiris aſcribit Photius, quos Nicolaus primus ad eundem Photium ſcribens, ob neceſſitatem rerum, & ſimilium virorũ inopiam electos eſſe defendit Nectarium dico, & Taraſium Photii auunculum & eiuſdem Taraſii ſucceſſorem Nicephorum, Ambroſium vero etiam propter inſigne miraculum, quorum in Photium cõueniebat, nihil. Pręterea, quia multi a Photio patriarcha diſcedebãt, eumque in adhibendis publicis precibus (vt fieri ſolet) minime nomi

natim commemorabant, cautum eſt in hoc Photiano concilio.13.et.14.et.15.canone, ne id in epiſcopos, aut metropolitas, aut patriarchas liceat, antequam iudicati, damnatiq. ſint a Synodo, hoc videlicet iactabat Photius, non eſſe ſe, de Synodi, & concilii ſententia condẽnatum. ad hæc, cum Photius, vt proditum literis eſt, Ignatium cruciatibus & terroribus epiſcopatum deponere coëgiſſet, metueretque fortaſſe ne idem ſibi eueniret, vt ſe ſcilicet pulſo alter eligeretur, cauit.16.canone, ne ius eſſet vllum præficere, eo ſuperſtite, qui ante præerat, niſi cum ſponte is epiſcopatum deponeret, depoſuerat autem Ignatius, tametſi non quidem ſponte ſed inuitus, & vehementer dolens. Extat epiſtola Græca Photii ad Nicolaum de ſua electione contra canonẽ Latinorum, & de concilio a ſe habito, legatis eius præſentibus, deque canone illo, a ſe renouato, & quod petierat Nicolaus, & legatis ſuis mandauerat, vt qui electi epiſcopi eſſent abſque auctoritate pontif. referrent ſe ad Pontif. cur de eo nihil actum eſſet ibi, ex qua epiſ. quia perſpici poteſt quantum auctoritatis pontifici tũc tribueret, quantum vtinam nũc Græci tribuerent, & quia ex ea poteſt intelligi, nondum approbaſſe Nicolaum illius electionem, quin potius vehementer accuſaſſe, & reprehendiſſe nõ ſolum Michaëlem Imperatorem, quod ex epiſtola illa longa cõſtat, ſed ipſum Photium, quod ex hac, idcirco fortaſſe conuertam eam in Latinum, & ad hunc libellum adiungam. Poſt hoc igitur Photianum cõcilium conſecutum eſt haud multo poſt alterum ducentorum epiſcoporũ, quod mortuo iam Michaële, & Nicolao primo auctoritate Adriani ſecundi habitum eſt contra Photium Conſtantinopoli in eodem templo apoſtolorum, miſſis eo legatis Stephano & Donato. fuitq. id concilium in maiorum numero octauum, quod ſatis his verbis Adrianus teſtatur, ſic enim de legatis ſuis ait, miſſos eſſe contra depo

» ſitionem imaginum, vel alias neceſſitates ingruentes
» nec non pro cauſa depoſitionis Ignatii. Sunt autem edi
ti in hoc concilio canones. 27. quos non quidem a me
Latine verſos, nuſquam enim exemplum Græcum integrum reperire potui, ſed ab Anaſtaſio cognomento bibliothecario, libenter hic adiunxiſſem, niſi valde corrupti eſſent, & multis locis propter barbariem ſermonis ad intelligendum difficiles. Deinde proximum concilium, quod poſt Adriani obitum mortuo iam Ignatio, pro Photio auctoritate Ioannis Pontificis numero. 383. epiſcoporum Conſtantinopoli in tẽplo Sophiæ congregatum eſt, octauum quoque numerant Græci, ſed falſo, vt puto. etenim ſi publicum fuit, & œcumenicum, profecto non octauum, ſed nonum eſt, cum octauum ſit, quod contra Photium antea cõgregatum fuerat, neque enim quia eius canones aliqui, & acta de dãnatione Photii reciſa ſunt poſtea, idcirco reliqui canones, qui ad omnes eccleſias pertinent, nulli erunt. Saluis vero canonibus, profecto concilium numero ſuo habebitur, ſin autem non fuit œcumenicum, cum non numeretur inter maiora concilia, iam neque octauum erit, neque nonum, ſed vnum ex priuatis, quæ plurima ſunt, fuiſſe vero œcumenicum mihi quidem videtur, cum legati œcumenici epiſcopi, id eſt, Ioannis pontificis, Paulus, Eugenius & Petrus preſbyter cardinalis interfuerint, ac præfuerint, Conſtantinopolim rogatu Baſilii, Leonis, & Alexandri, miſſi, tum vt Photium, quem plurimi partim maleuolentiæ, partim religionis cauſa propter ſuperiorem damnationem adhuc vitabant, eccleſiæ & populo reconciliarent, & hominum animos religione anathematis liberarent, tum vt de cęteris, quæ neceſſaria eſſe viderentur, agerent, quod in mandatis habebant, vt ex epiſtola Ioannis ad Photium perſpici poteſt, quæ vero illa eſſent, ac qualia, in commonitorio, quod vocant illis dato, cõtinebatur, vt ex

Manuele Caleca Greco, viro magna, & doctrina, & fide intelligi poteſt, is enim Græcos falſo iactantes, decretum eſſe in hoc concilio Ioannis, ne Symbolo quicquam adiungeretur, aut detraheretur, vno verbo mendacii coarguit affirmans, vt de eo agerent legati, in mandatis non habuiſſe, idque perſpici poſſe ex libello mandatorum, quem commonitorium vocant, ex quo adducor, vt ſuſpicer, commonitorium in quod incidi Græcum, deprauatum eſſe, ſiquidem in eo contineatur miſſos eſſe legatos ad ea omnia decidēda, & tractāda, quæcūq. ad eccleſiā pertinerent, & emēdanda eſſe viderentur, quæque veriſimile eſt, naſci poſſe, e quorū numero eſſe fortaſſe poterat trāctatio de ſymbolo, niſi ibi ſigillatim expoſita eſſent, & notata, quę tractāda eſſent, vt quidē fuiſſe, ſatis Manuel Calecas ſignificare videtur. Sunt autem qui huic cōcilio adſcribāt ſuperiores illos ſeptēdecim canones, quos eſſe potius cōcilio Photiano adſcribendos, ſatis ſupra docuimus, vt etiā ex epiſtola Photii ad Nicolaū intelligi poteſt. Verū quia de canonibus huius Cōſtantinopolitanę Synodi pro Photio, Ioanne Pontifice, nō ſatis cōſtat, propter varietatem, vt mox docebo, deinde quoniam eadem Synodus ſuperioris Synodi Adrianicæ contra Photium acta immoderatius, quā fortaſſe probabile videatur, reſcindit & damnat, proponam quam breuiſſime potero, quæcunque de re hac tota reperi, nihil interim aſſeuerans, ſed veritatis lucem inquirēs, quam quicunque oſtenderit, ſummo gaudio amplectar, fateor enim non potuiſſe per me, neque aliis adhibitis hūc ſcrupulum omnino eiicere, & totam rem, vt cupiebam expedire. Primum ergo tres canones feruntur Græce, ſeparatim ab aliis, inſcripti, Canones concilii in templo ſanctæ Sophiæ congregati, quo ſeptima Synodus confirmata eſt, omniſquo ſchiſmaticorum & hæreticorum error profligatus. Quos ipſe in

"Latinum conuerti,quorum primus cauet,vt quoſcun
"que ſiue ſacerdotes,ſiue epiſcopos,ſiue ex alio ordine,
"ac genere hominum Ioãnes pontifex maximus per Li
"byam,Europam,Aſiam in vincula coniecerit, aut ana
"thema iuſſerit fieri,hos eoſdem ipſe Photius auctori-
"tate ſua neque cuſtodia, neque anathemate liberet,
quod quidem ſatis æquum eſt,quod vero deinceps ſta
- tim in eodem canone ſequitur, itē quos Photius mul
- ctarit ſiue carcere, ſiue anathmate, ſiue alio genere,
- hos ipſos pontifex eccleſiaue Romana ne abſoluat, ne-
- ue liberet,hoc inquam arroganter dictum eſſe, perſpi
ci poteſt ex iis quæ a legatis Romanis in quinto actu
huius Synodi dicta ſunt de re hac,quæ valde moderata ſunt,& hunc canonem ſatis inſolentiæ coarguere videntur.Ergo ii poſtquam Metrophanem,quoniam pacis reconciliationem inter eccleſiam Romanam & Cōſtantinopolitanam factam non approbabat,ex eccleſia & cōmunione eiecerunt,ita ſubiungunt,quę ad verbū
"interpretati ſumus.volumus,ſciatis mandatum nobis
"eſſe a Ioãne pontifice, ſicuti ante nūtiauimus, vt quos
"Photius patriarcha optimus iuſte multarit,aut nō mul
"ctarit,eoſdem nos mulctemus,aut non mulctemus ſer
"uata inter nos concordia,& quoſcunque Ioannes ſan-
"ctiſſimus & œcumenicus pōtifex canonice gradu quo
"cunque mouerit,aut abſoluerit,Photius pro rato ha-
"beat.Item quoſcunque Photius canonice, id Ioannes
"ſimiliter ſanciat, quod quidem ſi vobis probatur, pa-
"tres,lege lata ſancite.Synodus reſpondit placere cano
"nem edi,edituſque eſt,nō hic quidem, qui poſitus eſt,
ſed alius moderatior,quam hic de quo loqui cepimus, qui cum aliis duobus circumfertur, qui canon moderatior cum eo conueniret,quod eſt in epiſtola æquiſſima illa concilii Africani ad Celeſtinum pontificē, quã petunt Africani patres a Romano pontifice, ne quos ipſi dãnarint pontifex facile abſoluat, id enim intelligi

poſſe cautum eſſe in Niceno concilio canone quinto, & ſi nominatim in eo canone de clericis & laicis cauea
» tur, itaque aiunt. impendio, deprecamur, vt deinceps
» ad veſtras aures hinc venietes non facilius admittatis,
» neque a nobis excommunicatos in communionē vltra
» velitis recipere, quia hoc etiam in Niceno concilio de
» finitum facile aduerteret venerabilitas tua, nã etſi de
» inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi præcaueri,
» quanto magis hoc de epiſcopis voluit obſeruari, ne in
» ſua prouincia communione ſuſpenſi, a tua ſanctitate,
» vel feſtinate, & præpropere, vel indebite videantur cõ
» munioni reſtitui, itaque improba eorum refugia repel
» lat ſanctitas tua. Nam Niceni concilii decreta ſiue in-
» ferioris gradus clericos, ſiue ipſos epiſcopos ſuis Me-
» trapolitanis apertiſſime commiſerunt, prudentiſſime
» enim iuſtiſſimeque viderunt, quæcunq. negotia in ſuis
» locis, vbi orta ſunt, finienda eſſe, neque vnicuique pro
» uinciæ gratiam ſancti Spiritus defuturam, qua æquitas
» a Chriſti ſacerdotibus & prudenter videretur & con-
» ſtantiſſime teneatur, maxime quia vnicuique conceſ-
» ſum eſt, ſi iudicio offenſus fuerit cognitorum, ad con-
» cilia ſuæ prouinciæ, vel etiã vniuerſale prouocare, niſi
» forte quiſquam eſt, qui credat, vnicuilibet noſſe Deũ
» veſtrum examinis inſpirare iuſtitiam, & innumerabili
» bus congregatis in cõcilio ſacerdotibus denegare. aut
» quomodo ipſum tranſmarinum iudicium ratum erit,
» ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ vel propter ſexus,
» vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis aliis in
» teruenientibus impedimentis adduci non poterunt?
Hactenus patres Africani. Ergo inſolenter & imperio ſe dictũ videtur, ne Pontifex, eccleſiaue Romana quos Photius damnarit, abſoluat, moderatius vero quod Africani patres a Celeſtino poſtularunt, ne videlicet põtifex ipſe facilius, ac celerius abſolueret, quos ipſi condēnaſſent, hoc idem petierat antea Photius a Nicolao

pontif. per literas illas, quas ſupra dixi, præterea eſſe hũc canonem cum hac moderatione editum in hac Synodo Conſtantinopolitana Ioannis, me, vt credam, etiam illud adducit, quod in quinto actu huius Synodi pronuntiatum eſt a Baſilio quodam patriarchæ Antiochiæ, vt Græci vocant, Topotereta, quos, inquit, Photius vt a patriarchis electus, & ab ipſo pontifice, vt dudum audiuimus, confirmatus, recte ac iuſte damnarit, eoſdem & ipſi damnamus, quos vero abſoluerit, abſoluimus, ac continuo Romani legati diximus (inquiunt) Ioannem pontificem maximum poteſtatẽ Photio dediſſe, vt eos qui ſe ad recte viuendum conuerterint, recipere, eos vero qui reſipiſcere noluerint, ſocietate & communione hominum prohibere ei liceat, vel fortaſſe canon hic, de quo loquimur, non eſt corruptus, ſed ſic intelligendus, vt diximus, vt ſimile ſit, quod ait Innocentius primus, ca. 6. epiſtolę ad epiſcopos Macedonię de Photino reſtituto, cui manum porrigitis, manum porrigo, cui porrigo mecum porrigite, hæc ad Corinthios apoſtolica eſt declarata benignitas, vti in vno ſpiritu ſententiam boni, & inſtitutum ſemper ſequātur, De aliis duobus canonibus nihil videtur eſſe quod admonere debeam, niſi quod ſecundus citatur ab Innocen. iii. in lib. 1. Dec. c. poſt tranſlationẽ de renunciatione, & falſo tribu tur concilio Conſtan. in iiii. œcumenicis, ſecũdo. Sunt alii quinq. huius Synodi canones inter ea capita, quæ epiſtola Ioãnis ad Baſiliũ tunc imperatorem miſſa cõtinet, qui quidem canones recitati ſunt ex epiſtola ipſa, & rurſus a Conſtantinopolitanis illis patribus ſanciti, quos ex actis ipſius Synodi excerptos Latine totidem fere verbis conuertimus, & tribus ſuperioribus adiũximus, ex quibus quartus ſuperiores Synodos aduerſus Photium tũ Romæ, tum Conſtantinopoli habitas Nicolai & Adriani temporibus explodit & reiicit, imo vt de Synodorum nu-

mero tollantur iubet, quod quemadmodum interpretandum eſſe putem, nihil habeo omnino conſtitutum, & certum, vellemque potius aliorum ſententiam audire, nam neq. perſuadere mihi poſſum, non fuiſſe duas illas Synodos, & rite & iuſtiſſima de cauſa inſtitutas & habitas pro Ignatio omnium teſtimonio innocentiſſimo, præſertim cum Anaſtaſium habeamus grauiſſimũ teſtem, & auctorem, is enim & interfuit rebus geſtis, & earum hiſtoriam Synodicis actis comprehenſam in Latinum ſermonem trãſtulit. quod ſi iuſtiſſimæ Synodi fuerunt, quemadmodum ne numero quidem Synodorum haberi permittit Ioãnes pontifex, præſertim cũ de aliis rebus præterquam de Photii damnatione ſanctiſſimi canones illius concilii extent, vt de imaginibus, & aliis, quæ cur omnia delenda & abroganda eſſe iudicarit, non aſſequor, neque vero per ſurreptionem (vt eſt in ipſa Ioannis epiſtola) factam eſſe Photii dãnationem Nicolai & Adriani auctoritate veriſimile fiet ei, qui acta ipſa octaui concilii legerit, ſed neq. rurſus hanc Ioannis pontificis epiſtolã ad Baſiliũ, vbi hic ipſe canon ſcriptus eſt, mẽdoſam eſſe, & ab aliquo Græco, vt illi facere ſolent, deprauatã, valde probabile eſt, tum quia non ſolum Græca epiſtola eum canonem continet, ſed & Latina, cuius exemplum vetuſtiſſimum in pontificis publica bibliotheca reperi, eãdem habet ſententiam, tum quia non diſſimile eſſe videtur, quod Innocentius primus geſſit in abſoluendo Photino a maioribus ſuis condemnato, & de ſurreptione, cuius exẽplum ſequi fortaſſe potuit Ioannes in Photio, ita enim
» ait Innocẽtius, maiorum meorum reuolui ſententias,
» fuerat quidem de eo grauius aliquid conſtitutum, ve-
» rum quia id per rumorem falſum, vt aſſeritis huic ſedi
» ſurreptum, & elicitum per inſidias demonſtratis, quia
» res ad ſalutem rediit, veniam nos hanc in tantum vo-
» bis annitentibus poſt condemnationem, more apoſto-

lico

» lico ſubrogamus, tantiſque veſtris aſſertionibus, no-
» biſque tam bonis, tam charis nō dare conſenſum omni
« bus rebus duris durius arbitramur, pro veſtra ergo ap-
» probatione fratres chariſſimi, & ſententia ac poſtula-
» tione epiſcopum Photinum habetote, & noſtrā in me-
» lius conuerſam ſententiam, fauore vel teſtimonio ve-
» ſtro compotes voti ſuſcipite, ac paulo poſt, cui manū
» porrigitis, manum porrigo, cui porrigo mecum porri-
» gite, hæc ad Corinthios apoſtolica eſt declarata beni-
» gnitas, vti in vno ſpiritu ſentētiam boni ſemper ſequā
tur. Illud vero quod eſt in literis Ioannis ad Photium, concilium contra te habitum reſcindimus omnino, & eiicimus, deinde ſequitur, tum ob alia, tum quia Hadrianus pontifex beatiſſimus, non ſubſcripſit, atque obſignauit, hoc inquam non legi Latine ſed Græce, mirorque, ſi id verum eſt, non obſignaſſe Hadrianū, Anaſtaſium vel diſſimulaſſe, vel neſciſſe, qui tanta diligētia octauam Synodum tranſtulit, vt ſanctiſſimam, & maximæ auctoritatis, & in qua ſint legatorum pontificis ſigna, quæ adulterina credere temerarium videtur, itaque hoc facile a Græcis additum eſſe puto, quo magis ſuperioribus contra Photinum conciliis fides derogaretur, ſed rurſus miror Calecam, cum notaſſet & iure ſextum, & ſeptimum, actus huius Synodi Ioānis ſuppoſitos eſſe a Photianis, in quibus tandē cauetur, ne quicquam ſymbolo addere, aut detrahere liceret, quod grę ci ſemper a nobis diſſentientes pertinaciter contenderunt, de quo quidem vt ageretur, nihil in commonitorio quod vocant legatis dato, continebatur, miror inquam cum is animaduertit hanc fraudem Græcorum, cur ſi confictam quoq. arbitrabatur octaui concilii dānationem, non etiam de eo admonuit, præſertim cum argumenta quærere videatur ad probandum confictos fuiſſe illos actus, nihil autem magis ſuſpicionem falſitatis moueat, quam altera falſitas, protuli quæ dubium

aliquem & hæſitantem reddere poſſent, me certe ita ſuſtinent, vt nihil de re hac, aſſeuerāter affirmem, etſi quid mihi probabilius videatur, tacere nolim, id eſt octauum cōcilium Conſtantinopolitanum Hadriano pontifice contra Photium habitum ſanctiſſimum fuiſſe, & eſſe, habendumq. in numero maiorum conciliorum, vt ſupra docui, neque.n. quia Ioannes pontifex Photium abſoluit, quem Hadrianus damnauit, idcirco Photii damnatio irrita fuit prius, conciliumq. ipſum pro nihilo habēdum. Cum tamdiu habitus fuerit iure damnatus, quādiu vixit Ignatius, viſumque fuerit tandem Ioanni pontifici in maiorum exempla, & in præſentem eccleſię ſtatum intuenti miſericordiam, humanitateq. illi tribuere, quod improbari nō debet, ait.n. in literis quas ad Baſilium imperatorē pro Photio ſcripſit, ſicuti Donatiſtas & a Bonoſo ordinatos, quos altera Synodus & quidē frequens ab eccleſia prohibuit, altera reuocauit, idque vt eccleſia Dei turbis, & ſeditionibus liberaretur, ſic, imo multo magis oportere viros cum primis religione præditos, vt Photium non aſpernari. Deinde inuidiam reſtitutionis damnati Photii, pontificum declinat auctoritatibus. Primo Nicolai dicentis, ſæpe neceſſe eſt canones tranſire. deinde Gelaſii, vbi non eſt neceſſitas, canones ſeruari debent. Præterea Leonis, vbi ius & neceſſitas abeſt, canones tranſire ne ius eſto, ſi neceſſitas adeſt, qui poteſtatem habet, ad vtilitatē eccleſiæ moderetur, & Felicis, vbi neceſſitas incurrit, ſanctiones patrum ſæpe non ſeruantur, poſtremo Pauli, legis mutatio ex neceſſitate profecta eſt. Hactenus illius ſententia. Quid quæſo opus erat his exemplis, & auctoritatibus ſi neq. obſignarat Hadrianus, quod confinxiſſe illos ſuſpicor, aut ſi cuncta per ſurreptionem vt vocant cōpoſita & tranſacta fuerunt contra Photium, quod etiam ab iis, qui nimis Photio ſtudebant, fictum videri fortaſſe poſſet, quibus non

ſatis videbatur damnatum reſtitui,niſi etiã nunquam iure damnatum fuiſſe mentirẽtur,quare quod ait Ioãnes pontifex incurriſſe neceſſitatem tranſeundi canonem eccleſiaſticum in confirmanda electione Photii, profecto ſignificare mihi videtur,commeruiſſe quidẽ Photium,vt nõ eſſet patriarcha, indignumque eſſe ea parte venia,expedire tamen, vt eſſet patriarcha propter vtilitatem eccleſiæ,quare cum irritam facit Synodum Hadriani,non ſignificat inique fuiſſe damnatum Photium,ſed velle eum abſoluere propter vtilitatem, ac neceſſitatem eccleſiæ,ſimiliter cum ait Ioannes nõ fuiſſe demonſtrata crimina Photii,fuiſſeque ſurreptũ ſedi apoſtolicæ,de eo mihi videtur accipiẽdum,quod impedire poterat,& debebat, ne eſſet patriarcha,ſi verum ſcilicet fuiſſet,non eſſe Photium ſanum in fide, de quo accuſabatur,quemadmodum enim confirmare potuit,aut debuit Ioannes pontifex Photii patriarchæ electionem,niſi Synodum aduerſus eum habitam irritã faceret,id eſt,niſi acta illius de non ſana fide Photii per ſurreptionem conficta eſſe diceret?quod quidẽ nihil prohibet,quin Synodus ipſa Hadriani rata manſerit,quãtum quidem ad reliquos canones eorũ quos ſanxit pertinet,quod ſatis eſſe debet, vt octaua Synodus numeretur, vt in Conſtantienſi Synodo numerata eſt,quod autem Vmbertus Leonis noni legatus ad Conſtantinopolitanos ſilentio prętermiſit,hanc Synodum,neq. eam numerauit,cum in eo anathemate quod pronunciauit aduerſus Michaëlem,& Leonem,atque eorum ſectatores,dixit,ſe cum collegis fungi auctoritate pontificis &.7.Synodorum,quod inquam prӕter miſit octauam,puto in cauſa fuiſſe,vt quia cum Græcis agebat,qui illam Synodum negabant, ac e numero Synodorum eximebant,ne ſuſpicarentur nullam vim eſſe illius anathematis, in quo ſe diceret auctoritate fungi Synodi,quæ nulla fuiſſet eorum opinione,de-

qua quotannis in eccleſia pronuncient,quæcunque in Ignatium,vel Photium ſanctiſs.viros dicta, vel ſcripta ſunt,anathema. Sed de his ſatis,redeo ad canones huius Synodi Conſtantinopolitanæ Ioãne pontifice,quę ipſa,etiam vt dixi, octaua vulgo habetur & nominatur,præter illos ergo quos ſupra dixi canones,ferũtur & alii,quos fateor me nũquam reperiſſe integros,etſi bibliothecas non paucas veſtigandi cauſa verſauerim & excuſerim, neque coniectura aſſequi poſſum, quo conſilio,quaue ratione,Græci omiſerint.Sunt autem multi ex iis relati inter decreta Gratiani ſed interciſi, ſanctiſſimi illi quidem,& rebus Chriſtianis vtiliſſimi, vt ille,tum iuſtam,tum iniuſtam ſententiam metuendam eſſe.ii.q.iii.c.non ſolum.Non eſſe verſandum cũ iis,quorum ſocietas ſit interdicta, ibidem.c.ſi quis frater. item alius canon,quemadmodum qui in viam rediit,recipiendus ſit,& quomodo affectus, animatuſq. eſſe debeat, & de clementia, & humanitate erga eos pręſtanda,qui reſipiſcunt.26.q.7.c.pro qualitate, cum quatuor deinceps capitibus.Alius canon in obtrectatores,maledicos,& monachos ſeditioſos ac contumelioſos in alios,90.diſ.c.alienus.Item ne quis falſum teſtimonium tribuat,falſoue vllum accerſat.5.q.6.c.ſi quis falſa.Præterea ei qui vxorem habeat non licere monachum fieri,niſi eius vxor approbet,imo eadem etiam, caſtimoniæ votum ſuſcipiat.17.q.2.c. ſi quis coniugatus,& de ſeruis monaſteriorũ.15.diſt.ca. Abbati, & ſi qui alii ſunt.denique vt finiam, Concilium Florentinum,neſcio qua ratione,octauum quoq. numeratur a Græcis,cum nonum ſit,vel potius decimum, ſi illud Ioannis concilium in templo ſanctæ Sophiæ habitũ inter maiora numeretur.Verum de hoc ſatis ſit admouiſſe. Hactenus SALVIATE de Sanctæ ſextæ Synodi, actis, ac de canonibus apocryphis falſo illi aſsignatis, tum de diſtinctione,ac notatione multiplicis octauæ,

quæ omnia quia ad vtilitatem fratrum non mediocriter neceſſaria eſſe videbantur, libentiſſime in hunc librum contuli. Supereſt, vt eoſdem fratres obſecrem, vt pro me Deum orent, vt non procedat vnquam ex ore meo ſermo malus, aut ex corde meo ſcriptura mala, ſed ſi quis bonus, aut ſi qua bona ad ędificationem proximorum in laudem gloriæ Dei patris, & homouſii filii cum ſancto vtriuſque Spiritu conſubſtantiali ante ſæcula, & in ſæcula. Amen.

FINIS.

Prætermiſſa, ſuis locis a lectore et impreſſore reponẽda.

Lib.1.de auctorit.pont. pag.14.ver.16.apoſtolatu) addatur, ex æquo dati ad conſumationem ſanctorum in opus miniſterii. & in eadem pag. ver.17.primus) addatur, ſimiliter dicamus nós, in epiſcopali honore, gradu, poteſtate, & auctoritate primus. in eadem pag. ver.18. præſidentia) addatur, quo ad hanc vero Petrum primas honoris, poteſtatis, & auctoritatis tenere voluit.

Lib.2. pag.79 ver.17. moderatur) addatur, Hanc ſententiam cum pater Chryſoſtomus teneret, a Synodo Theophili inique damnatus, ad Innocentium pont. tanquam ad arcem. & aram confugit, ab eo per literas petens vt quæ in ea Synodo geſta erant, literis ſuis irrita faceret, vt ex epiſtola ipſa, quæ in publico eſt, perſpici poteſt.

In eodẽ lib.pa 80.ver.32. Congregare,) addatur, Præterea Theodoritus vir ſummo in explanandis ſanctis ſcripturis ſtudio in epiſtola, quã ad Leonem magnum ſcripſit, reddens rationem, cur poſt.26. annos epiſcopatus ſanctiſſime geſti iniuſte in Synodo damnatus ad eum confugeret, ad eiuſque iudicium, & tribunal, vt idẽ dicit, prouocaret, quia, inquit, διὰ πάντα ὑμῖν τὸ πρωτεύειν ἁρμόζει, id eſt, quia per omnia tibi conuenit, vt primas teneas, at quemadmodũ primas teneat, ſi eas conciliũ prius iuſte occupauit? vtitur autem numero multitudinis pro ſingulari honoris gratia, & quia ea eſt interdũ ſermonis Græci cõſuetudo. quod Origen. in epiſt. ad Africanũ annotauit, vt cũ apoſt. ait, alii ſecti ſunt. quod de Eſaia dixit. deinde ſequitur, πολλοῖς γὰρ ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι, id eſt, multo.n. plus poteſt, & valet tua ornatiſſima ſedes, & paulo poſt, vrbẽ Romam propter ſedem apoſtolicam, in qua pontifex reſidet, appellat οἰκουμένης προκαθημένην, id eſt, præſidentem orbi, at quẽadmodum orbi præſideret, ſi eius auctoritas infra orbem eſſet, id eſt infra eccleſiam catholicam? hoc enim ſignificat hoc in loco orbis. poſtremo ſcribit idem expectaturum ſe pontificis ſententiam, vtrum ſit ſibi ſententiæ alioqui iniuſtæ acquieſcendum, an non ſit, quod ſi ſit, reſtare, vt nemini hominum deinceps moleſtus, extremum tãdem, idemque incorruptum Dei iudicium expectet, an non ſentiebat, qui hæc ſcripſit, non eſſe in terris maius quam pontificis vllum iudicium?

Lib. vltimo de ſexta Synodo, &c. pag. 60. ver.21. agimus) addatur, non autem pugnat, quod plerique fortaſſe ſuſpicabuntur ex. 5. Dec.c. Quæſitũ &c de ſacerdotibus Græcis, quibus, inquit, legitimo matrimonio licet vti, &c. id eſt, quibus licet habere vxores legitimas, eſſeq. in matrimonio ſimul & ſacerdotio, quod noſtris non licet. in eandem ſententiam Diſt.31.c. Aliter, &c. orientalium, inquit, eccleſiarum ſacerdotes, diaconi, & ſubdiaconi matrimonio copulantur, &c. vbi male gloſ. id eſt, copulato vtuntur, cum potius ſignificet licere illic eis, qui mariti ſunt, fieri ſacerdotes, diaconos & ſubdiaconos.

Loca, quæ in his libris ex ſcriptura vetere citantur, ſunt aut ex Hieronymi, aut ex 70. interpretatione, aut ex vtraque.